Bouverio

TRACTATVS VNICVS

VERITATVM FVNDAMENTALIVM

Ordinis Minorum Conuentualium.

A FR: CAROLO RAINERIO ARIMINENSI

Eiusdem Ordinis Asceta Art., & Sac. Theol. Doctore

PROPVGNATARVM

Cui in calce appositæ sunt tres breues Dissertationes de Riui Torti Cenobio, Assisiensi, & Sanctæ Mariæ Angelorum Basilicis.

NEDVM MINORVM ALVMNIS

Perquam vtilis, ac necessarius; verum exteris etiam, Historicis, Philosophis, Theologis, Canonistis, satis accomodus.

EMINENTISS. AC REVERENDISS. D. D.

FLAVIO CARD. CHISIO

ORDINIS MIN. CON. PROTECTORI VIGILANTISSIMO

DICATVS.

ARIMINI MDCXCIII.

Typis Simb. per Ferrarium.

SVPERIORVM PERMISSV.

EMINENTISSIME, AC REVERENDISSIME PRINCEPS.



LVCVBRATIONES iſtas, quas in meæ Religionis defenſionem, edere cogor, glorioſo Nomini E. V. litare decreui, quamuis enim nullam redoleant Rethoricæ artis venuſtatem, nullum emittant pulchritudinis fulgorem, ſuo tamen itinere iturę, ad fores

clemen-

clementiæ tanti Męcenatis celeri cursu se sistunt ; fœtum hunc pusillitas mea concepit, paupertas mea obstetricata est, paupertas secuta est paupertatem ; erubescunt igitur ad conspectum , atque præsentiam E. V., quam haud effugere valuerunt beneficiorum pondere pressæ, quibus cumulata est, & de die in diem mea ditatur Religio; has super cordis hypociatho humilimus huius Religionis, cui vigilantissimè praees, cliens, ob oculos E. V. offero; supplexque pronus vestigia pedum tuorum lingens, oro, vt acceptare digneris munusculum qualecunque sit, exiguum sanè, ac nullius entitatis: Haud ignoro ventus vrentes orituros, vt fœtum hunc euertant, euellant, ac destruant eradicatum, perennabit tamen, si dignaberis sub vmbra MONTIVM tuorum illum recipere, ac fouere; Portum verò securitatis facilius intrabit, si tui

SIDERIS

SIDERIS lumen effulgens, ſuper illum irradiabit. Iuſſus ſum, vt omne declinem periculum, ad tuos effugere MONTES, haud aliam carpere viam, quàm tuæ lucis lumen portendit: parui: Sub vmbra igitur alarum tuarum fugio, Cæſarem perſecutus, commentaria hæc, ab euripo tribulationum eductus, dextera manu ferens, E. V. ſacro. Tu Summi Antiſtis ALEXANDRI verus Nepos, imò Alexander alter, qui nec meditari, nec parere niſi grandia vales, hoc inter maxima, maius omnibus, ages, opus hoc paternis oculis intueri, & ab incurſibus liberare. Vale interìm, vt ſoſpes euadens, Te Orbis cunctus ſub Infula tui Magni Patrui, poplitibus flexis, humilis diù adoret.

Humiliſsimus, & Deuinctiſsimus Seruus
Fr: Carolus Rainerius Ariminenſis.

AD LECTOREM.

Paucis te expediam, humanissime Lector, Tractatus huius propositum edisseram, & dimittam. De Religionis Minorum Origine, institutione, agnomine, priuilegijs, propagatione, ac paupertate est mihi sermo. In hoc Tractatu Veritati studeo, non prolixitati. Actum ab alijs vel non tango, vel propugno: Agendum non prætereo. Franciscana Religio euentus insecundos sępissimè passa est; nimirum hęc est humana conditio. Multos Scriptores de Minoribus percurres; vt legas Opera Fabri Galli, Ioannis Franchini Mutinensis, & Casimiri Biernacki Cracouiensis ex Ordine Minorum Conuentualium, consulo; Hi siquidem veritatem tibi aperiunt, & hac de causa tractatus iste prodit, qui ante lustrum lucem vidisset, ni multa passus fuisset. Latere coactus, è tenebris tandem erutus est labore, & sudore Adm. Reu. Patris Magistri Ioannis Damasceni Bragaldi Exprouincialis Daniæ, Sac. Congregationum Rituum, & Indicis Consultoris, in Romana Sapientia Lectoris, & Eminentissimi Cardinalis Chisij Theologi ex Ordine Minorum Conuentualium. Prælo igitur datus ad tuas euolat manus benignissime Lector; subsiste paulisper, seriò illum percurre, vt tutò dicere possis, veritati sto. Vale ad Nestoris annos.

APPRO-

APPROBATIONES

Reuerendiss. P. Minist. Gen., & Theologorũ Ordinis Min: Conuentualium.

CVM Opus, cui titulus, *Tractatus vnicus Veritatum fundamentalium Ordinis Min. Conuentualium, &c.* à Patre Magistro Carolo Rainerio Ariminensi eiusdem Ordinis elaboratum, duo ex Religionis nostræ Theologi nobis committentibus recognouerint, & approbauerint, facultatem facimus, vt si his, quorum interest videbitur, Typis mandetur. In fid. Dat. Assisij 8. Octobris 1687.

Fr. Antonius de Auersa Minister Generalis.

Fr. Ludouicus Solarius de Taurino Secr. & Assistens Ord.

Loco ✠ Sigilli.

OPVS, cui titulus *Tractatus vnicus Veritatum fundamentalium Ordinis Min: Con.* ab Adm. Reu. Pat. Mag. Carolo Rainerio Ariminensi eiusd. nostræ Prouinciæ Exprouinciali summo studio confectum, & mihi à Reuerendiss. P. Ord. nostri Generali Ministro perlegendum commissum, attentissima inspectione consideraui, sicque suis visum est libratum ponderibus, vt inter ingenij maturitatem, argumẽtorum acumen, obiectorum retunsionem, historiæ eruditionem, Pontificumque Diplomatum praxim, quænam eorum sibi vindicet excellẽtiam adhuc nescias; Id tamen sciam tanti Viri probitatis, modestiæ, doctrinæ, hoc vnum elogium esse plenissimum. Dignum itaque censeo Typis demandari, vt veritas, quæ varias hactenus passa est eclypses, tenebris omnibus eliminatis, Sole splendidior effulgeat. Datum Arimini die 26. Aprilis 1688.

Fr. Ioan. Bapt. de Medico à Foroliuio Minist. Prouincialis, & Commissarius Generalis Prouinciæ Bononiæ.

Loco ✠ Sigilli

DE mandato Reuerendiss. P. Magistri Antonij Auersana S. Francisci Generalis Ministri Tractatum veritatum fundamentalium Ordinis S. Francisci Min: Con: à Reu., Am. Patre Magistro Carolo Rainerio eiusd. Ordinis elaborarum, diligentèr legi, in quo præcipua ingenij eruditione, atque subtilitate inueni mirum veritatis examen, nec non nostræ Religionis singularem vtilitatem, nihilque in eo bonis moribus, Romanæque Ecclesiæ inconsonum perspexi: hinc ego subscriptus luci mandandum dignissimum sentio.

Fr. Hyacintus Battaglia ab Arimino Artium, & S. Theologiæ Doct., ac suæ Prouinciæ Bononiæ perpetuus Diffinitor.

FR:

FR: IOSEPH MARIA BOTTARIVS VENETVS

Artium, & Sacræ Theologiæ Doctor Totius Ordinis Sancti Francisci Minorum Conuentualium Minister Generalis Septuagesimus sextus post Sanctum Patriarcham Franciscum.

CVM aliàs Liber elaboratus à P. Mag. Carolo Rainerio ab Arimino nostri Ordinis Minorum Conuentualium, cui titulus *Tractatus vnicus veritatum fundamentalium Ordinis Minorum Conuentualium, &c.* de mandato Reuerendiss. P. Mag. Antonij Auersanæ de Auersa mei Antecessoris fuerit reuisus, & approbatus à PP. Magistris Io: Baptista de Medico tunc Prouinciæ Bononiæ Ministtro Prouinciali, & Hyacinto Battaglia Ariminensi, ac proinde pro prælo dimissus, cùm in præsentiarum lucem dumtaxat sit visurus, Nos eandem facultatem confirmatam volumus, vtque typis detur concedimus fer. fer. Dat. Venetijs 29. Iulij 1693.

Fr. Ioseph Maria Bottarius Venetus totius Ord. Min. Conuentualium Minister Generalis.

Loco ✠ Sigilli.

Fr. Iulius Forestius Venetus Secretarius, & Assistens Ordinis.

Reuideatur iste Liber pro impressione obtinẽda per D. Ioseph Malatestam Garuffium pro Eminentiss. D. Episcopo.

Ioannes Fontana Vic. Generalis.

EGo infrascriptus pro Emo, ac Rmo D. D. Dominico Maria Card. Cursio Episcopo Arimini de mandato Illustriss. & Reuerendiss. D. Io: Fontana eiusdem Vic. Gen. perlegi, & examinaui ea qua debui attentione Librum, cui titulus est: *Tractatus vnicus veritatum fundamentalium, &c. à Fr. Carolo Rainerio Ariminensi propugnatarum*: in quo nil reperi, quod bonas offendat aures, quodue Fidei Catholicæ repugnet, sed fundamentis, rationibus, & eruditionibus vndequaque refertum, per quod ingenium Auctoris mirè elucescit, atque Veritatis Assecla verè dicendus videtur, ideo Calchographiæ prælo posse submitti censeo, si ità videbitur, &c. Dat. Arimini VII. Kal. Iulij 1688.

Ego Ioseph Malatesta Garuffius Sac. Theol. Doct. & publicus Philosophiæ Lector, ac Bibliothecarius Ciuitatis Arimini manu prop.

Ego

EGo infrascriptus de mandato Reuerendiss. P. M. Fr. Francisci Octauij de Orestis à Nicæa Arimini Inquisitoris Generalis legi, attenteque examinaui Opus, cui Titulus: *Tractatus vnicus Veritatum fundamentalium Ord. Min. Conuentualium à F. Carolo Rainerio Ariminensi eiusd. Ord. Asceta Artium, & Theol. Doct. propugnatarum*: in quo nil, quod Fidei Catholicæ, sanis auribus, bonisq; moribus obstet, comperi, quapropter dignum, quod typis tradatur adsero, si ijs, ad quos spectat ita videbitur. Ex nostro Ven. Monast. S. Nicolai ad Portum Arimini die 6. Augusti 1688.

Ego D. Purpurinus à Fauentia Ab: eiusd. Monasterij, ac S. Officij Arimini Consultor.

EGo Franciscus Marazzanus Soc. Iesu Theol. ex mandato Remi P. M. Fr. Francisci Octauij de Orestis Inquisitoris Arimini, &c. vidi Librum, cui titulus est: *Tractatus vnicus veritatum fundamentalium Ord. Min. Conuentualium à F. Carolo Rainerio Ariminensi eiusd. Ordinis Asceta Art. & Sac. Theol. Doct. propugnatarum*, & nihil in eo reperi contra bonos mores, nec contra Ortodoxam fidem; quare censeo typis mandari posse, si, ad quos spectat, ita videbitur. Dat. Arimini 29. Iulij 1688.

Attentis prædictis Attestationibus Dominorum Reuisorum.

Imprimatur.

Fr. Franciscus Octauius de Orestis Ord. Prædic. Inquisitor Arimini, &c.

Protestatio Auctoris.

S*Anctæ mem. Vrbani Octaui, & Vniuersalis Inquisitionis Decretis* 13. *Maij* 1625. *latis, ac* 15. *Iulij* 1634. *confirmatis, declaratis verò* 5. *Iulij* 1631. *pareo humilitèr, vnde si aliquid in hoc Tractatu tangerem circa famam, sanctitatem, ac optimam aliquorum opinionem nondum ab Ecclesia Catholica canonizatorum, vel beatificatorum, id non excedere volo fidem humanam, & fidem stare penes auctores humana loquentes, adsero, & protestor.*

INDEX

INDEX

CAPITVM, ET DISSERTATIONVM.

CAPVT PRIMVM.

CAPVT

CAPVT VIII.

REgulam, quam profitentur Minores Conuentuales, eandem esse essentialitèr ostenditur cum illa, quam profitentur Minores Regularis Obseruantiæ, & S. Pater Franciscus ordinauit.

CAPVT IX. ET VLTIMVM.

PAupertatem Minoriticam non habere repugnantiam ad possidendum in communi, essentialitèr non excludere dominium in communi, neque proprium eius distinctiuum esse repugnantiam dominij in communi conuincitur.

DISSERTATIO PRIMA.

PRopugnatur Conuentus Riui Torti primatus.

DISSERTATIO SECVNDA.

ASsisiensem Basilicam, in qua S. Patris Francisci Corpus requiescit, Caput, & Matrem Ordinis Minorum esse conuincitur.

DISSERTATIO TERTIA.

PRimum lapidem non iecisse S. Patrem Franciscum sui Ordinis in Ecclesia S. Mariæ Angelorum ostenditur, vndè nec Caput, nec Mater, nec Princeps sui Ordinis dicenda venit.

SERIES

SERIES
RERVM NOTABILIVM.

Quid

D

E

F

G

P

Q

R

Repu-

ARBORIS

ARBORIS EXEGESIS

Ad Lectorum captum.

VRBEM contenderat anno 1210. Sanctus Pater, & Patriarcha FRANCISCVS vnà cum Ouibus vndecim, quas è deserto sæculi ad Christi Domini caulam reduxerat, vt se cum illis ad Pedes Summi Pastoris Innocentij Tertij, qui tunc præerat Ecclesiæ Dei, prosterneret, & ab eo exposceret Regulæ, breui sermone digestæ, approbationem, confirmationemque. Verùm grauissimis negotijs Pastor impetitus, repulsatus est cum suis prima vice ab eius conspectibus; res insecunda turbauerat Franciscum, & filios, sic Deo disponente, & ordinante; Nocte post heri dum se sopori cōmisisset Antistes, in somnis hac reuelatione donatus est, eadē monitus, vt Pauperculis ad se reuocatis, fauoribus prosequeretur. Palmulam suos inter pedes exorientem vidit, quæ paulatim supercrescens procera euasit arbor: Nox nocti indicauit scientiam; arborem, præsignatam concepit ignotam esse sibi familiolam Francisci, quæ inter pedes eius plantata, non multo post in elatam euehi debebat, rore Diuino manante irrigatam, gloriosam Palmam. nocte depulsa, cùm Solis iubar illuxisset Orbi, ad se accito Frācisco, & Socijs, ad pedis osculum admissis, Regulam approbauit, confirmauit, & Apostolico robore muniuit; iuxta illam ad vota admisit, & dimisit in Patriam. Hæc ex D. Bonauentura referente in legēda S.P. Frācisci cap.3., ex quo Chr. Vlys. p.p. lib.p.cap.23. primę regulę. Vuading. to. p. ad annum 1210. & alij, refero,

& exemplum ad similitudinem prototypi figuratum in huius Operis fronte reposui, vnà cum ramis eius, qui varijs interuallis temporum à visceribus palmæ haud illiberis, & nunquā effœtæ, exgrumarunt. Vt autem & ramorum eius ortum, ac progressum rectè percipias vrbanissime Lector, do tibi tempus omne, & reportantes Auctores, quos ad placitum pro veritate valebis adire; Ramos autem erumpentes ab Arbore, intelligas nouas pullulatas Congregationes, & emersas in dies suos.

1. Prima Congregatio fuit Cæsarenorum, ortum duxit à Fratre Cęsario S. P. Francisci discipulo anno 1239. Rodulphius lib. 2. Hist. Seraph. fol. 155. de quibus scribit; *Ad annos sexaginta tres in Syluis, & Saltibus duram vitā actitarunt.* Gabriel Faber in Arbore Seraph. de Seraphica Relig. & varijs Congreg. Vuading. to. p. ad annum 1239. Chronol. Seraph. fol. 23. Orb. Seraph. to. p. lib. 5. fol. 600. cap. 4. n. 58.

2. Secunda Congregatio fuit Cęlestinorum multis Auctoribus initiata, præsertim Conrado Offidano, Iacobo Tudertino, Petro de Monticulo, Thoma de Treuio, & Conrado Spoletano; hi omnes anno 1292. à S. Petro Cęlestino Summo tunc Antistite facultate donati sunt inhabitandi vbi ipsis arrideret; dixit illis Caput Fratrem Liberatum; iussitq; nuncupari Pauperes Eremitas Domini Cęlestini; sed à Bonifatio Octauo rescissis Cęlestini Priuilegijs, anno 1307. circitèr extincta fuit. Faber in arb. cit. Vuading. to 2. ad an. 1294. n. 9. & to. 3. ad annum. 1307. n. 2. Orb. Seraph. to. p. lib. 5. cap. 5. a num. 64.

3. Tertia fuit Clarenorum a Fr. Angelo de Cingulo initiata anno 1302, qui extiterat de Cœlestinorum Congregatione, dicta Clarenorum, vel à Claro flumine, vel à Monte Claro inter Asculum, & Nursiam, vbi primum Domicilium erexerunt. Faber in arb. cit. huius Congregationis exordium agnoscit anno 1294. vnà cum Cœlestinis, ea forsan de causa, quia Angelus à Cingulo fuerat de Cœlestinorum Sodalitate; vnita fuit Obseruantibus à Leone X. anno 1517. & penitus extin-

extincta à B. Pio V. anno 1568: 1570: & 1573. Vuading. to. 3. ad annum 1302. n. 3. Orb. Seraph. to. 1. lib. 5. cap. 6. fol. 606. a num. 75. & n. 87. Chronol. fol. 36. & 37.

4. Quarta fuit Acclarenorum, seu Clarenulorum, qui eodẽ tempore supradictorum extiterunt, & sub obedientia Episcoporum se receperunt, recedentes a Clarenis, cum quibus fuerant vniti. ab Innocentio Octauo dato Breui 1486. *Eremitarum vita*, in vita Eremicolarum genere confirmati, ad distinctionem Clarenorum linguam in extremitate Caputij gerebant a tergo. Chron. Vlysip. p. 3. lib. 6. cap. 29. eosque Clarinos vocat Faber in arb. cit. Chronol. fol. 37. ex Gonzaga lib. 1. fol. 20. initio. Orb. Seraph. tom. 1. lib. 5. fol. 609. n. 80.

Quintum locum aliqui dederunt cuidam Narbonensium Conuenticolæ, qui anno 1314. circiter, viduata Ecclesia ob Clem. V. felicem transitum, in numero centenario, & vigesimo, recedentes à legitimorum Superiorum iugo, Pseudosuperiores auctoritate propria sibi erexerunt; habitus strictos, & curtos assumpserunt, & quod peius est Ioanni XXII. restiterunt; vnde quatuor ex illis in hæresi obstinati, eiusdem iussu flammis deuorandi traditi sunt; extat eiusdem Pontificis contra eos Decretalis Quorundam de verb. signif. in 6. Vnde non Congregationis nomen meretur, sed rebellis Pseudocongregationis, vt in Chronol. Seraph. fol. 42. Chr. Vlysip. p. 2. lib. 7. cap. 31. & 33. Vuading. to. 2. & 3. ab anno 1278. n. 28. ad 1318. n. 9 & seq. Orb. Seraph. to. 1. fol. 674. vbi illos confundit cum Fratribus spiritualibus, qui anno 1311. egerunt contra Ordinis Communitatem coram Clem. V. in Concilio Vien., quorum actus clamoribus, vt pacem foueret, edidit Decretal. *Exiui*, &c. Verùm cùm isti petita obtinuerint, capere nequeo, qua de causa post aliquot annos pessima patrati sint sine motiuo id agendi, cùm nullum ad malum agendum potuerint adducere motiuum; dimissam igitur illam facimus à numero Congregationum; licet etiam in Arbore Fabri locum habeat.

5. Quinta fuit Gentilium à Fratre Gentili Fulginate. Is anno 1352. à Clemente VI. obtinuit loca quatuor cum facultate alendi in eis duodecim solummodo fratres ad illum è Religione accedentes, vel à sæculo aduentantes, de hac nullũ habemus progressum, statim igitur expirauit. Arbor Seraph. Chron. P. Marci p. 3. fol. 1. & p. 2. lib. 9. cap. 12. & 13.

6. Sexta, quæ & celebris euasit, & in Ordinem plenum aucta est, & accreuit, fuit Fratrum de Familia, dicti postea Regularis, seu Strictæ Obseruantiæ, qui anno 1368. Fratre Pauluccio Vagnotio, seu Trincio duce, originẽ suã à Conuẽtualibus duxerunt in loco S. Bartholomæi Brulliani, concedente recessum F. Thoma Frignano tunc Ministro Ordinis Minorũ Generali. Rodulph. lib. 2. fol. 152. Chron. Vlysip. p. 2. lib. 9. cap 26. fol. 54. & 3. p. lib. p. cap. p. fol. 2. Arbor Seraph. & alij, vt dicetur cap. p. & 6.

7. Septima fuit Coletanorum fundante B. Coleta sub Benedicto XIII. anno 1406. durauit vsque ad Leonem X. anno 1517. Rodulph. citat. fol. 155. Arbor Seraph. Chronol. fol. 89. Vuading. tom. 4. anno 1380. n. 12. Orb. Seraph. to. p. fol. 614. ad 631.

8. Octaua fuit Amadeorum à B. Amadeo Lusitano incepta, qui Assisij in numero cooptatus Laicorum, Sacerdotio dehinc decoratus, anno 1460. in Conuentu B. Mariæ de Pace Mediolani, vt ex Bulla Sixti Quarti *Pastoris æterni*, Romæ 1471. huius Congregationis meruit esse Auctor. Vuading. tom. 6. 1472. n. 26. Orb. Seraph. to. p. fol. 635. lib. 5. exierunt à Conuentualibus, & sub ijsdem traduxerunt obedientiæ iugũ: vt ex cit. Bulla, & alijs, deuotionis augmentum 1482. & hodie dilectis filijs 1482. Rodulph. lib. 2. fol. 156. Vlysip. in Chron. p. 3. lib. 6. cap. 30. Vuading. to. 7. 1482. n. 66. & 67. ad annum 1517. vsque perdurarunt.

9. Nona Congregatio fuit Villacretiana, à Petro Villacretio, inter Conuentuales laurea donato, anno 1402. habuit in familia sua B. Petrum Regalado, & primum pedem posuit in solitudine inter Oppida Tondillæ, & Pennaluerij ad deuotissimam

ſimam Ædiculam B. Mariæ Virginis de Saliceto in Hſpania Diœceſi Burgenſi. Durat adhuc diffuſa in Indiarum Oris. Chron. Vlyſip. p. 3. lib. p. cap. x. vbi de B. Petro Regalado. Vuading. to. 4. 1376. n. 19. & to. 5. 1422. n. p. ibid. 1404. n. 14. & 1448. n. 7. Orb. Seraph. to. p. lib. 5. fol. 657. Vide quæ dicemus cap. 6. concl. 2. fine prob. primæ.

10. Decima fuit Neutralium, quæ inſurrexit anno 1463. ſic appellata, quaſi mediaret inter Conuentuales, & Obſeruantes, parumue durauit. Vuading. to. 6. ad ann. 1463. n. 25. Orb. Seraph. 3. p. lib. 5. fol. 659.

11. Vndecima fuit Capriolorum à Fratre Petro Capriolo cępta, vt inquit Sixtus Quartus in Bulla *Superioribus diebus* 1472. Romæ lata; habuit initium anno 1467. Vuading. to. 6. ad annũ 1467. n. 9. Orb. Seraph. to. p. fol. 659. ſub Obedientia Minorum Conuentualium in Territorijs Brixienſi, Bergomenſi, & Cremenſi, durauit vſque ad annum 1480. Rodulph. lib. 2. fol. 157. Chronol. Seraph. fol. 140. licèt in ipſis ſit error, cùm velint incęptam anno 1477. Fab. in Arb.

12. Duodecima fuit Fratrum de Sancto Euangelio, ſeu de Caputio, vel Diſcalceatorum, & Recollectorum, quos ſub diuerſis nominibus eandem fuiſſe Congregationem autumat P. Arturus in addit. ad Martyrol. Franciſ. fol. 651. col. p. S. 210. cit. à Chronol. Seraph. fol. 319. initium ſumpſit anno 1500. Auctore Fratre Ioanne de Guadalupe prope Trugillum in Prouincia Extremadurę ſub Alexandro VI. & Ægidio Delphino Miniſtro Ordinis Generali; durat adhuc ſub obedientia Patrum Obſeruantium, cùm olim fuerint ſubditi Conuentualibus. Chron. P. Vlyſip. 3. p. lib. 7. cap. 37. 4. p. lib. p. à primo ad vndecimum cap. Arbor Seraph.

13. Tertiadecima fuit Paſchalitarum à Ioanne Paſquali, Fratris Ioannis de Guadalupe diſcipulo, & fideliſſimo Socio, inuenta, & in Gallitia fundata auctoritate Pauli III. anno 1541. anno ſeptimo ſui Pontificatus, fuit ex Min. Conuen., vt teſtatur præfatus Pontifex *Exponi Nobis*, *&c.* Romæ 1545. Orb. Seraph. to. p. lib. 5. fol. 614. quo mortuo, Conuentus ab eo

erecti vniti fuerunt alijs à S. Petro de Alcantara exedificatis, & instituta Prouincia S. Ioseph sub Obedientia Ministri Generalis Conuentualium tempore Pij IV. Gonzag. in Chron. p. 2. fol. 1131. de Prouincia S. Ioseph. Orb. Seraph. to. p. lib. 5. fol. 664.

14. Quartadecima Congregatio Insignis fuit Patrum Capuccinorum Auctore Fratre Matthęo de Basso Regularis Obseruantiæ alumno, qui anno 1525. obtinuit à Clemente VII. viuę vocis oraculo Facultatem deferendi Habitum Capuccinorum, Frater verò Ludouicus Tenaglia à ForoSempronij, & Fr. Raphael eiusdē sanguinis Frater, cùm essent ipsi quoque ascetę Patrum Regul. Obser. obtinuerunt Diploma ab eodem Pontifice 28. Maij 1526. ferendi prælibatum indumentum, illudque alijs concedendi; Verùm instantibus PP. de Obseruantia, idem Pontifex annullato diplomate, prohibuit sub anathematis laqueo deferri posse acuminatum Caputium, vnde his permotus Fr. Matthæus, deposito habitu, ac Capuccio, ad Obseruantes redijt, & Venetijs excessit è vita. Fratres Ludouicus, & Raphael inter Conuentuales se receperunt, cum quibus per tempus conuiuentes anno 1528. 3. Iulij de Licentia Ministrorum Conuentualium ab eodem Summo Pastore obtinuerunt aliud Breue: *Religionis zelus, &c.* quo illis data est facultas eundem Habitum, Caputium idem, itemque Barbam deferendi sub eremitica vita, & alios ad idem Institutum recipiendi, sub obedientia tamen Ministrorum Conuentualium; vnde & illos hac de causa Conuentuales fuisse, & ab ipsis exijsse comprobatur. Bullar. Rom. to. p. fol. 589. Paulus postea Tertius in Bulla *Exponi Nobis*, vt in Bullar. cit. fol. 632. ad Religionem euexit. Chronol. Seraph. fol. 259. id scribit. Idem etiam Paulus V. anno 1617. per Bullam, quæ exorditur, *Pastoralis officij, &c.* concedit Capuccinis Fratribus, vt possint in Processionibus propriam deferre Crucem, & sic à se ipsis Corpus Religionis eformare; prius enim Patrum Conuentualium Crucem, à quibus traxerant originem, vt supra, in Processionibus sequebantur. Chron. Vlysip.

p. 3. lib.

p. 3. lib. 9. à cap. 15. Arb. Seraph.

15. Quintadecima fuit Reformatorum Obseruantium: originem, atque progressum eorum describit Chronol. Seraph. fol. 241. *Circa hac tempora*, inquit, *initium sumpsit Reformatorum Fratrum in Ordine Minorum proficuum, atque laudabile Institutum, quod licèt anno 1525. stabile initium posuerit, attamen ab anno 1578. per varios successuum anfractus coruscare cępit*. Auctor eorum agnoscitur P. Marianus de Florentia, pręcipuus saltem. Chron. Vlysip. 4. p. lib. 8. à cap. 56. anno 1523. Fabr. in Speculo fol. 18., ac in Arb. cum Chronicis cit. agnoscit eorum initium anno 1632. quando obtinuerunt confirmationem à Clemente VII.

Congregationem Hieronymi Lanzæ Eremitarum anno 1545. à Iulio III. Summo Pontifice approbatam, & confirmatam, *Exponi Nobis, &c.* 24. Maij 1550. cum Minoriticis asserit iungendã Orb. Seraph. to. p. lib. 6. fol. 665.; sed cum Auctor eius sęcularis, & vxoratus fuerit, vtriusq: Iuris Doct: ab illis dimouenda est; reliquerat is prima nuptiarum nocte intactam Sponsam, & torum, vt se Eremiticæ vitę donaret. Ipso defuncto, Pij IV. decreto circa annum 1562. extincta fuit, Professores eius adstricti conuolare ad aliquam ex approbatis Religionibus. Orb. Seraph. cit. to. p. fol. 666. scribit. *Vnde occasionem, & Originem traxisse dicerem, qui Patrum Conuentualium Reformatorum Congregationem postea introduxerunt*; sed de hac mox dicemus.

16. Sextadecima Congregatio fuit Reformatorum Conuentualium approbata, & confirmata à Sixto V. anno 1587. de qua Faber in Speculo fol. 18. scribit hæc, Tandem anno 1587. aliqui Reformati Obseruantes, nonnulli Eremitæ, & Tertiarij prodierunt, quos Sixtus Quintus in vnam redegit Congregationem sub Nomine Reformatorum Conuentualiũ, eamq: Ministris Conuentualibus subiecit; vnde hac de causa Reformatos Conuentuales appellatos iudico, non quia ex ipsis exierint, sed quia durante eorũ Congregatione, in antea & post approbationem, & confirmationem supradictam, sub

iugo obedientiæ Conuentualium iugiter vixerunt, quod manifestum est ex Bulla Sixti V. penes Roder. to. 2. bull. Bulla 3. Sixti V. fol. 483. in qua ipsos collectos in vnam Congregationem ex Obseruantibus, Eremitis, Tertiarijs, ac alijs, qui se voto vitæ Quadragesimalis obligauerant, sed postea extincti fuere (Hi autem, qui se tali voto obstrinxerunt, & postea confestim aboliti sunt, fuere Eremitæ Hieronymi Lãzæ, auctore P. Dominico de Gubernat. in Orb. Seraph. cit.) testatur idem Pontifex in Diplomate cit. incip. *Apostolici muneris solicitudo, &c.* Romæ 1587. idib. Octob. anno 3. Pontific. siquidem n. 4. hæc habet Pontifex.

Custodesq́, Prouinciæ in eis residere debeant (idest domibus Vrbis, & Conuẽtibus, ac Ciuitatis Neapolitanę, vt dixerat n. 3.) *etiã si aliqui Eremiticam, aliqui sub obedientia Fratrum Minorum de Obseruantia nuncupatorum* (fuisse autẽ prius expressè professos asserit initio Bullæ) *alij verò tamquã Tertiarij, aut alias aliam vitam duxerint, seq́, voto vitæ Quadragesimalis obligauerint, ac etiam si postea aboliti fuerint; à quibus omnibus votis, & professionibus, quatenus opus sit, eos, & illorum singulos plenariè absoluimus, & liberamus.*

Ab Vrbano Octauo, in Const. *Romanus Pontifex, &c.* edita Romæ die 6. Febr. anno 1626. anno 3. deleti fuerunt, ac reliquiæ eorum omninò rescissæ à Clemente IX. Bulla incip. *Debitum Pastoralis officij.* Romæ 16. Sept. 1667. anno primo, vt in Bull. Rom. to. 5. Bulla 8. Clem. IX. & altera incip. *Ex iniuncto.* Romæ 9. Martij 1669. vt in cit. Bull. Bulla 32. Clem. IX.

Has igitur Congregationes habes amice Lector in Arbore dispositas iuxta earum originem, & tempora, vt quæ antiquiores sunt, inferiorem locum teneant ad radices Arboris, quæ minus antiquæ, medium, & postremæ, caput, Omnibus appositus est numerus, iuxta quem, & primatum originis, & eius exegesim in vniuersali hac declaratione capere valebis.

ERRO-

ERRORES DETECTI

In antiquioritate P. Fortunati à Sospitello Lect. Theol. in Ordine strictioris Obser. Minorum.

ERROR PRIMVS

Dialecticus in Epistola ad Lectorem.

§ *De Antiquioritate : At in hoc Conuentualium Nomine latet æquiuocatio fallacia Organum.*

RESERATVR error manifestus. Si æquiuocatio est fallaciæ organum, ergo non erit essentialiter fallacia, contra omnes Summulistas, & Principem Dialecticorũ, & Peripateticorum, qui primo Elench. c. 3. initio diuidens fallacias in dictione, & extra dictionẽ, inter illas enumerat æquiuocationem; ait enim. *Modi autem redarguendi sunt duo: nam alij quidem sunt propter dictionem, alij verò extra dictionem, sunt autem ea quidem, quæ propter dictionem faciunt phantasiam, sex numero. hæc quidem sunt: Aequiuocatio, &c.* Consequentia probatur, nam Organum non est id, cui inseruit, vt Organum: patet de Organo musicali inseruiente ad cõcentum Musicorum, & ad sonum, nam neque est concentus, neque sonus, de corpore organico respectu animæ; vnde cũ Aristoteles 2. de Anima cap. 1. tex. 6. definit animam, ait: *Vnde Anima est actus primus corporis naturalis potentia vitam habentis, tale autem, quod vtique sit instrumentale.* Corpus autem naturale, seu phisicum instrumentale, seu organicum, ideò in obliquo ponitur in diffinitione animę, quia non est de illius quidditate, imò ab ea realitèr distinctum; quod ab Aristotele ibidem t. 4. docetur illis verbis. *Quoniam autem est corpus huiusmodi, vitam enim habens, non vtique erit corpus anima, non enim est eorum, quæ in subiecto; magis autem*

sicut

ficut fubiectum , & materia , neceffe eft ergo animam fubftantiam effe ficut formam corporis naturalis , potentia vitam habentis. Potentiæ animæ ex Scot. 4. d. 10. q. 7. A, & d. 44. q. 2. A. & d. 45. q. 3, M. aliæ funt inorganicæ, quæ in fuis operationibus non dependent ab organo, vt funt intellectus, & voluntas, aliæ funt organicę, vt funt omnes potentię animæ vegetatiuæ, & fenfitiuæ, imò & rationalis, quæ gradus fenfitiuæ, & vegetatiuæ virtualitèr includit; quæ potentię fiuè accipiantur pro facultate completa refultante ex organo, & perfectione, fiuè facultate animæ, fiuè pro ipfa fola facultate animæ, femper diftinguuntur realitèr ab organo, vt patet de potentia vifiua, auditiua, &c. Tandem aliæ funt facultates organicæ, aliæ inorganicę, iftæ funt Phyfica, Metaphyfica, Theologia; illæ vti Logica, Scriptoria, Pictoria, Medicina, omnes tamen à fuo fubiecto diftinguuntur realitèr, & organicæ ab inftrumento, quod confiderant, igitur fi æquiuocatio eft organum fallaciæ, non erit fallacia, fed erit eius Inftrumentum, nam Organum Grecè, idem eft, quòd Latinè Inftrumentum, ex Calepino, verbo Organum.

SECVNDVS ERROR.

Dialecticus in eadem Epiftola.

Eod. §. *Perpendas ergo, Lector amice, adiectiuum hoc Conuentuale multa fubftantiua & in vario, & in multiplici fenfu denominare. Dicitur namque Miffa Conuentualis, Ecclefia Conuentualis, Capitulum Conuentuale, Prior Conuentualis, Monachus, feù Frater Conuentualis, & Frater Minor Conuentualis.*

PRO hoc Errore aperiendo aduertere oportet, hunc terminum fignificatiuum *Conuentus* habere proportionem cum hoc alio, *Ciuitas*, nam ficut fe habent Ciues in Ciuitate, ita proportionalitèr habitantes Religiofi in Conuentu. Ciuitas autem fecundùm Ariftotelem lib. p. Polit. cap. 2. definitur,

nitur, quod fit *ex pluribus pagis Societas constituta quidem gratia viuendi, existens autem benè viuendi*; & iterum 3. Polit. cap. 6. fine, *Ciuitas autem est generum, pagorumque societas vitæ perfectæ, ac persufficientis, hoc est (vt diximus) benè, ac beatè viuere. Benè igitur agendi gratia ponendum est esse ciuilem societatem, non autem gratia simul viuendi.* Rursus lib. 7. Polit. cap. 10. *Ciuitas autem*, inquit, *communio quædam est similium gratia vitæ, vt maximè fieri potest optimæ.* vbi etiam assignans illa, quæ sunt simpliciter necessaria ad Ciuitatem constituendam, inter ea, inquit, *Quintum, ac primum, circa rem Diuinam cultus, quod vocant, Sacrificium; Sextum, quod est omnium summè necessarium, Iudicium pro vtilitate, & iustitia contrahentium.* Tandem lib. p. Oeconomic. cap. 1. *Ciuitas quidem*, inquit, *est multitudo domorum, agro, & pecunijs sufficientèr abbundans ad benè viuendum*; quæ postrema verba innuunt formale Ciuitatis, prima uerò, materiale, quod docuerat p. Polit. cap. 2. illis verbis, *Et certè secundum naturam prius est Ciuitas, quàm domus, & quàm singuli nostrum. Nam totum prius esse quàm partem, necessarium est, perempto enim toto, non erit pes, nec manus, nisi equiuocè.* & 3. Polit. cap. 6. vbi post multa ad id docendum concludit, *Ex quo patet, quod Ciuitas non est communicatio loci, & non iniuriandi sibi ipsis, & commercij gratia, sed ista quidem vt assint, necessarium est, siquidem futura sit Ciuitas, nec tamen si ista assint omnia, Ciuitas adhuc erit. At benè viuendi societas, & domibus, & generibus, vitæ perfectæ gratia, & per se sufficiẽtis.*

Ex tradita autem diffinitione Ciuitatis, quæ per varias differentias contrahitur, docet idem Aristoteles diuersificari specie Ciuitates, ita differendo lib. 7. Polit. cap. x. *Cum verè sit felicitas optimum, ipsa autem virtutis operatio, & vsus quidam perfectus, contingat autem ita vt aliqui illius recipiãt participationem, alij parum, aut nihil, manifestum est, quod hæc est causa, quare Ciuitatis species, & differentiæ existunt, pluresque rerumpublicarum formæ, per alium enim modum,*

& alijs

& alijs vijs singuli hoc appetentes, & alios viuendi modos fecerunt, & alias Reipublicæ disciplinas. Differunt ergo specie illę Ciuitates, & Reipublicæ, quæ varios benè viuendi modos, variasque disciplinas essentialitèr differentes sibipsis præscripserunt obseruandas.

Ciuitas ergo cùm sit quoddam totum habens formale, ac materiale, & materiale remotum sint saxa, domus, &c. proximum homines ætate prouecti ratione vtentes in vnum congregati; formale erit societas ad rectè viuendum, & honestè propter felicitatem, quæ ratio formalis est quid secundæ intentionis, cùm dependeat à puro actu voluntatis, nec sit, nisi dependenter ab illo; hanc autem rationem formalem non incongruum censeo nuncupare Ciuilitatem, quę sit abstractũ Ciuitatis, & Ciuitas sit eius concretum: à Ciuitate fit Ciuis, à Ciue adiectiuum Ciuilis Ciuile, &c. Ciuis autem est nomẽ concretum, inadequatum tamen Ciuitatis, nam vnus Ciuis est pars tantùm Ciuitatis, & omnes Ciues totum materiale Ciuitatis. Ciuis, quia est pars Ciuitatis, participat suo modo de ratione formali eius, quia est ille, qui societatem habet ad rectè, & honestè viuendum propter felicitatem, & adiectiuum Ciuile, importabit pro forma ciuilitatem, & cùm sit adiectiuum accidentale secundæ intentionis, denominabit accidentalitèr subiecta de quibus prędicabitur, sed semper vniformiter significando rationem formalem in omnibus, licèt non vniuocè prædicatam, sed vt prædicatum vniuocum; sic locus dicitur Ciuilis, domus Ciuilis, habitatio Ciuilis, Homo Ciuilis, &c. sed semper ly Ciuile importat relationem rationis Ciuilitatis, locus enim, domus, habitatio, & homo eatenus dicuntur ciuiles, quia sunt aliquid de societate, quæ dicitur ciuilitas, & ad illam constituendam suo modo concurrunt materialitèr.

Applicando modò dicta de Ciuitate ad Conuentum, sicut Ciuitas habet vnum quid essentialitèr, ac formalitèr illam cõstituens, habet suum finem, species, abstracta, concreta, denominatiua, denominata, partes, seù materiam, vel remotã,

vel

vel proximam,& formam; ita Conuentus: diffiniri ergo potest Conuentus, quod sit Societas multorũ Virorum, vel Mulierum in eodem loco congregatorũ ad rectè, sanctèq; viuẽdum iuxta regulam præscriptam, à Summo Pontifice approbatam, ad æternam felicitatem adipiscendam. Dicitur Societas, loco generis, nam etiam Ciuitas, ac Respublica sunt Societates multorum Virorum, ac Mulierum in eodem loco, dicitur etiam multorum, ad differentiam eremitoriorum, quę sunt loca paucorum remota; dicitur in eodem loco, quia vt constituatur Conuentus, necessaria est cohabitatio; dicitur ad sanctè viuendum, &c. ad differentiam Societatum purè naturalium: In hac autem diffinitione explicantur omnes quatuor causæ, nam dicitur Virorum, ac Mulierum in eodem loco, & exprimitur causa materialis, dicitur Societas, exprimiturque causa formalis; dicitur ad sanctè, &c. ad æternam felicitatem, &c. & finalis causa indicatur, tandem iuxtà Regulam, &c. & indicatur causa efficiens.

Sicut autem omnis diffinitio traditur de diffinito in esse signato, quę applicatur in esse exercito contentis essentialitèr sub diffinito, ita præfatæ diffinitiones Ciuitatis, & Conuẽtus traduntur in esse signato, applicantur postea exercitè diffiniendo contenta sub illis; abstractum Conuentus, est Conuentualitas, conuentus est concretum; denominans est Conuentualitas, denominatiuum est Conuentualis Conuentuale adiectiuum, nam hic conuentualis est aliud concretum substantiuum, denominata, sunt locus, Ecclesia, Capitulum, &c. de materia, ac de forma iam dictum est, Diuersitas specifica Conuentuum sumitur à diuersitate Regularum.

Aduertere secundò necesse est, denominatiua diffiniri ab Aristotele in antepręddicamentis cap. p. hoc modo, *Denominatiua verò dicuntur, quæcunque ab aliquo, differentia casu, secundum nomen habent appellationem, vt à grammatica grãmaticus, & à fortitudine fortis*. quam diffinitionem explicans Scotus q. 16. vniuers. ad primum, & q. 28. ad 3. docet, differentiam casu intelligi debere de sola differẽtia casu, idest incli-

inclinatione formæ ad subiectum, seu cadentia ad subiectum, vnde vult præfatam diffinitionem conuenire dumtaxat his, quę prædicantur in quale accidentale, non essentiale; iuxta quam explicationem, primò sequitur denominatiuum formalitèr, ac principalitèr significare idem, quod denominās, seu concretum accidentale principalitèr significare rationem formalem, abstracti, & connotare subiectum, quod docuit idem Doctor q. 8. prædicam: & consequenter non variari eius formale significatum, ex diuersitate subiectorum, quia subiecta expectant denominari à suis denominatiuis, habētibus ergo prius vim denominandi, & rationem formalem denominandi; quare equus non dat rationem formalem se denominandi album, albo, nec paries, nec domus, &c. tum quia, vt inquit Scotus cit. q. 8. prædic. §. ad quæst. omne concretum esset æquiuocum, quod est inconueniens, quia periret finis sermonis: quia vix posset aliquis determinatum conceptum exprimere; secundò sequitur denominatiua, prædicata vniuoca de suis subiectis esse quidem, quia de illis dicuntur secundum idem nomen, & eandem rationem formalem, non verò prædicari vniuocè, quia ratio formalis, non est de illorum quidditate, quod docuit idem Doctor p. d. 8. q. 3. § ad argum. opin. oppos. fine P. & alibi.

Modo aperitur error in pręfatis verbis, *Adiectiuum hoc Conuentuale multa substantiua & in vario, & in multiplici sensu denominare*. Contra est ex dictis. Denominatiuum, quod non est æquiuocum, sola differentia casu, idest cadentia ad subiectum differt a suo principali, & importat eandem formam pro per se significato, ac denominans, ergo eodem modo denominat subiecta diuersa. Denominatiuum est prędicatum vniuocum, ergo prædicatur de subiectis secundum idem nomen, ac rationem. Denominatiuum non sumit suum significatum à subiectis denominatis, ergo ad varietatem illorum eius ratio formalis, secundum quam solum habet vim denominandi, non variatur. Si denominatiuum ex differentia denominatorum variaret significata, ergo omne denomi-

natiuum

natiuum esset æquiuocum.

Item Conuentus habet proportionem cum Ciuitate, cuius est vna diffinitio, sicut & Conuentus, ab illa exeunt concretum, ac denominatiuum, quod ęqualitèr diuersa denominat, ergo sic erit dicendum; &c.

Hunc errorem sæpè repetit in eadem Epistola, vel cum subditur. *Affixi autem illius termini non est æqualis significatio, licèt ab vna, eandemque origine scaturiat. Primitiuum huius deriuatiui nominis Conuentualium, Conuentus est;* quibus paucis in verbis ponitur repugnantia, ac contradictio, nam si conuentuale ab vna, eademque origine scaturit, nempè à suo primitiuo conuentus, quomodo affixio eius ad diuersa erit inæqualis significatio? vel cum inferius dicitur. *Habere multis modis dicitur, ita esse Conuentualem, multis modis, & ad varios sensus refertur;* non curando modo discutere somniatam paritatem de habere, & esse conuentualē, de prædicamento, scilicet, & de denominatiuo, cùm illius sit habere species, & varios modos, ac differentias, quia genus, secus denominatiui conuentualis, & cuiuscumque denominatiui; vel tandem cùm concluditur. *Ex his patet, quàm multiplicitèr accipiatur hoc adiectiuum Conuentualis, & Conuentuale, quàm varia significet;* nam eosdem semper patitur incursus.

Subdit. *Licèt à Conuentu, vt nempe nomine deriuetur.* In quibus verbis, si velit Conuentus terminum importare puram vocem, non vnam rationem sub eadem voce significatam, obstat Conuentum diffiniri, vt diximus, sibique contradicit, cùm comparet conuentualem Habere, quod habet vnum conceptum, licet multis modis dicatur. Si verò nō neget sub nomine conuentus significari vnam rationem illi correspondentem, se ipsum impetit, negando Conuentuale habere vnum significatum, vt diximus.

Ex his conficitur nomen Conuentualis cum suo significato, deriuare à Conuentu, non vtcumq; vt prædicatur de Minoribus Fratribus, sed à Conuentibus coexistētibus Ecclesijs,

quæ

quæ ratione talis coexiſtentiæ fuerunt donatæ titulo *Conuentuales* ab Innocentio IV. anno 1252. ſeptimo Pontificatus eiuſdem ſub Dat. Lugduni nonis Aprilis, cuius Conſtitutionem verbatim affert ex authentico, vt proteſtatur in Epiſtola ad Lectorem, Ioannes Baptiſta Confettius in collect. Priuil. Sacr. Ord. Mendic. pag. 151. loco videlicet non ſuo, cum ſit tranſpoſita ante Pauli IV. Priuilegia; non enim Eccleſias voluit appellari Conuentuales, niſi à coexiſtentibus Conuentibus, ita vt à Conuentu, & non ab Eccleſia deriuet adiectiuũ *Conuentuale*; ex quo ruit argumentum, quod ſæpè repetit P. Fortunatus, quod ſi conuentuale prodiret à conuentu, etiã PP. Obſeruantes venirent nomine Conuentualium, quia tali Priuilegio non fruuntur eorum Eccleſiæ, ac Conuentus. Conſtitutionem Innoc. IV. præfatam eodem anno, loco, ac Menſe latam, inſpicere poterit, qui illam datam contendit alio tempore, anno, & menſe, etiam tom. p. Bullarij; differunt autem de hoc breui, ac titulo adiuncto Minoribus Conſtitutiones Piæ editę pro Minoribus Conuentualibus ſub Pio IV. & S. Carolo Protectore anno 1565. in Prętatione, his verbis. *Minorum titulo, in ipſis quaſi Religionis primordÿs ex Apoſtolica auctoritate nomen Conuentualium acceſſit, quod vſque hodie à nobis retinetur. Innocentius enim Quartus Pontifex Maximus Vir doctrina, & Sanctitate clarus, per Breue, quod in Archiuio Eccleſiæ noſtræ Sanctorum duodecim Apoſtolorum Romæ integrum ſeruatur, declarauit Eccleſias Fratrum Minorum, vbi eorum Conuentus exiſtebant, Conuentuales vocari: Vnde Conuentualium nomen Minorum titulo adiunctum eſt: Nomen quidem humillimum, quod nullum honoris, nullum dignitatis, vel ſanctitatis titulum præſefert: ſed tantum Minorum Fratrum ad vnam Regulam, ad vnamque vitæ Communitatem vniformem animum ſignificat.* Quibus etiam verbis vtuntur Vrbanæ Conſtitutiones æditæ anno 1628. in cap. p. Reg. Tit. 1. n. 2. Vide inferius cap. 3. per totum.

ERR. III.

ERROR TERTIVS
Logicometaphyſicus

Germanus autem ſenſus eſt, Quod Frater Minor Conuentualis eſt ille, qui Regulam Fratrum Minorum Sedis Apoſtolicæ priuilegijs mitigatam profitetur.

APeritur Error Dialecticus. Conuentuale vt appellat Minores non deriuat, ſecundum P. Fortunatum, à Conuentu, Collegio, Capitulo, &c. nec ab illis ſuam ſignificationem ſumit; & tamen à ſuo denominante oriri debet; ſi ergò diffinitur modo dato, Conuentualis, ſumet ſuam deriuationē à priuilegio, vel à mitigatione, ſed à Priuilegio ſit priuilegiatus, à mitigatione mitigatus, nunquā Cōuentualis, igr̄, &c.

Error Metaphyſicus: diffinitio tradita, eſt ſine genere, igr̄, &c. Antecedēs probatur, ſi genus in ea relucet, erit, profiteri Regulam Fratrum Minorum, differētia; priuilegijs mitigatā, ſed profiteri Regulam, &c. non eſt genus, quia ibidē P. Fortunatus vult Regulam modificatā eſſentialiter eſſe diuersā à Regula non modificata, & Conuentuales habere diuerſam Regulam eſſentialiter à Minoribus obſeruātibus, ergo, &c. & differre per diuerſæ Regulæ profeſſionē, ita vt Conuentuales non profiteantur eandem Regulam, igitur, &c. & hic apparet manifeſta contradictio Patris Lectoris, dum concedit Conuētuales profiteri Regulam Minorum, & poſt pauca idē omninò negat. Accedit, quod diffinitio, & diffinitum ſimul ſunt, & non ſunt, & conuertuntur ad inuicē, nec vnum poteſt eſſe ſine alio per quācumq; potētiam, Diuinam etiam, ſed prius eſt eſſe Fratrem Minorem Conuentualem, quam eſſe priuilegiatum in obſeruatione Regulæ, quia Priuilegia in Ordine Minorum incæperunt à Clemente IV, imò ab Alexandro IV, qui Pontifices fuerunt poſteriores Innocentio IV, concedente titulum Conuentualium Eccleſijs Minorum coexiſtentibus Conuentibus: nec conuertuntur ad inuicem Fr. Conuentualis, & Fr. Minor priuilegiatus, quia vnum poteſt eſſe ſine altero, & de facto extiterūt Minores in eſſe ſuo completo, & adequato

sine addito titulo, Conuentualium, possunt à Pontificibus expoliari priuilegijs non ablato titulo Conuentualium; possunt retento eodem titulo, Conuentuales aue dicere priuilegijs, igitur, &c. quod autem à priuilegio Innocentij pro Ecclesijs lato, dicti sint Minores Conuentuales, iam ostensum est ex Constitutionibus Pijs, & Vrbanis, & latè probat Pater Franchinus in Opusc. de antiquiorit: sect. 7.

QVARTVS ERROR
Elenchometaphysicus.

Minor autem Obseruans est ille, qui Regulam Minorum simpliciter profitetur.

MAnifestatur Error Elenchus decantatæ, ac iugis æquiuocationis vi illius Nominis, Obseruans: Aliud est esse Fratrem Minorem Obseruantem suę Regulę, aliud est esse Fratrem Minorem de corpore Fratrum Minorum nuncupatorum de Obseruantia; nam esse Fratrem Minorē de Obseruantia cadit supra personam innocētem, ac viuentem iuxta promissam Regulā S. Francisci, quomodo Obseruantes dici debent omnes Minores, qui illam inuolatè custodiunt, custodierunt, ac obseruabunt vsq; ad finē sæculorum, siuè in Ordine Minorum Conuentualium, siuè eorū qui de nuncupata Obseruantia dicuntur, siuè Capuccinorū; nam etiam inter Minores Conuentuales sunt, & fuerunt, ac erunt, qui in puritate Regulæ iuxta literam vixerunt, viuunt, ac viuent, cùm nullus eos prohibeat sic viuere; nam si caderet solùm supra Fratres de nuncupata Obseruantia, cœteri omnes dicerentur inobseruantes; imò in Ordine Patrū de nuncupata Obseruantia, inobseruantes Regulam, dicerentur obseruantes eandem regulam; esse autem Minorem Obseruantē, sic dictum, quia de corpore nuncupatæ Obseruantiæ, secundum hanc acceptionē veniunt dūtaxat Minores illi, quos voluit vnū corpus sub nouo capite efformare Leo X. Anno 1517. in Bulla concordiæ, quos à corporis

poris cõmunitate, & ab obedientia Ministri Generalis Minorum Conuentualium seiunxit, segregans illos ab vtero Matris suæ. Tertio etiam modo dici potest Minor Obseruans, qui profitetur post annũ suæ probationis obseruare Regulã Fratrũ Minorum simpliciter, vt iacet, sine priuilegio, ac mitigatione, siuè postea illam candidè obseruet, siuè violet in decursu vitæ suæ, & hoc modo nedum Fratres nuncupati de Obseruantia, vel de strictiori obseruantia, dici valent Obseruantes, sed etiam PP. Capuccini, imò potiori iure, vt mox dicemus.

En ergo error patens diffinitionis allatæ positæ in ęquiuoco; si enim nomine Obseruantis illum intelligit, qui Regulam Minorum simpliciter profitetur, idest candidè, ac inuiolatè custodit, falsum est hoc dici tantum de Fratribus Minoribus dictis de familia, seù nuncupatæ Obseruantiæ, vt dictum est; si verò accipiatur Minor obseruans pro illo, qui est de corpore cum capite nouo à Leone X. constituto, sic etiam falsum est, solum Minoribus de isto corpore conuenire professionem, idest obseruantiam Regulæ Minorum simpliciter, nam etiam conuenit Fratribus Minoribus Conuentualibus, qui volunt Regulam simpliciter obseruare, vt fit ab aliquibus sine vlla controuersia, & principalius à PP. Capuccinis; tandem si accipiatur tertio modo, etiam clarum est alijs à PP. de Obseruantia nuncupatis competere professionem obseruantiæ Regulæ Minorum simplicitèr, imò rigore potiori in primo capite, & gradu, & hoc euenit in PP. Capuccinis, qui puritatem Regulæ omnimodam in omni gradu promittunt, & obseruant, quod affirmari non potest de PP. dictis de Obseruantia, quòd facillimum est ostendere: etenim PP. Capuccini nullo prorsus Syndico adhærent, qui illis prouideat; prouisorem dumtaxat habentes, ad quem in suis necessitatibus recurrunt titulo charitatis, ac eleemosynæ, petentes ab eo an habeat modum illos subueniẽdi ex mera charitate, nil omninò penes ipsum deponẽdo, vel curando, vt deponatur: PP. verò de Obseruantia nuncupati, suos Apostolicos Syndicos habẽt.

De Syndicis, ac multiplicitate ipsorum ad longum differit

P. Dominicus de Gubernatis ſtrictioris Obſeruantiæ lib. 3. primi tomi Orbis Seraph. cap. 34. de quibus epilogando nu. 17. pag. 518. ſcribit. *Omnia itaque in compendium redigendo, Apoſtolicos huiuſmodi Syndicos in triplici differentia ex communi Doctorum conſenſu reperiri confitemur, quorum primus in maximo rigore, vt ſupra declaratum eſt, à Nicolao III. & Clem. V. fuit deſſignatus; ad quem ſtrictioris Obſeruantia Profeſſores ex ipſa ſua inſtitutione per Clem. VII. & VIII. aliorumque Pontificum decretales ſimpliciter obligantur. Ad ampliora ſe ſe protendit per Martinum iv. & v. inſtitutus, ſaluo tamen, vt cenſus, prouentus, & hæreditates nomine proprio iuridicè poſſidere non valeāt, qui Obſeruantibus etiam in puritate Regulæ viuentibus, per Vrbani viij. & Innocentij xi. Conſtitutiones expreſsè conceditur. Tertius omninò ampliſſimus, nec non cum inexcuſabili ſuper Regulam diſpenſatione, ad poſſidendas hæreditates, & prouentus nomine proprio iuridicè ſe ipſum extendens à Sixto iv. & Iulio ij. ſtabilitus, &c.*

Patres ergo de familia vtuntur ſecundo Syndico, quem cit. Auctor. n. 2. cōcedit eſſe citra rigoris apices, ſed non cōtra Regulæ puritatem, & diſpenſationem Regulæ, vt diffinierunt Clem. VII. & Innoc. XI. ab eodem loco cit. n. 9. allati, hoc autē ſecundo vti prohibentur PP. de ſtrictiori Obſeruantia, ſed nec primo, nec ſecundo vti valēt PP. Capuccini; quare? quia ſecūdus tollit rigoris apices, ergo PP. Capuccini obſeruant Regulam Minorū ſecundum omnes apices, & in omni rigore; ſi igitur Minor obſeruans eſt ille, qui profitetur Regulam Minorum ſimpliciter, PP. Capuccini erunt PP. Obſeruantes, hoc eſt de corpore nuncupatæ Obſeruantiæ, imò pluſquā Obſeruantes, quia ſicut ſe habet ſimpliciter ad ſimpliciter, ita magis ad magis, &c. Imò PP. Obſeruātes non erūt obſeruātes.

Aperitur error Metaphyſicus. Diffinitio tradita alijs à diffinito competit, ergo non eſt quod quid eſt PP. nuncupatorum de Obſeruantia, antecedens patet, quia competit PP. Capuccinis, vt oſtenſum eſt, ergo, &c.

Item præfata diffinitio non conuenit diffinito, igitur, &c. antece-

antecedens probatur; Nam licet PP. de Obseruantia nuncupati, oretenus in profitendo Regulam Minorum, nil addant, tacitè tamen illam intendunt profiteri iuxtà vsum, & consuetudinem suæ Religionis, sed Religio ipsorum non obseruat Regulam simplicitèr, igitur, &c. probatur minor, quia iuxtà concessiones B. Pij V. de quibus meminit ipsorum Rodericus to. 2. Bull. Apost. pro Regularibus pag. 428. & 429. possunt Superiores Ordinis eiusdem, vt ibi n. 22. disponere de pecunia expendenda per Syndicum, & quod ipsi Syndici nequeant de ea disponere, nisi in quibus, & quando Prælatus voluerit. Item concessit, ibi n. 23., quod de licentia Ministrorum licet Prælatis, & Fratribus recipere, & petere vinum, & alias eleemosynas in sua specie, & per Syndicum venundari, & talis pecunia possit licitè conuerti in vtilitatem Fratrum, & Conuentuum reparationem, & in alias extraordinarias necessitates pro tempore occurrentes. Item concessit (ibi nu. 24.) quod de licentia Prælatorũ recurrere possit Frater ad dictos Syndicos, & amicos spirituales, pro emendis quibusdam rebus, licet non sint admodum necessariæ. Item concessit, ibi num. 25., quod liceat congregare vinum, frumentum, & alia, quando Prælatis videbitur, quod in tali Conuentu aliter non possint commodè, vel decentèr subsistere, dummodo tales Congregationes non fiant nisi pro vno anno tantum. Item concessit, ibi n. 27., quod Fratres iter agentes de licentia Prælatorum, possint secum ferre famulum cum pecunia, quando alio modo iter agere commodè non possunt. Item vigesimosexto eiusdem Mensis, & Anni, idest 1566. 6. Maij, idem Pius V. concessit Prælatis, aut Religiosis, de eorum licentia, vt possint procurare pecunias, non solùm pro vrgentibus necessitatibus, sed etiam pro his, quæ non ità necessariæ sunt: imò pro superfluis, & curiosis; v. g. pro ornamentis, & ædificijs sumptuosis (ædificia sumptuosa, & paramenta pretiosa pro sacris olim concesserunt etiam Leo X. sicut, & vasa magni pretij pro Sacrario, & Ecclesia, licet in numero, & pretio Euangelicæ paupertati derogare videantur decla-

rando illos custodes rerum prędictarum: Bullam adfert Rodr. to. p. priuil. pag. 281., cuius summarium est, *Concedit, quod Fratres Minores possint habere domos amplas, & curiosas, & ornamenta Ecclesiastica*; incipit. Dilectis filijs Generali, & Prouincialibus, Vicarijs, Guardianis, & Fratribus Ordinis Fratrum Minorum de Obseruantia; ante quam concessionem, quia hæc omnia habebant, Fratres aliqui moliebantur in heremitoria se recipere, & relinquere Conuentus) item non solùm pro necessitatibus præsentibus, & eminentibus, sed etiam pro futuris, pro quibus eleemosyna procurata erit, apud Syndicum deponatur. Item cōcessit, quod non sint obligati quando petunt pecuniam explicare necessitatem in particulari, sed quod possunt procurare denarios, vel pecunias pro necessitatibus in generali, & data pro vna particulari necessitate, possint in alteram, ordine Syndici, deputare: aduertit tamen ibi Roder. his concessionibus posse dumtaxat vti de licentia Generalis.

Ex quo patet vi Regulæ non posse Patrem Generalem illis adhęrere, & concedere Fratribus, sed dumtaxat fretum auctoritate Pontificia; quid autem sit hoc, cogitent qui non sunt mente capti. Pater autem Generalis, vel expresse, vel tacitè, has concessiones liberauit Conuentibus omnibus, & illis posse liberè vti admisit, nam omnes, nullo excepto, vtuntur, & habent horrea pro frumento, doliaria, seù cellas vinarias cum dolijs plenis mero per integrum annum, ita vt paucis in locis vina ostiatim mendicent, sicut faciunt quotidie Patres Capuccini cum suis doliolis, & scirpeis fiscellis.

Alias etiam concessiones habent à Gregorio XIII. de retinendis vineis, colligendo ex illis vinũ, de Pratis, &c. de quibus omnibus non pigeat legere Speculum Franciscanæ Religionis P. Gabrielis Fabbri pag. 29. 30. 31., & iterum à pag. 149. Item Leo X., nec dum mense expleto post secundam Bullam vnionis, concessit, quod Fratres Minores Regul. Obseruantiæ possint recipere aliqua, quibus opus non habent, & ea pro alijs commutare, videlicet, triticum, panem, ac frumen-

frumentum, ac alias res superabundantes huiusmodi, &c. Roder. cit. p. tom. pag. 286. Bulla 13., igitur, &c.

ERROR QVINTVS

Imposturæ.

Necesse habui, Amice Lector, has assignare diffinitiones, cum enim, teste Aristotele 2. Post., definit. medium sit in demonstratione potissima, in qua demonstratur passio de subiecto; Pater autem Franchinus Antiquioritatem vti passionem de Minoribus Conuentualibus, vel vti de subiecto demonstrare intendat, oportuit legitimam subiecti diffinitionem producere.

MAnifestatur impostura. Aliud est ostendere antiquioritatem præ obseruantibus Conuentualibus conuenire, aliud est, illam esse passionem per quod quid est demonstrabilem; primum ostendit P. Franchinus sollidè, ac inconcusè; secundum nec somniauit, quia cessantibus Fratribus de Obseruantia, vel si non fuissent essent, Minores Conuentuales, sed dici non possent antiquiores, quia non haberent quibus antiquiores dicerentur, non est ergo passio, quæ debeat demonstrari per diffinitionem subiecti antiquioritas, sed est accidens prædicabile, aduèniens Conuentualibus occasione exitus, ac inceptionis ab ipsis Minorum de Obseruantia nuncupatorum.

ERROR SEXTVS

Anathematizatus.

Ibi. *Regula Minorum in suo rigore non modificata, diuersa est à Regula Minorum priuilegijs Apostolicis mitigata. Nec tamen velim accipias hic modum in rigore philosophico, qui scilicet non variat rem, cuius est modus, sed in sensu morali diminuente; Priuilegia namque mitigatiua; per quæ modificata est Regula Minorum, eius de substantia diminuunt, dum infringunt paupertatem in communi (vt cætera interim omittam) cuius prærogatiua præ omnibus Ecclesiæ Catholicæ Religionibus, singularis euadit, vnde Regula modificata, & non modificata substantialitèr differunt.*

DImitto apertam contradictionem, quam in præfatis verbis admittit P. Fortunatus; paulò enim superius in diffinitionibus discussis, pro genere, posuit obseruare, seu profiteri Regulam Fratrum Minorum, conuenientem, tam Conuentualibus, quàm Obseruantibus, quod iterum repetit in Prologom. §. p. n. 2., pro differentijs, priuilegijs mitigatam, & simplicitèr; hic autem, vix elapso instante, negat PP. Conuentuales profiteri eandem Regulam, affirmans substantialitèr diuersam profiteri.

Dimitto item, trutinare nouam doctrinam, quod modus in genere moris diminuat substantiam, cuius est modus, & ponat differentiam substantialem cum re modificata: Si enim modus philosophicus, vt ibi fatetur, non variat rem, cuius est modus, idem erit dicendum de modo morali, etenim si modus in genere diffinitur, quod sit adiacens rei determinatio, quodque sit qui non variat rem, cuius est modus, cum sit illa posterior, cur modus moralis non participabit hæc eadem prædi-

prædicata? Sed hoc non vacat modo discutere, cum sit res notissima, nullum modum variare intrinsecè rem, cuius est modus.

Error in proposito nostro consistens in illis verbis, quod Regula modificata, & non modificata substantialitèr differant, eo quod Minores Conuentuales profiteantur Regulam diuersam à Regula, quam profitentur Minores nuncupati de Obseruantia, iam pridem fuerat reiectus à Clem. VII. in Bulla incipiente *Religioni deditis*, quam affert Confettius cit. pag. 143. cuius summarium extat. *Declarat Fratres Minores Conuentuales sub obedientia Magistri Generalis existentes, iuxta B. Francisci Regulam viuere, & priuilegijs vniuerso Ordinis concessis, vti, & frui posse.* Verba Bullæ sunt. *Auctoritate Apostolica decernimus, ac declaramus Vos, & pro tempore existentes Fratres Conuentuales Ordinis Minorum sub Mag. Gen. viuentes, non alitèr, quàm iuxta B. Francisci Ordinis vestri Institutoris* (audiant qui negant Fratres Minores Conuentuales fuisse institutos à S. P. Francisco) *Regulam viuere, nec non priuilegijs, &c.* Vrbanus verò VIII. ad tollendam omnem licentiam super hoc, excommunicationis gladio percuti, ac feriri vult omnes, qui negant Fratres Minores Conuentuales cum suis Priuilegijs Regulam obseruantes, esse veros obseruatores Regulæ S. P. Francisci.

Do verba Summi Pontificis allata in Constitutionibus Vrbanis Ordinis nostri in cap. p. Regulæ tit. 2. n. 2. & 3. *Ad eorum verò temeritatem coercendam, qui dicterijs, captiosisque verbis Ordinem insequentes, Regulæ transgressores Conuentuales vocant, quod non ad literam sine glosa, sed ad præscriptum Priuilegiorum, Apostolicarumuè declarationum S. Francisci Institutum obseruent; Monemus omnes, & singulos, quod quisquis seu dictis, seu scriptis, Fratres Minores Conuentuales, iuxta has Constitutiones viuentes, non esse veros Regulæ S. Francisci obseruatores, ausus fuerit quoquomodo asserere, mox Apostolicæ Sedis excommunicationem se se incurrere sciat.*

Cum enim neminem astringere possit S. Francisci Regula, nisi

nisi quia à Summis Pontificibus, & Apostolica Sede approbata, confirmata, & recepta, hanc ob rem ipsius Sanctissimæ Sedis arbitrio est, eam pro tempore sic declarare, mitigare, interpretari; & quod Fratres sic declaratam firmiter, & fideliter obseruantes, veri filij sint, & S. Francisci sequaces, eiusque Sanctissimæ Regulæ professores, & seruatores statuere. Quare contra Constitutiones, & declarationes huiusmodi quidquam attentare, siuè præsumere vnusquisque facilè intelliget, quàm temerarium sit. Non ergò Fratres Minores Conuentuales à S. P. Francisco instituti, & electi, ac verè geniti excluduntur ab eius filiatione, & obseruantia suæ Regulæ, eo quod illam mitigatam obseruant, qua de causa tollitur, quod modus sit prior re, cuius est modus, dispensatio ante legem, lex priuata publicam præcedat, & regula priuilegiata regulam ipsam absq; priuilegijs, eandem enim regulam, quam ab initio suæ institutionis seruarunt PP. Conuentuales, & post multa tempora obseruant PP. de Obseruantia, modo obseruant PP. Conuentuales modificatam, ac priuilegiatam: & hoc solùm erat probandum contra PP. de Obseruantia, & ideò non erat necesse inferre illa absurda à P. Fortunato. Concludit Epistolam P. Fortunatus his verbis, *Hoc tandem indubiè promittimus, quod veritatem, non contentionem, pacem, non æmulationem, humilem religiositatem, non damnabilem iactantiam præferentes inter modestiæ limites, ac religiosæ charitatis leges inclusi, nunquam satis commendatum Subtilissimi Doctoris exemplum, atque S. Augustini præceptum adamussim obseruare contendimus. Quæratur veritas, sed regnet charitas.*

Sanctum, ac diuinum est Diui Augustini præceptum, & vtinam saltem à Religiosis Scriptoribus candidè obseruaretur; rarum est subtilissimi Præceptoris exemplum in concertando, cum Scolasticis, in pertractandis, ac expugnandis eorum opinionibus, modestiæ limites nec verbo transgressus est vnquam, cui optimè quadrat dictum Sapientiæ Eccl. 14. 1. *Beatus vir, qui non est lapsus verbo ex ore suo:* Sublimem hanc tanti Doctoris virtutem præcelẽtissimo cõmendauit encomio

P. Posseui-

P. Posseuinus Societatis Iesu nobilis Scriptor, cuius verba P. Ferchius noster adfert in Vita Scoti cap. 5. n. 11. *Ignita*, inquit, *deinde charitate flagrasse Ioannem Duns agnouit Antonius Posseuinus, & pius, & solers ex Societate Iesu, in apparatu sacro dicens. Certè cum illud D. Augustini de charitate verum sit; ille tenet quicquid latet, & quicquid patet in Diuinis sermonibus, qui charitatem seruat in moribus. Haud mirum fuerit, si ingenium Doct. Subt. appellati modestia, & charitate præditum altissimos sensus eruere potuerit ad veritatem indagandam: nunquam enim suam sententiam profert in aliorum iniuriam, vel depressionem, quin quorum aut errores conuellit, aut opiniones excutit, tàm id modestè, & adeò plerumque suppresso nomine facit, vt christiano pectori hæsisse à Domino Sapientiam (certè integram mentem) conijci possit. Hæc Posseuinus*, claudit Ferchius, *candidè, veraciter, accuratè*. Modestiam hanc inalterabilem quisquam tenere poterit, dum illam cum puris etiam Philosophis exercitam viderit in p. d. 8. q. 5. §. de intentione D. *De intentione* scribit Subtilissimus, *Istorum Philos. Arist. & Auic. nescio. Sed nolo eis imponere absurdiora, quam ipsi dicant, vel quæ ex dictis eorum necessario sequantur: & ex dictis eorum volo rationabiliorem intellectum accipere, quem possum.*

Huic sancto literarum Patris dicto me conformabo, Scoticæ modestiæ sequar exemplum; in veritate propugnanda vnicus ero, paci optatæ studebo, & si enim conuellere, & expugnare nonulla Patris Fortunati asserta cogar, intra fines fraternæ charitatis me continebo, memor præcepti aliàs lati à Sanctissimo D. Papa Innocentio XI. felicis memoriæ secunda Martij 1679. in proscribendis sexagintaquinque propositionibus, in calce enim Decreti: *Tandem* inquit, *vt ab iniuriosis contentionibus Doctores, seù Scholastici, aut alij quicumque imposterum se abstineant, & vt paci, & charitati consulatur, idem Sanctissimus in virtute Sanctæ Obedientiæ eis præcipit, vt eam in libris imprimendis, ac manuscriptis, quàm in thesibus, disputationibus, ac prædicationibus caueant*

ab omni

ab omni censura, & nota, nec non à quibuscumque conuitijs contra eas propositiones, quæ adhuc inter Catholicos hincinde controuertuntur, &c. Legem hanc, quam posuit Sanctissimus præuaricari nulli licet, neque ego hos limites transgrediar; in expugnandis autem contrarijs assertionibus, vel rationibus, vel auctoritatibus, vel Pontificum diplomatibus, vel Conciliorum decretis, vel Doctorum effatis, vel Scriptorum ex eadem regulari obseruantia vtar manifestis dictis, ad euincendum, propugnandum, expugnandum, ac concludendum, vel pro mea Religione, vel contra eos, qui veritatem conturbare contendunt.

Porro inter varias propositiones à Patre Fortunato expositas, & assertas, præcipuas libaui expugnandas, quas hic per ordinem Lectori humanissimo subijcio, illasque in proprio capite diffusè per ordinem examinabo, singulis singula reddendo prout postulabit necessitas.

Dicta, quæ impugnanda censeo, sunt.

1. Nomine Communitatis in Ordine Minorum non intelligi solùm Conuentuales; sed in eo venire omnes Congregationes Minoritici Ordinis, & eos etiam, qui Regularis obseruantiæ nuncupantur.
2. Minores Conuentuales non fuisse institutos à Patriarcha S. P. Francisco.
3. Nomen Conuentualium non deriuasse ab Innocentij IV. priuilegio, nec idem nomen inualuisse in Ordine Minorum ante Eugenium IV.
4. Conuentuales à Martino V. primitus obtinuisse priuilegia possidendi, &c.
5. Conuentuales præsentes non esse cum antiquis eosdem.
6. Minores Regularis Obseruantiæ non habuisse initium à Conuentualibus, sed semper fuisse ab initio Religionis Minorum.
7. Minores Regularis Obseruantiæ non fuisse Minoribus

Conuen-

Conuentualibus, subditos, nec eorum Vicarios à Generalibus Ministris Minorum Conuentualium confirmatos, sed à Generali Ministro totius Communitatis.

8. Regulam, quam profitentur Minores Conuentuales à Summis Pontificibus mitigatam, diuersam esse essentialitèr à Regula instituta à S. Patre Francisco, quàm profitentur Minores Regularis Obseruantiæ.

9. Paupertas Minoritica habet repugnantiam ad possidendum in communi, & in particulari, & essentialitèr excludit omne dominium in communi, & in particulari, & hoc est proprium distinctiuum à cæteris Religionibus.

CAPVT PRIMVM

In quo conuincitur Communitatis nomine in ordine Minorum, Conuentuales dumtaxat intellectos fuiſſe, & omnes Congregationes fuiſſe ſemper ab illa diſtinctas.

COMMVNITATIS Nomen, vt hìc accipitur, Societatem ſignificat, ac communionem multorum profitentium vnam, ac eandem formam viuendi ciuilem, ſpiritualem, ac politicam ſub vna regula, eodemque victu, ac veſtitu, ſub vno Rectore, vel pluribus, in omnibus primo ſubordinatis, ac ſubiectis: quare Communitatem amplecti, & de communitate, illi eſſe dicuntur, qui in nullo à cæteris diſcrepauerint in modo viuendi præfato, ſi enim in aliquo communitatem abhorruerint, vel ab ea diſformes extiterint, à communitate ſeparari conuincuntur: vnde aiebat Cicero de Amicitia 107. B. penès Nizolium verb. Cōmunitas. *Tum ſit inter eos ſine vlla exceptione communitas*, & Ariſtoteles loquendo de actionibus communibus, & particularibus animalium lib. primo de partibus anim. cap. 5. ait, *Primum igitur actiones, tum omnium communes, tum eas, quæ*

ſunt

ſunt ſingulis generibus, ſpeciebuſque habeantur, exponi oportebit. Communes dico, quæ adiuncta omnibus ſunt animalibus, ſuas autem, propriaſque appello, quarum differentias per exceſſum, ſiuè ſuperantiam comparando accipimus, exceſſus ergo, & ſuperantia, & conſequenter receſſus à communitate, diuiſionem facit. Subdit ad idem ibi Ariſtoteles. *Quorum itaque actiones rerum aliarum gratia diſpenſatæ ſunt, hæc etiam quorum ſunt actiones, modo eodem inter ſe differunt, quo actiones, item ſi quæ priores ſint actiones, & pro fine aliarum capiantur, quomodo ipſæ ſe habent, eodem membra habent, quorum illæ ſunt actiones.* Vniformitas ergo, & inuariata conformitas requiritur, vt communitas conſiſtat, quæ ſi non adſit, aderit à communitate diſiunctio, & ſingularitas, ac proprietas. Sed quia, vt docet idem Ariſtot. lib. 2. polit. c. 3. *Omninò autem conuictus, & communitas rerum humanarum omnium difficilis eſt, & maximè in his rebus, probant autem eorum, qui vna peregrinantur ſocietate: quorum plerique ferè diſſident inter ſe de paruis, vilibuſque rebus offenſi*: Ex hac difficultate conuictus, & ſocietatis, oritur ſingularitas, quæ eſt vnius, vel paucorum receſſus à communi modo viuendi iam dicto; vnde oriuntur Congregationes, vniones videlicèt paucorum ſeparantium ſe à cæteris vniformitèr viuentibus, & communem modum viuendi ſeruantium.

Hæc ad rem noſtram applicãdo. Communitatis nomen in Ordine Minorum, quod inualuerat in ea ante diuiſionem à Leone X. patratam, aliud importare nequibit, quàm Societatem, ac communionem omninò vniformem ſingulorum Fratrum Minorum in nullo deuiantium à communi modo viuendi ſpirituali, morali, ac politico ſub vno, ſiuè ſub pluribus Miniſtris, ſubiectis tamen, & in omnibus primo Miniſtro ſubordinatis; ità vt illi de communitate extiterint, qui cum cæteris ſeruauerint eandem formam, ac ritum viuendi, illi verò à communitate alieni, ac ſeparati, qui ſibi aſciuerint, ac legerint exceſſum; ſiuè ſuperantiam, & receſſum à communitate. Quibus firmatis.

Primò

Primo conficitur nomine Communitatis in ordine Minorum semper venisse Minores Conuentuales, quod vt facilius euincatur scire oportet hoc nomen Communitatis inualuisse in Religione Minorum sub initio ferè ipsius, quando suboriri incępit Congregatio paucorũ recedentium à corpore Religionis. Testis sit P. Dominicus de Gubernatis to. p. Orb. Seraph. lib. p. cap. 4. pag. 602. n. 63. vbi sermonem habens de Cęsarenorum Congregatione, quæ exordium sumpsit ãno 1236. sub Elia Ministro Generali, vt aduertit Auctor Chronol. Seraph. pag. 23. & alij Religionis Historici, his verbis loquitur. *Denique à paucis vituperati, generalitèr à viris pijs, atque cordatis commendati, ex hoc specialitèr commendatione digni perhibentur, quod tam etsi in tempore tribulationis ad solitudines, & heremitoria prudentèr secederent, nullam tamen separatam Congregationem sub proprio capite affectasse leguntur; sed citius ad Conuentus pauperiores sub suaui obedientiæ iugo; & Prælatorum gubernio reuertentes solo in Comitijs zelo pro tuenda sancta Paupertate contenti, grande hoc Seraphicæ Matri felicitèr euicerunt, vt vsque ad S Bonauenturæ tempora Franciscanam per omnia perfectionem in Ordinis Communitate conseruauerint; ex quorum continuata perfectione edoctus Seraphicus Doctor (vt suo loco diximus) Religionem vniuersam potuit ad primaueę sanctitudinis gloriam ex integro reuocare, vnde reformata tota Communitate, necesse fuit Cęsarenorum nomen etiam euanescere.* Alius Testis sit P. Michael Angelus à Neapoli Prouinciæ Obseruantium Terræ laboris Lector Iubilatus, qui in sua Chronol. iam citata; Seraph. edita Neapoli 1650. pag. 36. de Clarenorum initio habet. *Frater Angelus à Cingulo anno 1289 Matthæo de Aquasparta Generali dedit initium Clarenis anno 1294., à Cęlestino V obtinuit quadam loca in solitudinibus erigere sibi, & adhærere volentibus, Heremitas vocari, & heremiticam vitam ducere: Fratres Communitatis, & Ordinis Rectores grauitèr tulerunt huiusmodi ab Ordine separationem &c.* & inferius fine paginę subdit. *Ipsi fratres Clareni nunquã alijs de cõmuni-*

C tate

tate fratribus se coniungere voluerunt. De hac communitate idem etiã Auctor differit pag. 37. anno 1302 *Frater Io: de Muro Generalis Capitulum Generale celebrauit Ianua*, & post pauca *Et quoniã plures in Religione contra Regulam, & paupertatẽ relaxationes irrepserãt, Cõmunitate possidẽte agros, vineas, &c.*

Huius Communitatis fit mentio in Clementina, *Exiui de Paradiso*. edita à Clem. V. in Conc. Viénensi anno 1311. & ponitur in Canone tit. de verb. signif. vbi cum Fratres aliqui cæteris opponerent, quod hæredes fierent, quod redditus annuos reciperent, &c. subditur ibi post medium. *Tamen Communitas Fratrum, & specialitèr Rectores ipsius Ordinis asserebant, quod prædicta, seù plura ex ipsis in Ordine non fiebant.*

Item in Extrauag. Ioannis XXII. *Quorundam exigit, &c.* quæ habetur de verb. signif. tit. 24. vbi differendo de Narbonensium Congregatione, & eorum habitu, medio dicitur: *Quinimò adeò huiusmodi adinuentiones, & quæstiones, & propria excreuere licentia, vt ex eisdem Fratribus aliqui habitus propterea curtos, strictos, insuetatos & squalidos, nouitate plenos, ac dissidij non ignaros, cum à Communitate Ordinis discreparent, assumerent, nec eos ad Ministrorum, Custodum, & Guardianorum eorundem mandatum requisiti deponerent, nec alios, prout eiusdem Ordinis Communitas deferebat habitus, &c.* & inferius, *Generali Ministro, & cæteris fratribus, qui pro cõmunitate eiusdem Ordinis aderant*; & tandẽ fine, *Ideoq; omnes, & singulos Fratres antedicti Ordinis Minorum, qui strictos, curtos, & difformes habitus ab ipsius Generalis Ministri, & aliorum de dicta Communitate, &c.* edita autem fuit hæc Extrauagans circa annum Domini 1316.

Tandem in Concilio Constantiensi anno 1414 in quo decretum fuit Minores Regularis Obseruantię posse deinceps eligere Vicarios Prouinciales, & Vicarium Generalem de ipsorum familia, & nonnulla alia firmata pro ipsorum regimine, & obseruantia, inter hæc dicitur. *Cæterum cum iuxta sententiam Sapientis; volatilia ad sibi similia habitualitèr conue-*

conueniant, statuimus, quod quando huiusmodi Obseruantes peregrinationis studio, vel alias per mundum proficiscentur, ad loca, & Conuentus Communitatis Ordinis declinent, si voluerint, ad alia verò loca Fratrum in Obseruantia sibi similiter semper declinare teneantur, iuxta quod in statutis Ordinis cōtinetur Licèt autem tunc solidè incæperit separatio Minorū regularis Obseruantiæ à Fratribus Minoribus de Communitate, & manifestè, ac irrefragabilitèr apparuerit distinctio inter Communitatem Ordinis, & Patres Regularis Obseruantiæ, absoluta tamen, & solemnis diuisio completa extitit anno 1517. sub Leone X. Summo Pontifice; vnde vsque ad illud tempus aliqualis vnitas in tota Religione, fundata dumtaxat in vnitate Ministri Generalis, à quo Communitas Ordinis absolutè moderabatur, & Patres Vicarij Minorum de Obseruantia aliqualem calorem recipiebant, perdurauit, vnde potuerit Pater Dominicus de Gubernatis tom. p. sui Orb. l.5. cap. 2. pag. 590. n. 6. hęc aliquo iure testari. *Ampliatis postmodū per Coletanos, Clarenos, Amadeitas, & Obseruantes varijs Congregationibus, triplici tamen ex capite vltra tertium sæculum ab Ordinis Communitate Religio ipsa indiuisa permansisse comprobatur. primò, quia Ministri Generales semper reclamarunt pro Ordinis puritate, & perfectione. Omnes itidem Congregationes prænominatæ, & ipsimet Obseruātes, cum plena Obedientia à Generali Ministro de Ordinis Communitate dependerent, non videtur dubitandum, quin Religionis Communitati firmissimo glutino in vinculo colligatæ permanerent. Adde tandem, & efficacius ad intentum, quod Fratres omnes Ordinis Minorum, tùm de Communitate, tùm de partialibus illis Congregationibus, licèt sub proprijs Vicarijs constituti, qui à Generali Ministro de Communitate deriuatam potestatem recipiebant, eidem Ministro subiecti, eandem solemnis professionis formam, sub eodem verborum tenore, sine vlla diuersitate, conuincunt omnimodè se quo ad essentiam in eadem Religione indiuisa, permansisse, donec anno 1517. sub Leone X. fuerit in duas partes solemni diuisione separata.* & tandem ibidem

n.7. concludere. *Trecentis ergo, & amplius annis, videlicet ab anno 1208 ad annum 1517. Seraphica Minorum Religio tot inter accidentium angustijs sub Ordinis Communitate, indiuisa permansit.* Hoc supposito construuntur argumenta pro nostro asserto in hunc modum.

Illi Minores fuerunt in Religione S. P. Francisci Ordinis Communitas, à quibus fuerunt separati in Concilio Constātiensi Fratres Minores regularis Obseruantiæ, & à quibus, seù à quorum Ministris, iuxta eiusdem Concilij rescriptum, ac decretum, Vicarij Minorum de Obseruantia confirmati fuerunt, supposita electione facta per ipsos Patres Minores de Obseruantia; sed Minores de familia, seù regularis Obseruantiæ fuerunt separati a Minoribus Conuentualibus, & eorū Vicarij ab ipsis electi, fuerunt semper confirmati à Ministris Generalibus Minorum Conuentualium quousq; durauit eorum electio, scilicet ab anno 1414 circiter, vsque ad annum 1515. circiter, igitur, &c. de maiori nullo modo ambigi potest, quia est manifestè data ex decreto Concilij eiusdem Constantiensis. Minor probatur, primò auctoritate Eugenij Papæ Quàrti, qui in Bulla, *Vt sacra Ordinis Minorum Religio, &c.* edita anno 1446. decimo Kal. Aug. anno sui Pontificatus sextodecimo, inhærendo præfato decreto Sac. Cōc. Constant. iterum facit auctoritatem, sed ampliorem pro corpore Obseruantium eligendi Vicarios Generales, pro vltramontana Familia, approbando interim electionem factam ab Antonio de Rusconibus Generali Ministro, B. Ioannis de Capistrano pro Cismontana Familia, & Ioannis de Mamberto pro vltramontana. *Sane*, inquit Pontifex initio Bullæ, *Siquidem Dilectus filius Antonius de Rusconibus, Sac. Theol. Professor, ac Ordinis Minorum Minister Generalis Nobis suadētibus, ac nonnullis etiam Sac. Theol. Professoribus, & probis ipsius Religionis Viris, suasionis nostræ propositum laudantibus, asserentibusq; & idipsum consulentibus duos instituit Vicarios, dilectos scilicet Filios Ioannem de Capistrano, in, & super omnes in partibus Cismontanis, & Ioannem de Mamberto in, & super*

super omnes in partibus Vltramontanis, eiusdem Ordinis Fratres de Obseruantia nuncupatos professores, cum plenaria sui Officij potestate vtrique singillatim concessa, vt suis nostris insertis Literis euidenter apparet. Cum igitur ex præfata institutione statu, quietem, fugata vagationis materia, &c. Et statim decernit id fieri perpetuis futuris temporibus, se declarans id agere iuxta dispositionem Concilij Constantiensis, secundum quam vult etiam Vicarios Generales ab Obseruãtibus electos præsentandos esse Ministro Generali totius Ordinis, & ab eodem sic præsentatos infra triduum confirmari, aliàs confirmatos haberi. his verbis alloquens. *Nos, qui singulorum, præsertim regulari Obseruantiæ deditorum, quietẽ pariter, & salutem, intensis desiderijs affectamus, inhærentes Constitutionibus, & statutis, super huiusmodi disponentibus editis, sacri Constantiensis Concilij; & fel. rec. Martini PP. V. Prædecessoris nostri, motu proprio, non ad alicuius, &c. Qui sic congregati facultatem habeant omnia, & singula faciendi, ordinandi, atque disponendi, quæ de iure, consuetudine, & ex priuilegijs possunt Fratres eiusdem Ordinis in eodem Generali Capitulo congregati, & præcipuè eligendi, & eligere sint astricti vnum religiosum in eorum similem Vicarium Generalem, cuius electionem si à maiori parte eligentium celebretur, quamprimum fieri poterit, generali Ministro totius Ordinis, iuxta eorũ consuetudinem, faciant præsentari. Ipse verò Generalis Minister, infra triduum à præsentatione sibi facta prædictum electũ confirmare teneatur, concedendo ei, & communicando plenariè vices suas, &c. dando scilicet liberam potestatem, ac auctoritatem, ac omnimodam facultatem suam super omnes, & singulos Fratres de Obseruantia nuncupatos, &c.* Hæc autem omnia, nempe separatio, electio Vicariorum, & eorundem confirmatio à Ministro Generali, disponit Pontifex inter Cõuentuales, & Minores de regulari Obseruantia, in illa enim Bulla fit solummodo mentio de Regularis obseruantiæ Fratribus, & Minoribus Conuentualibus, nam post antedicta verba de Obseruãtibus, statim subdit: *Fratres Conuentuales,*

 dummodo

dummodo suis Ministris non sint rebelles, & ab eis licentiam petierint, & pœnitentiam non effugiant delictorum, veracitèr cupientes ad meliorem frugem se transferre, & viuere regulariter; recipiendi, &c. Et Antonius de Rusconibus ibi nominatus fuit Minister Ordinis Minorum Conuentualium, vt inferius apparebit, cùm proprio loco ostendemus Vicarios Generales Minorum de obseruantia fuisse confirmatos dumtaxat à Ministris Generalibus Minorũ Conuentualium, igitur, &c. Hanc dispositionem Eugenij initam esse inter solos Conuentuales ex vna parte, & Minores regularis Obseruantiæ ex altera manifestũ est ex Bulla Calixti III. incip. *Conditor Orbis*, de qua Pius II. in Diplomate. *Pro nostra ad B. Franciscum deuotione*, quam dirigit. *Dilectis filijs Generali, & Prouincialibus Ministris, ac Vicarijs, cæterisq. Fratribus Ordinis B. Francisci, tàm Conuentualibus, quàm de Obseruantia nuncupatis*, in quo præfatam Eugenij Bullam, ac dictam Calixti III. interserit, sic ait, *Deinde fel. rec. Nicolaus PP. V. Prędecessor noster, aliquot discordijs, & contentionibus inter vos exortis, & diù agitatis, postquam vtrosque, tam ipse, quàm per Commissarios suos, nonnullos Cardinales, aliosq. Prælatos sæpenumero sicut accepimus, diligenter audiuit, determinationi, & ordinationi prædictæ, sui, & nostri Prædecessoris Eugenij acquiescens, nihil omninò innouauit; postea fel. rec. Calixtus PP. III. Prędecessor noster cũ dicto Nicolao V. successisset, & contentiones varias inter vos Conuẽtuales, & Obseruantes suscitatæ essent, tãdem Literas ipse etiam dedit infrascripti tenoris, &c.* Quinimò ipsemet Pius in citata Bulla separat iterũ Obseruantes à Cõuentualibus, & circa electionem Vicariorum Obseruantium, & eorum confirmationem à Ministro Generali Conuentualiũ confirmat ordinationem, ac dispositionem Eugenij IV. Vnde ait. *Nobis paulò post vestrum in Alma Vrbe Capitulum celebratum, ad Summi Pontificatus apicem assumptis, vtraque pars vestrum a Nobis, cum instantia, & humilitate Conuentuales; vt libertas, & vnitas Ordinis seruetur, contra quã duo, vt dicebant, Bulla prædicta faciebant; Obseruantes verò, vt sciãt*

sub qua

sub qua forma viuant, &c. & post, *Et nihilominus, Nos de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, & Episcoporum volumus, decernimus, & declaramus, præcipimus, & mandamus sub pœnis in Literis fel. rec. Eugenij Quarti Prædecessoris nostri contentis, quas contrauenientes ipso iure incurrant, Vobis vtriusque partis Fratres Ordinis B. Francisci, à vobis quomodolibet dependentibus, omnia inter vos vicissim facere, & seruare quoad omnes clausulas, earundem, quæ in prædictis Eugenij Quarti Prædecessoris nostri literis continentur, &c.* Cum igitur Pontifices isti Eugenius IV., Nicolaus V., Calixtus III., ac Pius II: easdem dederint Ordinationes inter Conuentuales, & Obseruantes, quas ediderunt Patres Concilij Constantiensis ex vna parte pro Communitate Ordinis, & ex altera pro Obseruantibus, sub diuerso nomine, idem erunt Fratres Communitatis, & Fratres Minores Conuentuales, & separari ab Ordinis Communitate, & confirmari à Ministro Generali Communitatis Ordinis, idem erit, ac separari à Minoribus Conuentualibus, ac confirmari à Ministro Generali Minorum Conuentualium, per regulam topicam, *Quicquid alicui conuenit, vel disconuenit sub nomine magis noto, conuenit, vel disconuenit illi sub nomine minus noto.* Has Bullas videre quisque poterit in prima parte Bullarij Roderici Bulla prima Pij II.

Minor eadem secundo probatur ex Bulla Leonis X. secūda concordiæ incip. *Omnipotentis Dei*, quam affert idem Roder. tom. cit. vbi de Leone X. in qua ante medium habet, *Aliqua per eosdem Ministrum, & Magistrum, aliosq; ipsius Ordinis professores, firmitèr, & inuiolabiltèr seruāda, motu proprio, & ex certa nostra scientia, ac matura, cum eisdem Cardinalibus Præsidentibus, deliberatione præhabita; duximus statuenda, videlicet, quod præfati Antonij Magistri Generalis Fratrum Conuentualium successores, ab eisdem Fratribus Conuentualibus, pro tempore electi, confirmationem, ab eodem Ministro Generali, & successoribus suis, Ministris generalibus, totius Ordinis, quemadmodum Vicarij generales, tūc de familia*

 nuncu-

nuncupati, petere tenebantur. & post. *Quodque in singulis Prouincijs, deputati ad regimen Fratrum Conuentualium, de cætero Magistri Prouinciales Fratrum Conuentualium cum suis Sigillis, vocari, & à Ministris Prouincialibus regularis Obseruantiæ in Prouincijs iuxta morem dicti Ordinis respectiuè pro tempore existentibus, confirmationem electionum, de eis pro tempore factarum, eo modo, quo Vicarij Prouinciales olim de familia nuncupati, à tunc Ministris Prouincialibus Fratrum Conuentualium, petere tenebantur, etiam petere teneantur. Quodque tam Generalis, & Prouinciales Ministri præfati, tàm ante, quàm post generalis, & aliorum Magistrorum confirmationem huiusmodi, tàm Generali, & Prouincialibus, quàm alijs Fratribus Conuentualibus huiusmodi, & eorum, ac aliorum tertij Ordinis Fratrum, & Sororum nuncupatorum, qui eatenus sub Ministro Generali Conuentualium fuerant regimine, nullatenus se intromittere, aut eos per se, vel suos Commissarios, visitare, seù corrigere possint, nec aliquam iurisdictionem, seù superioritatem in ipsos exercere valeant, præterq̃ cùm ipsũ Ministrũ Generalem pro tẽpore existentem, ad ipsorum Fratrum Conuentualium domos, & loca declinare contigerit, quo casu ipse Minister eosdem Fratres Conuentuales paternè visitare, ipsique Fratres Conuentuales eundem Ministrum Generalem, tanquam totius dicti Ordinis Superiorem, vnà cum charitate, & dilectione recipere debeant; dummodo idem Minister generalis, nunc, & pro tempore existens, nihil iudicialitèr, circa ipsos Fratres Conuentuales, ac domos eorum, ac loca, & etiam Monasteria Monialium, sub eorum cura degentium, exerceat, nisi eo modo, quo Minister Generalis, tunc Fratrum Conuentualium super Fratres de familia, & eorum domus, & loca, & Monasteria Monialium, tempore conuocationis dicti Capituli generalissimi exercebat, exercere possit.* Ergo certum est Vicarios Obseruantium fuisse semper confirmatos à Generalibus Ministris Minorum Conuentualium, & ab istis fuisse separatos, cùm hæc confirmatio, sicut & visitatio domorum, locorum, &c.

&c. Patrum de Obseruantia supponat distinctionem Superiorum, domorum, locorum, ac Fratrum de Familia à Conuẽtualibus; hæc autem omnia duxerunt originem à Concilio Constantiensi, cuius etiam memoriam facit idem Leo X. in vtraque Bulla concordiæ fine, in quo dispositio præfata facta est inter Fratres Communitatis, & Regularis Obseruantiæ, ergo in re, substantialitèr, ac essentialitèr idem sunt Fratres Communitatis, ac Conuentuales.

Probatur secundò. Ille Ordo in Religione Minorum fuit Ordinis Communitas, qui habuit Ministros Generalem, & Prouinciales vsquè ad Leonem X. quia tunc nomen Cõmunitatis cessauit, cùm fuerit facta totalis separatio omnium Cõgregationum, & præcipuè Patrum de Obseruantia à Minoribus Conuentualibus, sed hic Ordo fuit Minorum Conuentualium, igitur, &c. maior ex Concilio Constantiẽsi citato patet; in quo statutum est Obseruantes habere proprios Vicarios confirmandos à Ministris Ordinis, qui Ordo ibi Communitas appellatur; patet etiam ex Clementina, Exiui, citata, vbi dicitur, *Tamen Communitas Fratrum, & specialitèr Rectores ipsius Ordinis, &c.* Minor patet etiã, tũ ex verbis in prima ratione allatis ex Bulla Concordię Leonis X. Tùm ex serie Ministrorũ tradita à P. de Gubern. to. p. Orb. Seraph. lib. 3. à pag. 185. ad 199. & to. 3. sect. 2. quæ constat solùm ex Conuentualibus, igitur, &c. de qua serie redibit sermo cap. 7.

Probatur tertiò. Communitas Ordinis non fuerunt Patres Regularis Obseruantiæ, cùm fuerint in Concilio Constãtiensi ab Eugenio IV. & alijs Pontificibus pro prima ratione allatis, ab illa separati, relicta solùm dependentia Vicariorũ à Ministro Generali; & pro separatione Eugeniana laborauit B. Ioannes de Capistrano, illamq; obtinuit, sic enim scribit super hanc rem Pater de Gubernatis to. p. pag. 300. cap. 19. n. 2. " Adde, quod ex vniti Regiminis necessitate ad inuicem " conuiuentes, vix in suscepto vitæ rigore perseuerare valerẽt. " Hinc Beatus Ioannes à Capistrano ea, qua pollebat apud Põ- " tificem æstimatione, eidem instillare studuit, quod nulla

profuis-

„ profuisset ex intentatis ad pacem stabilendam via, nullo pa-
„ cto Obseruantia regularis in hac recenti familia foret stabiliē-
„ da, nisi inciperet à capite, & haberent huius vitæ sectatores,
„ qui præirent exemplo; separationem tamen ita faciendam,
„ vt adhuc corpore capiti adhærente, Generalis Obseruantium
„ Vicarius, Generali Ordinis Ministro subesset, ne ab Ordine
„ totalitèr recessisse, & S. P. Francisci Vicarium, seù Successo-
„ rem ab eius obedientia se subtrahendo, despexisse viderent-
„ tur, *& num.* 3. Talibus itaque doctrinis operante Capistra-
„ no, S. Bernardinum primum habuerunt cum potestatis ple-
„ nitudine Vicariū āno 1433. à Gulielmo Generali constitutū,
„ & Apostolico diplomate confirmatum, deinde anno 1438.
„ Antonius de Rusconibus in Generalem Ministrum electus,
„ statim rigoroso Pontificis præcepto B. Ioannem de Capistra-
„ no in Cismontanis, & Ioannem Mamberti pro Vltramonta-
„ nis deputauit in Obseruantia Vicarios Generales, quos Euge-
„ nius Pontificia auctoritate confirmauit: anno tandem 1446.
„ expedita grauissima Bulla præcepit, vt in perpetuum diuisa
„ ab inuicem vtraque Familia, proprios haberet Vicarios per
„ solos Obseruantes in suis Comitijs canonicè eligendos, quos
„ Minister Generalis subitò confirmare deberet, aliàs auctori-
„ tate Apostolica confirmati intelligerentur; sub qua viuendi
„ methodo ad annum 1517. vixerunt.) Nec fuerunt aliæ
Congregationes, siuè disiunctim, siuè collectiuè sumptę; quia
istæ paritèr erant separatæ à Communitate cum suis Vicarijs,
nec vnionem cúm communitate vllatenus querebant; imò
abhorrebant, vt paulò superius dictum est, ante primam ratio-
nem, de Clarenis. Tum quia Communitas Ministros Gene-
ralem, & Prouinciales habebat, Congregationes omnes Vi-
carios dumtaxat, sicut & Obseruantes. Tandem adhære-
bant potius Obseruantibus, quàm Communitati Ordinis, pręe-
ter autē enumeratos in ordine Minorum, non erant nisi Con-
uentuales, ergo ipsi constituebant Ordinis Communitatem.

Concluditur secundò. Sub nomine Communitatis in or-
dine Minorum non fuisse inclusos Minores Obseruantes, nec
cætero-

cæterorum Minorum Congregationes, siuè disiunctiuè, siuè collectiuè sumantur, sed omnes ab illa fuisse separatas, licèt dependerent ab illa, vt à Matre, à qua prodierant. Huius conclusionis primam partem expressè concedit P. Fortunatus, cum quo agimus, n. 72. ex his, quæ acciderunt in Con-
„ cilio Constantiensi; ait enim, quod Regularis Obseruantia
„ in aliquibus Conuentibus eo tempore vigere inceperit, & ab
„ Ordinis Communitate relaxationes passim introducente, separari., n. 76. vbi concedit à Fratre Paulucio Obseruantes
„ fuisse separatos ab alijs, & n. 79. vbi repetit Obseruantes in
„ ordine indiuiso perseuerasse, quousq; præualentibus liberta-
„ tis sectatoribus, auctoritate Concilij (scilicet Constantien-
„ sis de anno 1414.) ab ipsis voluerunt separari. Idem fatetur n. 81. his verbis. Hoc fuit perfectissimum reformationis
„ genus. Congregationem separatam eligere, vbi absque tu-
„ multu in antiqua, & rigidiori disciplina perseueraret, &c. re-
„ formabant & alios, non quidem Conuentualium Congrega-
„ tionem, quæ nec re, nec nomine adhuc extaret, sed de Fra-
„ tribus illis, qui in Ordinis Cõmunitate, &c. Numero tamen 106. & 107. vult omnes Congregationes, imò & ipsos Obseruantes fuisse commixtos cum Conuentualibus; & contentos, vbi de materia Ordini vniuerso communi tractaretur, &
„ n. 108. Quin etiam hodie (inquit) stabilita iam totali di-
„ stinctione nonne in Bullis Pontificijs sub nomine Fratrum Mi-
„ norum omnes, & singulæ ipsius Congregationes intelligun-
„ tur, vbi de aliqua concessione Ordini vniuerso competente tractaretur? In hoc tamen sibi manifestè contradicit, & communicatio priuilegiorum non tollit diuisionem, imò illã supponit, aliàs nulla esset communicatio, quæ id, quod proprium est vnius, extendit ad alienos, & dato, quod Summi Pontifices in præsentiarum aliquid vniuerso Ordini Minorum concederent, nullam confusionem inducerent, separatos, nõ vnirent; sicut euenit, quando Priuilegia vnius Religionis, per communicationem participantur ab alijs; quod si se explicarent Vniuerso Ordini Minorum priuilegium concedere

velle,

velle, iam in sua explicatione, omnes Minores explicarentur, non vnirentur.

Probatur primò hæc conclusio ex ijs, quæ dicta sunt in prima, & tertia ratione pro superiori conclusione, quæ separationem Obseruantium, & omnium Congregationum collectiuè, & disiunctiuè ostendunt à communitate Ordinis.

Probatur secundò ex praxi actuali aliorum Ordinum. In Religione siquidé Patrum Carmelitarum adest Congregatio Mantuana, quæ a Conuentualibus differt per galerum album extrinsecus, nec habet Priorem Generalem, sed dumtaxat Vicarium Generalem, in cuius electione habet vocem actiuã, & assistentiam Reuerendiss. Generalis totius Ordinis, & per quodlibet sexennium idem Reuerendiss., si sibi libet, potest vnica vice omnes illius Conuentus visitare, & tamen stante hac subordinatione, Congregatio ipsa separata est à Corpore Ordinis, & Conuentualium, habet suos Priores, Conuẽtus, loca, bona, Ecclesias, & iura distincta ab illis, quæ sũt Ordinis Conuentualium, ita vt vnusquisque Religiosorum viuat sub vite sua, & sub ficu sua, mutuam inter se charitatẽ exercent, diuertunt enim indifferentèr ad Conuentus non proprios, vbi suos non habent, & vti fratres humanissimè se recipiunt, & pertractantur. In Religione Ordinis Heremitarum S. Augustini adsũt duę pręcipuę Congregationes, Lombardiæ, videlicèt, & discalceatorum, vtraque eligit sibi Vicarium Generalem, Vicarius verò Generalis Congregationis Lombardiæ nouitèr ex Sac. Cong. decreto nequit vti titulo Reuerendissimi, quo titulo etiam non potitur Vicarius Gen. Discalceatorum, hic ergo titulus reseruatur Vnico Generali Ordinis, vt dignoscatur dependẽtia aliorum Superiorum ab ipso, hic Reuerendiss Generalis vbique assistere potest electioni Vicariorum præfatorum, imò & omnium Priorum Cõuentus, quando eliguntur immediatè post electionem Vicariorum Generalium in Capitulo Generali, & potest eorum Conuentus præcipuos visitare: hoc non obstante, Congregationes prædictæ seiunctæ sunt à Conuentualibus, alienum solum

solum habent, foco, mensa, ac domibus diuersis gaudent, nec dicuntur confusæ, & vnitæ Communitati Ordinis, sed Patres de Familia, & omnes aliæ Congregationes habebāt proprios Vicarios Generales, ac Vicarios Prouinciales, diuersa loca, domos, Conuentus, qui moderabantur à proprijs Guardianis; ergo stante adhuc dependentia Vicariorum a Ministris, & horū potestate illos visitandi, adhuc erant separatæ à Cōmunitate, omnes, & singulæ disiunctim, ac collectiuè sūptę.

Confirmatur ideò Congregationes aliarum Religionum separatæ sunt de facto à Cōmunitate Ordinis, quia in modo viuendi non vniformantur cum illa, sed propriū selectum ab illo, quo vtitur Cōmunitas, exercent, sic se habebant tēpore Communitatis in Ordine Minorum Patres de Obseruantia nuncupati, & omnes aliæ Congregationes collectiuè, ac disiunctiuè sumptæ, igitur, &c.

Probatur tertiò, ex ijs, quæ diximus initio Capitis cum Aristotele primo de partibus animal. cap. 5. Communitas, & proprietas, seù singularitas differunt, quia vbi illa præsefert omnibus omnia, de communitate, communia, hæc ad illam comparata, ab illa differt per excessum, & superantiam, sed hunc excessum, & superantiam in modo viuendi Cūmunitatis omnes quotquot fuerunt in Religione Minorum Congregationes, supra Communitatem habuerunt, siue collectiuè, siue sumptæ disiunctiuè, igitur, &c. minor patet, nam alias ad quid inductæ fuissent nouæ Congregationes?

Pro coronide harum Conclusionum assertores accedunt Scriptores ipsi Regularis Obseruantiæ. Prestò est Auctor Chronol. Seraph. citatus initio capitis, qui pag. 87. vel 88. agendo de Origine Regularis Obseruantiæ apud Gallos, hæc pro veritate scripsit.

APVD GALLOS

„ ANNO 1388, *post aliqua*. Excitauit Dominus spiritum
„ trium religiosorum Fratrum in Prouincia Turroniæ, vt
„ collapsam disciplinam restaurarent. Hi vel suis, vel aliorū

precibus

„ precibus à suo illo pseudoministro Generali P. Fr. Angelo
„ obtinuerunt, vt sibi concederetur Cęnobium aliquod solita-
„ rium, in quo à turbis remoti, viuere possent secundum regulę
„ puritatem. mox imperante Fr. Angelo, Fr. Ioannes Philip-
„ pi præfatæ Prouinciæ Minister eis humanissimè tribuit Con-
„ uentum Mirabelanũ Diœcesis Pictauiensis, *post aliqua*. De-
„ functo Fr. Ioanne Philippi, qui summopere illis fauit, ijs lo-
„ cis, quæ tunc possidebant, præsertim Mirabelano deturbati
„ sunt, &c. Superuenit postea alia procella sub Alexandro V.
„ & Io. XXIII. sub qua fluctuarunt vsque ad Concilium Con-
„ stantiense, in quo solidius iacta sunt fundamẽta regularis ob-
„ seruantiæ in Gallia. Sancta enim Synodus Constantiensis
„ exemit Fratres prędictos Obseruãtes ab obedientia Ministro-
„ rum Conuentualium, eisq; Obseruantibus Prouinciarum Tu-
„ roniæ, Burgundiæ, & Franciæ ex se ipsis eligendi Prouincia-
„ lẽ Vicarium, facultatem concessit, qui Prouincialis Vicarius
„ à Prouinciali Ministro deberet confirmari infra triduum, &c.
„ A quo tempore in his tribus Prouincijs Regularis Obseruan-
„ tia stabilita fuit. Hæc Chronologus. Concilium autẽ Cõ-
stantiense Conuentuales, quos ipse appellat, Fratres de Cõ-
munitate, nominat, igitur idem erant Fratres de Communi-
tate, ac Conuentuales secundum præfatum Auctorem. Ab
hac veritate non est alienus Pater Dominicus de Gubernatis
suis dictis, redarguens discipulum P. Fortunatum negantem,
Fratres de Cõmunitate fuisse Conuentuales, veluti Magister,
sicut olim Christus Dominus Zelum, & amorem indiscretum
D. Petri abscindentis auriculam Malci eidem insultanti; nam
to. p. Orb. Seraph. lib. 3. pag. 371. n. 78. in hæc verba pro-
„ silijt. Quanto magis Obseruantia regularis tùm numero, tũ
„ perfectione Virtutũ, tùm ęstimatione apud populos, & Prin-
„ cipes excrescebat sub proprijs Vicarijs Prouincialibus gu-
„ bernata, tanto magis Ordinis Communitati cępit esse inuisa,
„ vnde coram Martino Pontifice, & Sacro Cardinalium cętu
„ natæ sunt controuersiæ grauissimæ, quas suo loco recensebi-
„ mus, &c. Probãtibus hæc præcipuis Ordinis Patribus, & S.

R. E.

„ R. E. Cardinalibus in pleno Consistorio statuit Pontifex, vt
„ omnes conuenirent ad Aram Cęli in Vrbe anno sequenti,
„ quamuis prius indicta fuissent Comitia Leodij; deinde mu-
„ tato consilio iussit, vt Assisiū omnes tàm Conuentuales *(quos*
„ *prius dixerat de Communitate, modo dicit Conuentuales)*
„ quam Obseruantes conuenire, misso ad omnes Prouincias di-
„ plomate, &c. Editis itaque statutis, quę ab Apostolica Mar-
„ tini V. confirmatione, Martiniana dixerunt, per Conuentua-
„ les *(quos dixerat Communitatem Ordinis)* simul & Obseruā-
„ tes iurata, stabilita fuit vtriusque partis sancta concordia.
Et huius asserti refricando memoriam, iterum dat testimoniū tom. 3. Orb. Seraph. pag. 82. sect. 2. cap. 78. sic loquendo.
„ Comitia itaque Ordinis, quæ pro anno 1430 in Ciuitate
„ Leodiensi fuerant indicta, Romam primum, deinde Assisium
„ transferri mandauit, &c. dato Breui, *Romani Pontificis*,
„ quod loco citato descripsimus, Vocales omnes, tùm de Ordi-
„ nis Communitate, tùm de Obseruantia, Patres etiam Gallos
„ (reuocato ad hæc Constantiensi decreto) iussit ad Capitulum
„ Generalissimum primum conuocari, vbi præsidente Ioanne
„ Ceruantes Tit. S. Petri ad vincula Cardinali à Pontifice dele-
„ gato, ad illa concordiæ pacta deuentum est, per quæ reseca-
„ tis abusibus aliquorum, atque temperatis Obseruātium rigo-
„ ribus, vtrisque vacaret in Regulæ puritate, necnon in sancta
„ concordia vitam transigere. Postea quid nomine Communitatis intelligeret se explicat, subdens. Conuocatis ergo
„ Patrum Conuentualium Vocalibus *(En Communitas)* & Ob-
„ seruantium Vicarijs *(En pars Communitati opposita)* &c.
„ ante omnia depositus est ab officio dictus Antonius de Massa,
„ quoniam ob ipsius indulgentiam, in relaxationem Ordo de-
„ clinauerat, verùm ex Pontificis Beneuolentia sub specie ho-
„ noris ad Episcopatum Patriæ suæ fuit translatus. Dehinc Fr.
„ Guilielmus de Casali Ordinis Procurator Generalis, &c. Vir
„ tùm Conuentualibus, tùm Obseruantibus tota singularitate
„ acceptus, vnanimi omnium consensu in Ministrum Genera-
„ lem fuit electus, quo etiā ab Obseruantibus acceptato, aboliti
„ sunt

„ sunt ipsorum saltem in Italia Vicarij. Verùm hanc Vnionē infecundum habuisse exitum, & vix exortam expirasse (durauit enim ab anno 1430. ad annum 1431) narrauerat To; p. Orb. pag. 178. §. 32. n. 2. agendo de eodem Ministro Ge-
„ nerali. Annis, *inquit*, fermè tredecim summa cum laude
„ gubernauit, Obseruantiæ regulari magnis fauoribus semper
„ propitius, & ab Obseruantibus impensè dilectus, donec ali-
„ quantum mutatus, suorum in Ordinis cōmunitate priuilegia
„ iam abdicata voluit recuperare, imò & augere. *& num.* 3.
„ Vt enim, & Fratrum de ordinis Cōmunitate, & Obseruantiū
„ per Constitutiones Martinianas abdicatis priuilegijs, maximè
„ in facto paupertatis, & in cæteris relaxationis, inita vnio fir-
„ mius conseruaretur, fratres vtriusque partis prçuio iuramēto,
„ constitutionum illarum, promiserant obseruantiam. *& num.*
„ 4. *in fine*. Vnde indignati Obseruantes, iterum à Claustrali-
„ bus seiuncti, suos ab Eugenio Pontifice, anno sequēti, repe-
„ tiere Vicarios. *Quibus consonat iam dictis a Chronologo cit.*
„ *pag.* 90. Anno, *inquit*, 1430 de ordine Martini PP. V. cō-
„ uenientibus in vnum Assisij vniuersis totius Religionis suffra-
„ gantibus, tàm ex Patribus Conuentualibus, quàm Obseruā-
„ tibus, &c. Electus est Generalis Minister P. Fr. Gulielmus de
„ Casali. *& pag* 98. Primum igitur Capitulum generalissimū
„ totius Ordinis celebratum est in sacro Conuentu Assisij anno
„ D. 1430. Ordinis verò 222. &c. Concorditer autem ad
„ electionem accedentes, de omnium consensu Fr. Gulielmus
„ de Casali Prouinciæ Ianuæ in 32. Ministrum Generalem fuit
„ electus; quo electò omnes Vicarij Prouinciales Familiæ Ob-
„ seruantium ab eorum officijs fuerunt absoluti. At pro Ordi-
„ nis reformatione de præcepto Reuīni Cardinalis, constitu-
„ tiones, quæ Martinianæ nuncupantur (de consensu Ministro-
„ rum à B. Fr. Ioanne de Capistrano compositæ) coram totius
„ Congregationis cętu, in eleuato Suggestu per ipsum Fr. Io-
„ annem lectæ, & propalatæ sunt; Quæ quidem Constitutio-
„ nes omnibus, tàm Conuentualibus, quàm de Familia admo-
„ dum placuerūt, omnesq: eas obseruare se iuramēto vinxerūt,

„ & præ-

& præsertim Generalis Minister, &c. Expleto autem Capitulo, Generalis Minister ad D. Papæ præsentiam se contulit, & à prædicto iuramento iterum à sua Sanctitate absolutionem obtinuit, præfatasque Constitutiones in multis modificauit, de qua modificatione procurauit Bullam, quæ incipit, Peruigil more Pastoris, &c. *datam 6. Kal. Augusti; Fratres verò de Obseruantia talia audientes, conspicientesque à suo desiderio defraudatos, admodum doluerunt, & paulatim à Conuentualibus recedere incæperunt.* In istis autem auctoritatibus habetur aperta locutio de separatione Obseruantium à Conuentualibus, imò duplici, ante Capitulum Assisiense, in quo vnio facta est Conuentualium, & Obseruantium, & sublata separatione, sopiti sunt Vicarij Obseruantium, quæ iam fuerat ordinata à Concilio Constantiensi, & post Capitulum Assisiense vix elapso anno, cum Obseruantes recedentes denuò à Conuentualibus, suos repetiuere Vicarios, & obtinuere tàm à Ministris Generalibus, quàm ab Eugenio IV Summo Pontifice, & quod Communitas Ordinis fuerint dumtaxat Conuentuales sincerè, & sine mendacio aperitur, igitur, &c.

Et ex his habemus ter fuisse patratam separationem Patrum de Obseruantia à Patribus Conuentualibus; prima extitit, ipsis petentibus, à Concilio Constantiensi de anno 1414. facta, sed ista fuit minor alijs duabus, quia tres tantummodo Prouinciæ fuerunt diuisæ, Turoniæ, Burgundiæ, & Franciæ, à Communitate Ordinis; secunda, ipsis quoque instantibus, accidit tempore Eugenij Papæ IV anno 1446., fuitque pro toto tempore, & vniuersa Familia Obseruantium, & fuit maior prima, quia vniuersalis omnium Prouinciarum, sed non simpliciter, & absolutè, quia Vicarij Generales confirmari debebant à Ministro Generali Minorum Conuentualium, & de facto fuerunt confirmati, vt & ipsimet Scriptores Obseruantium citati fatentur, vsque ad annum 1517. cuius Diploma *Vt sacra, &c.*, citauimus in prima ratione pro prima conclusione. Tertia tandem euenit anno 1517. à Leone X. in Bulla concordiæ incipit *Omnipotentis Dei, &c.* quam citauimus supra

 in pro-

in probatione secunda minoris pro prima ratione; & hæc fuit absoluta, & simplicitèr totalis separatio, quam ipsimet Patres de Obseruantia interpositis Principum precibus apud Pontificem toto nisu procurarunt, & obtinuerunt, vnde in Præfatione Constitutionum editarum sub Pio IV. anno Dñi 1565. versus finem de prima, & tertia hac intentata, & obtenta separatione à Patribus de Obseruantia nuncupatis, legimus. *Verùm isti non contenti subduxisse se à communi vita aliorum, in Constantiensi Synodo, quæ anno Domini millesimò quadrigentesimo decimoctauo celebrata est, subduxerunt se etiam ab ordinaria Superiorum potestate, proprios ex se ipsis præfectos postulantes: Et id quidem obtinuerunt, non recusantibus, imò assentientibus Prælatis nostris, qui ibi aderant, hac tantum lege præfixa, vt electi ex ipsis Præfecti à nostris confirmarentur: Et quod Generalis in persona propria eos visitare posset; quod obseruatum est vsque ad annum Domini millesimum quingentesimum decimumseptimum. Tunc verò sub Leone X. Pontifice Maximo ità effecerunt quorundam Principum fauore adiuti, quod ab Obedientia nostri Generalis se subtraxerunt, & Obseruantium Regulam sibi nomen vendicando, etiam proprium Generalem obtinuere, &c.*

Tertius Testis his adiungitur P. Emanuel Rodericus to. p. Bull. post Bullam tertiam Greg. XI pag. mihi 66. ibi enim referens, & adducens verbatim Concilij Constantiensis sæpius memoratum decretum, in titulo, & in summario explicat quid Concilium velit nomine Communitatis exprimere, Titulus est. *Generale decretum Sacri Concilij Constantiensis, consultè, salubriterque separans Fratres Minores de Obseruantia ab alijs Fratribus Conuentualibus*; in Summario verò num. 8. scribit. 8. *Obedientia, & vrbanitas inter Conuentuales, & Obseruantes præcipitur*; in corpore autem decreti num. 8. ita legimus. *Cæterum cum iuxta sententiam sapientis volatilia ad sibi similia habitualiter conueniant, statuimus, quod quando huiusmodi Obseruantes, peregrinationis studio, vel aliàs per Mundum proficiscentur, ad loca, & Conuentus Communitatis*

Ordinis

Ordinis declinent, si voluerint, ad alia verò loca Fratrum in Obseruantia sibi similium semper declinare teneantur, iuxta quod in statutis Ordinis continetur. Igitur Communitas per Concilium, erat Ordo Conuentualium secundùm Rodericum, ibi etiam fit separatio Obseruantium à Communitate Ordinis, ergo, &c. Licet autem *in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum*, iuxta illud Saluatoris, Matth. 18. 16. iamque sint tres testes ex Patribus de Obseruantia nuncupatis allati, ex abundantia tamen libet alios addere, vt veritas magis, magisuè innotescat: Prolixior alijs est præ manibus, à quo cœteri mutuati sunt etiam texturam historiæ, & facta; iste est Pater Vvadingus, qui tom. 5. annal. anno 1415. pag. 93. nu. 6. ad rem nostram ita scribit. *Sub hoc tempus erant contentiones, & schismata inter Fratres in Gallia, ægrè ferentibus Ministris Prouincialibus, vt per nouam illam reformationem subtraherentur eorum iurisdictioni aliquot Conuentus in Prouincijs Franciæ, Burgundiæ, & Turoniæ:* Quinam autem essent inter quos versarentur contentiones ad marginem exprimit: *Dissensio in Gallia inter Conuentuales, & Obseruantes.* Et statim refert quod fuerit causa delata ad Sacrum Concilium Constantiense, à quo exijt decretum allatum parum supra inter Fratres de Communitate Ordinis, & Obseruantes, ibidem ad annum Christi 1429. pag. 203. num. 8. *Insurrexerunt hoc anno aliqui ex Patribus Ordinis in Familiam Obseruantium ægrè ferentes in multis locis eos à corpore Religionis paulatim auelli, institutis proprijs Vicarijs, &c.* & post aliqua. *Quia verò Minister Generalis Antonius de Massa laxatis habenis regiminis magnam administrabat causam Obseruantibus segregandi se à Communitate Religionis, adiunxit ei Pontifex Socium, &c.* In margine aperit quinam dissiderent, & essent Fratres de Communitate dicens. *Disceptatio inter Conuentuales, & Obseruantes;* ibi ad annum 1430. sub Mart. v. ann. 13. pag. 207. num. p. *Diximus anno præcedenti Pontificem statuisse, vt Capitulum Generale, quod iuxta Regulæ præceptum, de celebrandis comitijs singulis triennijs, hoc anno cogendum erat in Ciuitate*

 Leodiensi,

Leodiensi, translatum fuisse in Vrbis Conuentum Aracelitanum; Re tamen melius excogitata, iussit, vt Assisium omnes, tàm Conuentuales, quàm Obseruantes conuenirent, & pag. 209. num. 5. *Conuenientibus igitur in vnum Vniuersis totius Religionis Suffragantibus tàm ex Patribus Conuentualibus, quàm Obseruantibus die 5. Iulij, in quem incidit Festiuitas Corporis Christi, incoata sunt comitia*, & pag. 219. num. 24. *Aegrè tulerant hac, qui puritatem Regulæ immaculatam volebant, neque à querelis destiterunt, donec sub Eugenio Pontifice anno sequenti, indicto peculiari prò solis Obseruantibus Capitulo in Vrbe Bononiensi, & Patribus Concilij Basiliensis adhuc legitimi, indultis, nouam sibi posuerunt regiminis formam, & paulatim à Patribus Conuentualibus recesserunt.* In his dictis candidè, ac manifestè habetur, inter quos essent contentiones tempore Concilij Constantiensis,& Basiliensis,Martini V,& Eugenij IV, quibus annis, quænam capta prouisio; separati enim fuerunt Patres de Obseruantia diffidentes cum Fratribus de Communitate, idest Conuentualibus, à Conuentualibus.

Ante hos præiuerat alius veritatis huius tibicen, qui vt illam omnium auribus infunderet patrio voluit fari sermone. Audiatur, est enim Marcus Vlyssiponensis Regularis Obseruantiæ alumnus, qui tertia parte Chronic. lib. p. cap. 29. & 30. ad annum 1414. subdita scribit cap. 29. *Ricorsero i Frati Minori di Francia à questo Concilio* (idest Constantiense) *come zelosi della Riforma dell' Ordine, à domandare rimedio di poter viuere nell' Osseruanza della Regola da essi professata, la qual cosa non poteuano fare, per la persecutione fattagli da Ministri, e Prelati Conuentuali, quali viueuano con priuilegi*: & in fine capitis. *Per questa persecutione gli Osseruanti furono sforzati di ricorere al Concilio Constantiense, acciochè gli liberasse dal Gouerno de Conuentuali*; & cap. 30. initio. *La domanda, che faceuano i Frati Zelanti dell' Osseruanza, conteneua otto cose, nelle quali communemente erano i precetti della Regola trasgrediti, & innosseruati dalla Communità de Conuentuali, &c. E che haueuano già adunati dodici Monasteri diuoti, e molto conue-*

nienti per l' Osseruanza, nella Prouincia di Francia, di Borgogna, e di Turonia, ne quali viueuano, separati da Conuentuali, nella Regolare Oßeruanza, &c. & in fine. *E perche si è visto, che la riforma fata da Clemente V. nell' Ordine, subito si estinse, per essere fata nell' vbidienza de Padri Conuentuali; & il medesimo si è visto altre volte, che i Zelosi della professione loro si affaticarono per riformarsi, perche subito furono perseguitati, e dispersi da Prelati della Religione, domandauano al Sacro Concilio, che gli separasse dall' vbidienza de Prelati Conuentuali, dandogliene de suoi medesimi, accioche in tal modo si potessero conseruare, & accrescere nell' Osseruanza della Regola. Questa petitione di Riforma con molti altri particolari fù presentata da detti Frati dell' Osseruanza di Francia al Sacro Concilio, il quale hauendo vdite le loro giuste domande, li liberò dalla soggettione de Prelati Conuentuali, & altre gratie gli concesse, come si vede nelle lettere, che cominciano: Sacrosancta Synodus Constantiensis, &c.* En ergo Communitas constituta à solis Conuentualibus, nedum tempore Sacri Concilij Constantiensis; sed etiam Viennensis sub Clemente V. per integrum sęculum, & annos ante idem Constantiense, cum hoc fuerit, celebratum ab anno 1414., illud verò de anno 1311, vt notabamus ante primam rationem primæ conclusionis, & cùm in eodem Concilio Viennensi supponatur tunc existere, & iam ante extitisse Communitatem Ordinis, conuincitur in aliud antecedens tempus incæpisse in Ordine Minorum nomen Communitatis, & consequenter nomen Conuentualium; en item subiectio, & separatio Obseruantium à Conuentualibus iuxta citatum decretum Concilij Constantiensis, in quo, cum solum nomen Communitatis Ordinis, sicut, & in Viennensi, asseratur, & Auctor iste pro eodem habeat Communitatem Ordinis, & Conuentuales, per ipsum idem omninò sunt, & idem est vsurpare nomen Communitatis Ordinis, ac Conuentuales.

Postremum locum dabimus Patri Fortunato à Sospitello, qui licet sit oppugnator accerrimus Patrum Conuentualium, negetque fuisse Ordinis Communitatem antiquam, vt videre

 estn.

est num. 73. 81. & 87., fuisse tamen Communitatem Ordinis constitutam à solis Conuentualibus, inuitus licet, vel immemor, vt assolet in toto opusculo in Franchinum, dictorum suorum, propugnat §. 3. num. 14., ait enim. *Nec tamen post Eugenium semper, & inuariatè, sed vt in pluribus, Conuentuales dicebantur, cum etiam Fratres Minores de Communitate, vel etiam Fratres Minores solummodo aliquando vocitarentur*; & adducens rationem, cur hanc denominationem Communitatis tenerent, inquit, *dum Ordinem Minorum in communi adhuc repræsentarent*; his verbis, vt patet, sicut in antecedentibus, & consequentibus, de solis Conuentualibus fit sermo sine commixtione vlla aliorum Minorum de Congregationibus; Conuentuales ergo soli Fratres de Communitate post Eugenium nuncupabantur; sed quare non ante? Et herclè ante, quare ante? quia *adhuc Ordinem Minorum*, inquit P. Fortunatus, *in communi repræsentabant*; quid enim vult ly, *adhuc*; ergo antea; adhuc viuis, ergo antea viuebas: Calepinum interroga quid sibi velit aduerbium hoc, adhuc? & respondebit. *Adhuc, etiam num, etiam tum, iam tum, aduerbium compositum ex ad, quod significat vsque, & huc, siuè vsque modo* (sino à quest' hora, à questo tempo) vnde post pauca: *denotat autem quandoque temporis continuationem. Horatius: Grammatici certant, & adhuc sub Iudice lis est*; nec quisquam in alium sensum hic, y adhuc, extorquere poterit, & n. 107. *Ipsa verò*, inquit, *Communitas Ordinis, tùm Claustralium, tùm sæpius Conuentualium, & rarius Fratrum Minorum solo nomine incœpit audiri*, & rationem assignat, *ex eo, quod sequentes, & non sequentes priuilegia, maximè verò Clarenos, Amadeos, Coletanos, imò, & Obseruantes contineret, vbi de materia Ordini vniuerso communi tractaretur*. Teneo assertum, sed causalem dimitto vti contradictoriam ex dictis immediatè ante primam rationem huius conclusionis. Tùm quia, si Communitas Ordinis continebat Clarenos, Amadeos, Coletanos, & Obseruantes, cur harum Congregationum nunquam denominationem admisit, sed dumtaxat Conuentualium? Nec enim vel

vnica

vnica vice inuenies Communitatem Ordinis fuisse, vel Clarenos, vel Amadeos, vel Coletanos, vel Obseruantes vocatam, & maximè de his dubium omne difugit, qui iugiter Communitatem oppugnauerunt, & vt ab illa seiungerentur conatus omnes adhibuerunt; separati sunt, denuo vniti, recedere quesierunt, iterum recesserunt, & tertiò caput erexerunt, sub quo omninò discreti viuerent à Communitate, idest à Conuentualibus. Tùm quia si sub nomine Communitatis veniebant omnes Congregationes vbi de materia Ordini vniuerso communi tractaretur, ergo quando de hac non tractabatur, soli veniebant Conuentuales, non post Eugenium dumtaxat, sed ante, aliàs quibus ex Minoribus conflata fuisset Communitas? Non ex Obseruantibus, qui hunc titulum acceperunt, vt à Communitate Ordinis seiunctos se ostenderent, & viuendi formam omninò ab illa diuersam habentes; non ex alijs pariter, quæ vel non omnes extabant, existente Ordinis Communitate, vel hac de causa in Congregationes ibant, vt non haberent communionem cum Communitate Ordinis, igitur, & ante Eugenium, & post Eugenium, Communitas Ordinis erant Conuentuales.

Dices primò cum Patre Fortunato num. 106. 107. 108. In Ordinis Communitate indifferenter viuebant Conuentuales, Clareni, Amadei, Coletani, & reliquæ Congregationes, imò, & Obseruantes ipsi, ergo nomine Communitatis non sunt intelligendi soli Conuentuales; antecedens probari potest, quia tùm Obseruantes, tùm Congregationes omnes cogebantur parere Ministro Generali Communitatis, & ab illo dependebant in confirmatione Vicariorum à se ipsis electorum, igitur, &c.

Respondetur distinguendo antecedens, viuebant cum addito, superantia, & excessu in modo viuendi Communitatis, quomodo secundum Aristotelem, vt diximus, est viuere propriè, & singularitèr, non communitèr, concedo antecedens; absolutè, & sine superantia, nego antecedens; habebant quidem omnes Congregationes calorem aliquem à

Ministro Generali Communitatis, sed præcipuum, intrinsecum, ac, vt ita dicam, proximum vitalem accipiebant à proprijs Præfectis, ad probationem concesso antecedenti, negatur consequentia, cuius negationis ratio patet ex dictis in secunda ratione pro secunda conclusione de praxi actuali aliarum Congregationum; tùm quia dependentia præfata, imò dependentia in visitatione, & correctione à Ministro Generali in nullo infringit perfectam separationem; Leo enim X. dependentiam, quam habebant Obseruantes à Conuentualibus, nondum totali inter ipsos existente separatione, voluit vice versa substitui in Conuentualibus ad Obseruantes ab ipso patrata solemni separatione Obseruantium à Conuentualibus, licèt nunquam fuerit ad actum deducta huiusmodi dependentia, ita vt redita sit frustranea potentia obedientialis actiua in Obseruantibus; Frustra est enim illa potentia, quæ nunquam reducitur ad actum, dicente Aristotele 2. phis. t. 62. *tanquam hoc sit frustra, quod natum est alterius gratia, cum non perficiat illud, cuius gratia erat, natumque erat.* Non quidem ob bonum pacis, vt affirmat P. Fortunatus nu. 55., cum Superiores agere in Conuentuales ex animo conceperint in cordibus Patres de Obseruantia, vt assertor est Leo X. in prima Bulla concordiæ, *Ite, & vos, &c.* illis verbis post initium. *Sed veluti inter parabolicos, & Euangelicos illos viticolas, qui nouissimi æquabantur prioribus* (qui sint isti nouissimi, & illi priores definit paulò superius, distinguendo initia omnium, qui insurrexerunt post institutionem Religionis Minorum) *Murmur surrexit non paruum, sic acclamantibus Regibus, Principibus, Communitatibus, & Populis, graues lites, & iurgia, ac dissensiones, occasione superioritatum, & præfectionis graduum, inter aliquos huius Religionis professores per totum Mundum, magis, ac magis augeri dietim accepimus.* Nec poterant esse Conuentuales, qui cierent huiusmodi discordias propter superioritates adipiscendas, quippe qui illis semper fuerint potiti, regentes Ordinem, & ad clauum sedentes; erant ergo Obseruantes; sed quia Leo ipse exemit ab hoc

pondere

pondere duos Conuentualium Generales, Clemens VII., & eorum Successores, cæteros Generales liberaureunt, vt acuratissimè obseruat P. Gabriel Faber in suo speculo p. 17., stat igitur subiectio ad Ministrum Generalem, & Ministros Prouinciales, cum perfecta separatione.

Respondetur secundò. Viuebant vt Fratres Communitatis, & eius pars intrinseca, & absolutè, nego antecedens; viuebant vt membra separata, & extrinseca, iuxtaque dispositionem Concilij Constantiensis, & Summorum Pontificum cum proprijs Vicarijs, concedo antecedens, ad probationem concesso antecedenti, negatur consequentia, quia huiusmodi dependentia cum non fuerit sine separatione, & forma viuendi diuersa à Communitate, licet non fuerit totalis, & adæquata, quia confirmati Vicarij, non amplius dependebant à Ministro Generali, nisi in aliquo casu visitationis, &c. & in triduo post electionem non confirmati, non amplius à Ministro Generali in confirmatione dependebant, ideò asseri non potest, quod fuerint de Communitate absolutè, & simplicitèr, sed ad plus extrinsecè, & secundum quid.

Habemus ergo, qui fuerint Fratres Communitatis satis ex omni capite possibili ostensum; non ergo carpendus venit Eminentissimus de Lauræa, sicut placet P. Fortunato n. 124. dum epit. can. verbis *Fratrum Minorum Reformatio, & diuisio*, ait, *Qui à Communitate Ordinis se diuidunt, Reformati, seù Obseruantes dicuntur: alij autem Fratres remanent sub Communitate Religionis cum titulo Minorum, seù Conuentualium*; nec potest de Conuentualibus largè sumptis, prout importat Fratres inhabitantes Conuentus, vt patet ex dictis toto hoc capite, ritè interpretari, & licèt in Concilio Constantiensi non fiat mentio Conuentualium sub hoc indiuiduo nomine, fit tamen secundum rem, vt dictum est, & probatum rationibus euidentissimis, & auctoritatibus pro eodem habentibus Communitatem Ordinis, ac Conuentuales.

CAP. II.

CAPVT SECVNDVM.

Ostenditur Minores Conuentuales immediatè fuisse institutos à S. Patriarcha Francisco.

OPpositum insecundis rationibus sparsim in suo Opere conatur ostendere P. à Sospitello, præcipuè verò nu. 73., vbi Conuentuales non fuisse à S. Patre Francisco institutos, Roderico adhærens, superinductos contra S. Francisci Institutum docet. Rodericus equidem tom. pr. qu. 5. art. 2. de Origine Fratrum Minorum Obseruantiæ. *Respondeo*, inquit, *dicendo, quod cum Religio Fratrum Minorum, & eius Regula sit quadam Diuina plantatio, non potuit ipsa Diuina Maiestas pati, vt ipse Conuentualis status, contra Regulam, & viuendi normam Patris nostri Francisci inductus, ita perseueraret, vt in eo Sigillum totius Ordinis contineretur, & Generalis ipsius Conuentualitatis Patrem nostrum Franciscum repræsentaret, cuius ipse minimè fuit Institutor, & author.* Quibus verbis armatus Pater Sospitellus: *Quid clarius*, ait, *de Conuentualium Origine, non à Sancto Francisco, sed contra Sancti Francisci institutionem superinducta potuit desiderari?* Non est tamen quod glorietur in verbis subillatis; *Quos ergo Minores Sanctus Franciscus instituit? certè sua Regula Obseruantes*; intelligendo nomine Obseruantium, consueta sibi æquiuocatione, Patres Regularis Obseruantiæ, talitèr vocatos à tempore Concilij Constantiensis,

ſtantienſis, *nam antequam*, inquit ibi Rodericus, *Obſeruantes appellarentur, Fratres de Familia vocabantur*; etenim ſi Roderico fidit in Conuentuales, cum Roderico iter agere tenetur de Obſeruantibus diſſerendo; ibi autem Rodericus procreationem Obſeruantium à Fratre Paulo de Trincis agnoſcit cum Marco Vlyſipponenſi in chronicis p. 3. & in principio p. 4. *Et ſic*, do verba Roderici, *Diuino Numine patrocinante Obſeruantium Fratrum ſtatus fuit procreatus, qui antequam Obſeruantes appellarentur, Fratres de Familia vocabantur. Et cum Deus humilia eligat, vt fortia quæque confundat, & cum de ſtercore erigat pauperem, vt collocet eum cum principibus, cum principibus Populi ſui, erexit cornu ſalutis ſuæ in Domo Franciſci pueri ſui Fratrem Paulum de Trincis Laicum Diuino Spiritu afflatum, qui literas à Generali Miniſtro obtinuit, quarum facultate Conuentum Burlianum in Italia erexit, ductis ſecum quibuſdam Fratribus, cum quibus vitam pauperem, prout in Regula præcipitur, duxit, ſtatimque nouem Oratoria, ſiue Eremitoria illi adhæſerunt, in quibus rigidæ paupertatis amatores libenter habitabant, quibus idem Frater Paulus Præfectus eſt primus Vicarius, & Prælatus anno Domini milleſimo trecenteſimo octuageſimo:* Non ergo ſecundum Rodericum Obſeruantes ſunt inſtituti à S. P. Franciſco, ſed procreati ſunt à Fratre Paulo de Trincis, qui eorum etiam extitit Præceptor, Paſtor, & Dux primus. Vt veritas autem non odium pariat, vt fieri aſſolet, ſed grato ſapore edatur à diligentibus illam, antequam probationes ob oculos proponantur pro noſtro aſſerto, vnum breuitèr adnotare libet, quod eſt.

Aliquod aſſertum aliquando capi poſſe, vel in ſenſu reduplicatiuo, vel ſpecificatiuo; ſed ante legitimam horum ſenſuum explanationem, licet immorari in quamdam Patris Soſpitelli recentèr allatam, nil logici ſaporis redolentem, verum, & omnium logicorum guſtui inſuauem, imò inimicam, nec ab vllo ipſorum ſomniatam; ità differentem eundem lego numero nonageſimo ſecundo: *Verum obitèr; ad rem tamen adnotandum non importunè cenſeo, quod inter affixa nomina*

quædam

quædam reduplicant quidditatem eius, cui affiguntur, quædam verò ipsum ab alio distinguunt: Si enim hominem rationalem dixero, non aliud nisi hominem dico, cùm rationalitas sit de eius essentia, si autem hominem furiosum annunciabo, patet, quod ipsum ab homine pacato distinguam; hanc autem doctrinam in esse signato traditam, ad exercitium deducit, dum subdit. *In casu sumus: dum Fratrem Minorem Obseruantem nuncupo, Fratrem Minorem simpliciter dico, cum esse sua Regulæ Obseruantem reduplicet id, quod de sui natura natum esse debet in vnoquoque regulari. Cum verò Fratrem Minorem Conuentualem appello, dico Fratrem Minorem quidem, sed qui viuit cum distinctiuo (priuilegijs nempe) per quod à simplici Fratre Minori discrepare non dubitatur*; membratim hæc dicta examinare vacat. *Inter affixa nomina, quædam reduplicant quidditatem eius, cui affiguntur*; si nomina affiguntur quidditatem habenti, iam supponunt eius quidditatem constitutam, ergo nequeunt eius quidditatem reduplicare; quod enim alteri affigitur omninò illi extraneum est, ac extrinsecum; interroga Calepinum quid sibi velit affigere? Respondebit, verbo figo figis. *Huius composita sunt, affigo ad aliquid, vel iuxta aliud figo, appono.* Lactant. lib. 4. *At ille comprahensum, ac Pontio Pilato, qui tunc Legatus Syriam regebat, oblatum, Cruci affigi postulauerunt: aliquando iuxta planto.* Virgil. lib. 2. Georg. *Nec semine iacto concretam patitur radicem affigere terræ.* Marius Nizzolius in suo thesauro Ciceron. verbo affigo, explanans, ait; *ad aliquid figo, infero, addo*; & adducit auctoritates Ciceronis. Laurent. in sua Amalthea Onomast. verb. affigo, exponit: *aliquid figo, Attacare.* Calderinus pro tyronibus linguam latinam addiscentibus, verbo *affigo, conficare, ficare.* Si dicas hoc intelligendum hìc logicè, & secundò intentionalitèr, vt idem sit, ac enunciare, prædicare: & ego inuentorem te dicam contra Grammaticos in sua arte peritos, quorum peritia vtitur Logicus in accipiendis nominibus, & eorum significatis, aliàs nouum pro logicis conficere, ac euulgare necesse foret Dictionarium; sed logicè

logicè loquamur; ait P. à Sospitello quædam nomina reduplicare quidditatem, quædam ab alio distinguere; terminus reduplicatiuus, vel rigorosè accipitur, ita vt quo ad vocem, & rem faciat sensum reduplicatiuum, & non rigorosè, sed dumtaxat quo ad vocem, cum faciat sensum specificatiuum; sensum ergo diuidunt reduplicatiuum, & specificatiuum, non reduplicatiuum, & distinctiuum, quomodo ergò logicè loquatur Pater à Sospitello, dicendo nomina alia reduplicant, alia distinguunt, viderit ipse. Loquamur etiam metaphisicè cum Scoto p. d. xi. q. 2. B. *Quocunque formalitèr aliquid constituitur in esse, eodem distinguitur, quia eodem est aliquid ens, & vnum vnitate conuenienti tali entitati, & si vnum, igitur in se est indistinctum, & ab alijs distinctum:* Nomen ergo quod quidditatem significat, & rei constitutiuum, significat etiam distinctiuum eiusdem rei ab omni alio, & eo modo, quo constituit, vel vt formale, vel vt materiale, eo modo paritèr distinguit ab alio, quod non habet materiale, vel formale, vt disertissime ostendit Scotus ibi, & lit. C. an igitur bona sit ista diuisio; nomen aliud reduplicat quidditatem, aliud distinguit, quasi nomen, quod reduplicat quidditatem, non indicet distinctiuum (aliàs nulla esset diuisio, quia membra diuidentia non essent opposita, & haberent idem omninò officium diuidendi) cogitet idem Pater à Sospitello; nos enim cum Scoto, & Metaphisicis id pro impossibili tenemus; sed stemus in allato exemplo à Patre à Sospitello. *Si enim hominem rationalem dixero, non aliud nisi hominem dico, cum rationalitas sit de eius essentia, si autem hominem furiosum enunciabo, patet, quod ipsum ab homine pacato distinguam*; tunc interrogo, per quid homo primo, & quidditatiuè distinguitur a lapide, & ab omni eo, quod non est homo? Non ne per rationalitatem? Audi Doctorem citatum lit. C. *Per formale constitutiuum distinguitur constitutum ab omni alio, etiam si per impossibile quodcumque aliud ab illo circumscribatur, quia per illud distinguitur primo, idest adequatè ab omni non tali, sed quodcunque non habens illam formam constitutiuam est non tale,*

igitur

igitur per illam distinguitur ab omni alio non habente illam: ista ratio declaratur: quia licet homo non tantum per rationale distinguatur à lapide, sed etiam per animalitatem, non etiam primò distinguitur per rationalitatem, idest non adequatè, quia tunc quodlibet distinctum à lapide esset rationale, sed adequatè in genere corporis primò distinguitur à lapide per animatum: tamen circumscribendo per intellectum ab homine quodcunque aliud à rationali, per illud solum distingueretur essentialiter à quocunque non rationali, & ità à lapide, qui non est rationalis, &c. Per rationalitatem igitur homo distinguitur ab omni eo, quod non est homo, quidditatiuè, & per stultitiam, accidentalitèr ab homine sanæ mentis. Sed procedamus vlterius in pace, si fieri potest; *In casu*, inquit, *sumus. Dum Fratrem Minorem Obseruantem nuncupo, Fratrem Minorem simpliciter dico, cum esse suæ Regulæ Obseruantem reduplicet id, quod de sui natura natum esse debet in vnoquoque Regulari; Cum verò Fratrem Minorem Conuentualem appello, dico Fratrem Minorem quidem, sed qui viuit cum distinctiuo, priuilegijs nempe, per quod à simplici Fratre Minori discrepare non dubitatur.* In primis, olim didici actum secundum nunquam esse de ratione formali principij, à quo procedit, esse autem Obseruantem suæ Regulæ est actus secundus, aliàs omnis Regularis vt supponit absolutè, esset essentialiter Obseruans, & nullus inobseruans, seù transgressor suæ Regulæ, quod faxit Deus verum esset, & ità singuli Regulares essent quidditatiuè Obseruantes, sicut quia omnis homo est animal rationale, singuli homines, Petrus, Paulus, &c. sunt animal rationale, & est Regula antepredicamentalis tradita ab Aristotile cap. 3. *Quando alterum de altero prædicatur, vt de subiecto; quæcumque de eo quod prædicatur dicuntur, omnia etiam de subiecto dicentur, vt homo de homine quodam prædicatur, animal verò de homine, ergo, & de quodam homine animal prædicabitur, quidam enim homo, & homo est, & animal*; & cap. 4. *Subalternorum verò generum nihil prohibet easdem esse differentias:*

Superio-

Superiora enim de ijs, quæ sub ipsis sunt generibus prædicantur: quare quotcunque differentiæ prædicati fuerint, totidem, & subiecti erunt; igitur si de Minori vt sic essentialitèr prædicatur esse Obseruantem suæ Regulæ, de quocunque prædicatur Minor, prædicabitur esse Obseruans suæ Regulæ, sicque Fr. Antonius, Bonauentura, Pacificus, Pasqualis, &c. erunt Obseruantes Regulæ Minoriticæ, licèt sint inobseruantes, imò impossibile erit, quod sint inobseruantes, & fiet quod omnes Conuentuales, quos concedit esse Fratres Minores, sint suæ Regulæ Obseruantes, & simplicitèr Fratres Minores iuxta sensum P. Fortunati, & ita non habentes distinctiuum, & simul habentes, quia ex quo Conuentuales sunt, vult habere distinctiuum à simplici Fratre Minori. Rursus: Si esse Fratrem Minorem Obseruantem importat simplicitèr, ac essentialitèr Fratrem Minorem; in hoc, quod est constitutum ex Fratre Minori, & Obseruante, erit adinuenire genus, & differentiam, quia omnis essentia completa creata constat ex genere, & differentia; da ergo genus in hoc constituto, nonne erit Frater Minor? certè, assigna differentiam, aliam non assignabis, quàm esse Obseruantem suæ Regulæ, igitur peribit somniata doctrina Patris Fortunati de pura essentia Fratris Minoris Obseruantis sine distinctiuo, & de distinctiuo à Fratre Minori simplicitèr in Conuentuali per esse priuilegiatum.

Ad idem, dum dicis, Frater Minor Obseruans, vel concedis in hoc conceptu genus, & differentiam, vel non, si non, ergo erit conceptus simplicitèr simplex, & ita non solùm ens, vt sic, erit tale; vel erit chimera chimerarum, quia in puris chimeris aliquo modo assignatur secundum vocalem, ac nominalem explicationem prædicatum commune, & distinctiuum à non chimera, vel erit natura communis separata ab inferioribus; si concedis, vt concedere cogeris, nisi velis offendere in mille inaudita, & inextricabilia absurda, aliud genus assignare nequis, quàm Frater Minor, aliam differentiam, quàm Obseruans, ergo Frater Minor Obseruans erit species constituta ex genere, & differentia assignatis, nullum

autem

autem genus in vnica ſpecie de facto conſeruatur, igitur erit aſſignare aliam ſpeciem Minorum, & iſta erit Minorum Conuentualium, cum Minores Conuentuales, vt Minores habeant genus, vt Conuentuales habeant, ſecundùm etiam Patrem Fortunatum, diſtinctiuum, has verò Minorum ſpecies duplicatas odit, ac perſequitur num. 101., cum tamen velit nolit ſub hoc genere Fratris Minoris de facto exiſtant Minores Conuentuales, Minores, qui dicuntur de Obſeruantia, Minores Obſeruantes Reformati, ſtrictioris videlicet Obſeruantiæ, & Minores Capuccini. Dicamus ergo, & aperiamus manifeſtiſſimam veritatem, ſub genere Regularis contineri plures ſpecies, quarum vna, & ſpecialiſſima eſt Fratrum Minorum, quæ diuiditur, vt ſubiectum in ſua accidentia, quemadmodum enim albedo diuiditur per intenſionem, vt quatuor, vt ſex, & vt octo, in quo caſu perfectum, & imperfectum non variant ſpeciem; ſic Frater Minor diuiditur per accidentia in ſimpliciter Obſeruantes rigorem ſuæ Regulæ, ſicut ſunt Patres Capuccini dumtaxat, in Obſeruantes cum aliquo moderamine, & ſunt Patres Regularis Obſeruantiæ, iuxta dicta initio errore quarto, & in Obſeruantes Regulam Minorum ſub modificatione legitima, vt fit à Patribus Conuentualibus, qui tamen diuerſi modi non variant, ſicut perfectum, & imperfectum, ſpeciem Fratris Minoris eſſentialitèr: vel ſi hoc non arridet, dicamus, Religionem Minorum eſſe genus ſubalternum, loquor ſemper in genere moris, latiſſimè, & ſecundùm popularem modum loquendi, ſub quo ſunt de facto tres ſpecies ſpecialiſſimæ, Minorum Conuentualium, Minorum Regularis Obſeruantiæ, & Minorum Capuccinorum, quibus vniuocè, analogicè conuenit eſſentialiter genus, Fratris Minorum, ſicut ens reale omnibus entibus realibus, & animal omnibus animalibus, & ſecundùm etiam hanc acceptionem nos locuti ſumus ſuprà. Hanc doctrinam repetit Pater Fortunatus num. 100, & 101, cui nos iterum in fine capitis, reſpondendo ad argumenta, ſatisfaciemus; interim aduertat Pater Lector ne ſuis Diſcipulis hanc

 inſtillet

instillet doctrinam, non enim veritati consentanea est, tùm proptèr dicta, tùm quia reduplicatio fieret solùm in prędicatis quidditatiuis, quod alienum esse à veritate mox ostendemus.

Reduplicatio ergò secundùm Logicos, vt docet Pater Mastrius p. p. instit. tract. 1. cap. 12. num. 44., & Pontius in introduct. ad logic. cap. 15. num. 3. ex Scoto 3. d. 11. q. 2. A, & B, & quolib. 3. H, fit per istos terminos latè sumptos, Vt, pro vt, in quantum, quatenus, secundùm quod, & consimiles, seù æquiualentes, qui si accipiantur, vt indicant terminum, cui apponuntur esse causam, vel saltem conditionem cur prædicatum conueniat subiecto, vt homo inquantum rationalis est risibilis, ignis, prout applicatus est stuppæ, comburrit; vel notat prædicatum esse de essentia, & quidditate subiecti, siuè in primo, siuè in secundo modo dicendi per se; *Et etiam*, inquit Doctor cit. quolib. 3. H; *Concedi potest, quod homo secundum quod homo est risibilis, & est ibi causa inhærentiæ in secundo modo dicendi per se*, vt homo inquantum homo est rationalis, vel risibilis, faciunt sensum propriè, ac simpliciter reduplicatiuum; si verò tales particulæ afficiunt aliquem terminum ratione cuius non repugnat simul, & semel cum ipso aliquod prædicatum conuenire subiecto, faciunt sensum specificatiuum. *Exemplum*, inquit Scot. quolib. 3. cit. §. quantum, fine. *Homo vt risibilis intelligit: hæc non est vera sic, quod risibilitas sit causa inhærentiæ prædicati, sed sic est vera, quod homini considerato sub ratione risibilis, non repugnat hoc prædicatum intelligere, sed conuenit, & isto modo quæcunque determinatio sub qua consideratur subiectum, quæ tamen non excludit prædicatum, non falsificat propositionem in qua prædicatum dicitur de subiecto sic determinato.* Potest etiam dictio reduplicatiua poni, vt afficiat terminum determinantem se ipsum; *Hoc modo etiam*, ait Scotus ibi, *quando idem ponitur determinatio sui ipsius mediante hac dictione, in quantum*, & tunc etiam, vel fit sensus reduplicatiuus propriè, ac simplicitèr, vel specificatiuus, tunc fit reduplicatiuus, quando notatur, quod ratio reduplicati sit ratio inhærentiæ

rentiæ prædicati cum subiecto, tunc specificatiuus, quando denotatur terminum accipi sub sua præcisissima ratione, cui non repugnat prædicatum, quod dicitur de illo, illi conuenire simul cum sua ratione, dat ibi Scotus exemplum de Paternitate Diuina, nam dicendo Paternitas, vt Paternitas comparata ad essentiam est res, vel vt in Essentia Diuina est res, si ly vt accipiatur reduplicatiuè, ità quod indicet, quod esse in Essentia sit causa inhærentiæ huius prædicati, res, cum Diuina Paternitate, sensus est falsus, si verò ly vt se teneat specificatiuè, sensus est verus, quia tunc sensus est, quod Paternitas non solùm præcisè accepta est res, sed etiam vt in essentia; *Ad propositum*, inquit Scotus, *cum dico quod relatio vt comparata ad Essentiam Diuinam est res, potest intelligi dupliciter, primo modo, vt relationi considerata sub tali comparatione conuenit hoc prædicatum, res; vel secundo modo, quod illa comparatio sit ratio inhærentiæ huius prædicati, quòd est res, secundo modo propositio est falsa, quia illa comparatio ad essentiam est sola comparatio rationis, est enim inter extrema non distincta realiter, relationem, scilicet, & essentiam, quæ tamen potest intellectus comparare, & ita est inter ea relatio rationis; non ergo de isto intellectu loquimur, sed de primo; & tunc est sensus, quod Paternitas non solum præcisè accepta secundum quod Paternitas, sed etiam secundum quod considerata sub ista ratione, vt comparatur ad essentiam, vel vt est in essentia, est res, quia ista comparatio non diminuit, nec destruit Paternitatem esse rem, sed supponit.* Tandem secundum quod solet etiam communiter loqui, sensus reduplicatiuus accipitur aliquando pro sensu composito, & sensus specificatiuus pro sensu diuiso; veluti si dicamus, paries, vt albus reduplicatiuè, disgregat visionem, ideſt in sensu composito, vt stat sub albedine disgregat visionem; homo prout sedens potest currere, est sensus specificatiuus, si debet esse verus, seu est sensus diuisus, quia homo sciunctus à sessione potest currere; In præsenti dum quæritur. An Minores Conuentuales fuerint instituti immediatè à Sancto Patriarcha Francisco, id pòtest

quæri in ſenſu reduplicatiuo, ſiuè in ſenſu compoſito, ita vt ſimul, & vt Minores, & vt nuncupati Conuentuales ſint geniti à S. Patre, vel in ſenſu ſpecificatiuo, hoc eſt fuerint inſtituti Minores, qui appellantur Conuentuales.

Dico ergo Minores Conuentuales fuiſſe immediatè genitos, & inſtitutos à S. Patriarcha Franciſco in ſenſu ſpecificatiuo, hoc eſt Minores, qui appellantur Conuentuales per ſuperadditum agnomen, immediatè fuerunt geniti à Sancto Patriarcha Franciſco, nec ab alio prodierunt.

Probatur primò auctoritatibus eorum, qui callentes originem, ac initium Minorum Conuentualium teſtati ſunt editos fuiſſe, ac inſtitutos à S. Patriarcha Franciſco, ſuntque omnes teſtes omni exceptione maiores, de quorum fide nefas eſt dubitare. Primi teſtes ſunt Georgius Epiſcopus Albanenſis Ordinis Minorum Viceprotector, & Antoniottus Tit. Sanctæ Praxedis S. R. E. Emi Cardinales; cum enim his duobus demandaſſet Alexander Sextus Summus Pontifex reuiſionem Conſtitutionum editarum pro reformatione Minorum Conuentualium in Capitulo Interamnę celebrato, in quo electus fuit Miniſter Generalis Magiſter Egidius Delphinus Amerinus anno 1500., & earumdem approbationem, ac confirmationem, in Bulla, quam pro approbatione, ac confirmatione ediderunt, hæc inſeruntur initio. *Quàm vberes fructus in Dei Eccleſia ſacer Ordo Fratrum Minorum ab eius inſtitutione produxerit, effectus ipſe euidenter oſtendit. Ipſi ſanè Fratres mundanis abiectis illecebris, & fragili mundo mortui ad æternæ vitæ beatitudinem anhelantes, ac Domino noſtro Ieſu Chriſto in ſimplicitate cordis, & puritate conſcientiæ continuè ſeruientes, eorum ſanctis operationibus, prædicationibus aſſiduis, & exemplo vitæ ſummoperè proficiunt, & alios ad opera incitant charitatis. Hic eſt enim ille Sanctiſſimus Ordo, quem Beatus ille Franciſcus in ſincera charitatis, & paupertatis ſpiritu Diuina inſpiratione plantauit, &c.* Bulla hæc reperitur in Conſtitutionibus Alexandrinis pag. 4., fuitque euulgata anno 1500., tunc temporis quando Patres de Obſeruantia

seruantia separati iam viuebant à Patribus Conuentualibus sub proprijs Vicarijs, nec Generali Capitulo interueniebant; incapaces enim erant actiuæ,& passiuæ vocis in electione Ministri Generalis, ac Ministrorum Prouincialium, & Constitutiones præfatæ ipsos non tangebant quantum ad reformationem, quia iam erant reformati, igitur, &c.

Anno 1524. Kal. Decemb. totali separatione iam patrata à Leone X. 1517. inter Conuentuales, & Obseruantes, Clemens VII. declarauit Fratres Minores Conuentuales sub obedientia Magistri Generalis existentes, iuxtà Beati Francisci Regulam viuere, & priuilegijs Vniuerso Ordini concessis, vti, ac frui posse; verba præcisa Bullæ emanatæ, apud Confetium existentis pag. 143., aliàs errore sexto à nobis adducta sunt; & sunt hæc. *Auctoritate Apostolica decernimus, & declaramus, vos, & pro tempore existentes Fratres Conuentuales Ordinis Minorum sub dicto Magistro Generali viuentes, non alitèr, quàm iuxtà B. Francisci Ordinis vestri Institutoris Regulam viuere, nec non priuilegijs, & indultis prædictis absque vlla differentia, aut exceptione vti, potiri, gaudere, illaque Vobis suffragari debere, in omnibus, & per omnia, perinde, ac si nomina huiusmodi mutata non fuissent.* Conuentualium Institutorem ait fuisse Beatum Franciscum.

Pius Quartus anno 1563. in Breui expedito ad confirmandas Constitutiones Fratrum Minorum Conuentualium, pro reformatione Ordinis editis in Comitijs generalibus Florentiæ celebratis sub Antonio à Sapientibus Augustano Generali, initio sic fatur. *Sanè cum Nos nuper considerantes quàm vberes fructus in Dei Ecclesia sacer Fratrum Minorum Ordo ab eius institutione produxerit, & quantos in dies producturus sit, si ad pristinam Maiorum suorum normam per nouitatem, seù reformationem vitæ restitutus foret, &c.* Minores Conuentuales, ad quos dirigitur Breue, Minorum Ordinem absolutè vocat, quem vberes fructus ab eius institutione edidisse testatur; nemo autem est, qui ambigat Minorum Ordinem à Sancto P. Francisco fuisse immediatè institutum,

 igitur,

igitur, si secundum hunc Pontificem Minores Conuentuales sunt Ordo Minorum, secundum eundem institutus est Ordo ipsorum à S. P. Francisco; legitur breue initio Constitutionum Piarum.

Beatus Pius V. in Bulla extinctionis Conuentualium in Regnis Hispaniarum, quam affert Rodericus tom. 2. Bullarum Apostolicarum Bulla 15. Ordinem Conuentualium institutum, ac fundatum astruit à S. Patre Francisco his verbis. *Non sine magna sanè animi molestia Nobis innotuit, Fratres Ordinis S. Francisci Conuentuales, in diuersis Hispaniæ partibus, & Prouincijs constitutos, professionis, & salutis suæ immemores, & priuilegijs ab Apostolica Sedis benignitate impetratis abutentes, vitam ab Institutis Fundatoris, & Patris sui Seraphici admodum discrepantem, ac remotam ducere, &c.* Lata fuit Bulla anno 1566.

Sixtus Quintus duas edidit Bullas, erectionis videlicet Archiconfraternitatis Cordigerorum, & eiusdem confirmationis, quas quisque legere poterit penes Confetrium à pag. 216., & in vtraque Minores Conuentuales, de quorum Ordine fuisse gloriatur, à S. Patriarcha Francisco institutos apertis verbis docet. Audiatur in Bulla erectionis directa ad Clementem Bontadosium Generalem, ab eodem Ministri titulo donatum, Minorum Conuentualium. *Cum itaque*, inquit, *Beatus Franciscus, à quo Ordo dilectorum Fratrum Minorum institutus fuit, &c.* vocat Ordinem Minorum Conuentualium, ad quem dirigitur Breue, absolutè Ordinem Minorum, sicut Pius IV. parum supra citatus, etiam post totalem separationem à Patribus Regularis Obseruantiæ, & paulò post. *Nos, qui etiam à teneris annis singularem deuotionis affectum ergà ipsum S. Franciscum, cuius Corpus sub Altare Maiori Ecclesiæ Domus Fratrum Ordinis Minorum Conuentualium nuncupatorum Assisiensis, quæ inibi insignis, maximèque celebris, & diuersis priuilegijs decorata existit, requiescit, sub Habitu dicti Ordinis sui incedentes, gessimus, &c.* Attestatur Pontifex, se incessisse sub Habitu Ordinis sui, idest, S. Francisci, & hunc

Ordinem

Ordinem fuisse à S. Patre Francisco institutum; fuit autem, vt toti constat Orbi, Sixtus V. ex Ordine Minorum Conuentualium assumptus ad Pontificatus apicem, sicut etiam consentit P. Fortunatus num. 21., & de Sixto IV. num. 107., de cuius veritate legi potest Rodericus tom. 1. q. 5. art. p. fine, & tom. 3. q. 30. art. 4. §. sed supradictus, fine, & Franchinus sect. 6. num. 6. cum Vuadingo ab eodem cit. & P. de Gubernatis in suo Orbe Seraph. tom. p. lib. 3. §. 67. pag. 192. nu. 4. & 6., & pag. 374. ad annum 1467. num. 1. ex Vuadingo, & tom. 3. sect. 2. igitur, &c. In Bulla autem confirmationis post initium, hæc alloquitur. *Vnde, & factum est, vt meritis dicti B. Francisci Sacrosancta Mater Ecclesia fœtu nouæ prolis amplificata, miraculorum Sanctorum eius instituti meritis, virtutibus, exemplis, ac miraculis aucta, nec non quamplurimis Episcopis, Archiepiscopis, Patriarchis, Cardinalibus, Regibus, & Summis Pontificibus decorata, non possit ad eius deuotionis, & imitationis sectanda vestigia non esse propensa. Nos pariter qui à teneris annis singularem erga eundem Beatum Franciscum (gloria nostra) semper gessimus deuotionis affectum, & in dies semper accreuit, & mirè accrescit, & cuius cinguli, & amictus, instituti, & Ordinis pro Dei gratia, & nostra voluntate pro posse imitatores, alumni, & serui fuimus, ac fuisse gloriamur, &c.* Lętatur, gloriatur, ac iubilat Pontifex iste ex Ordine Minorum Conuentualium, se induisse Habitum, ac Cingulum S. Francisci, ac eius Ordinis, & instituti fuisse; quis ergo audebit ambigere fuisse Ordinem Minorem Conuentualium à S. Patriarcha Francisco procreatum, fundatum, & institutum, & in faciem tanti Pontificis obijcere mentiris? Si hoc quisquam auderet attentare, sciat statim conuinci ab Vrbano Pontifice Octauo.

Vrbanus igitur Octauus in Constitutionibus pro Ordine Minorum Conuentualium latis in cap. primum Regulę tit. 2. n. 2. & 3. declarat Minores Conuentuales viuentes iuxta priuilegia, & indulta Pontificia Regulam S. Francisci modificantia, esse veros filios, sequaces, & imitatores S. Francisci, ac

eiusdem Regulę seruatores,& obseruare eius institutum; quinimò Fratres viuentes iuxta Constitutiones Vrbanas quisquis ausus fuerit asserere non esse veros Regulæ S. Francisci Obseruatores, illicò subijcitur Excommunicationi; Verba Pontificis dedimus errore sexto. Si igitur Conuentuales sunt veri Filij S. Patris Francisci, eius Regulam, licet modificatam, & eius institutū seruant, manifestum est esse institutos ab eodem.

Probatur secundò ratione; Si quid obstaret Minores Conuentuales esse immediatè institutos à S. Patriarcha Francisco, maximè, quia sub nomine Minorum dumtaxat fuerunt filij eius instituti, & sub voto arctissimæ paupertatis, hæc autem ratio nulla est, igitur, &c. Maior patet, quia aliud obstaculum nequit inueniri, neque præter hæc duo, alia excogitauit P. Fortunatus: Minor probatur, primò, quia etiam Patres de Familia; Regularis Obseruantię, & strictioris Obseruantię non fuissent instituti à S. Patre, vti se iactant, quia, hoc quod est esse de Familia, Regularis Obseruantiæ, strictioris Obseruantiæ, sunt agnomina superaddita Minori, non excogitata à S. Patre, inuenta ad distinctionem inter Minores, vnde quo ad agnomen Obseruantis scribit P. Fortunatus n. 9. *Obseruantes præsertim à Concilio Constantiensi anno* 1415. , *velut proprio contra reliquos addito distinctiuo fuere nuncupati*. Legatur initium huius capitis. Leo etiam X. in Bulla vnionis, *Ite vos, &c.* post medium sub nomine Reformatorum,& purè, ac simpliciter Obseruantium Regulam B. Francisci, compræhendi voluit Obseruantes tam de Familia,quàm Reformatos, Amadeos,Coletanos, Clarenos,& alios similes, præcepitque omissa diuersitate nominum prædictorum, Fratres Minores S. Francisci Regularis Obseruantiæ, vel simul, vel disiunctiuè nuncupari de cætero debere. *Itaque*, inquit, *de cætero omissa diuersitate nominum prædictorum Fratres Minores S. Francisci Regularis Obseruantiæ, vel simul, vel disiunctiuè nuncupentur, & nuncupari possint, & debeant;* In quibus verbis ly simul, & disiunctiuè cadit supra Amadeos, Coletanos, Clarenos, & similes, vt sensus legitimus secundum veram constru-

ctionem,

ctionem, fit, vel Amadeos ab alijs disiunctos acceptos posse, & debere appellari Fratres Minores Regularis Obseruantiæ, & sic Clarenos, &c. vel simul vnitos cum Coletanis, Clarenis, &c. quos omnes vnum corpus efformare voluit, non verò cadit supra illa verba *Fratres Minores S. Francisci Regularis Obseruantiæ*, vt malè interpretatur P. Fortunatus nu. 7. vt sensus sit nuncupari debere, vel Fratres Minores, vel S. Francisci solummodo, & simpliciter, vel addito ad summum, de Regulari Obseruantia; quia, vt videre est in Pontificis textu, Pontificis sermo quoad simultatem, & disiunctionem quoad appellationem, est de Congregationibus, nec separat Fratres Minores à Fratribus S. Francisci, vel à Fratribus Regularis Obseruantiæ, sed hoc totum Fratres Minores S. Francisci Regularis Obseruantiæ intendit debere esse prædicatum, & enunciari de toto corpore vnitorum à se, vel de partibus illius totius disiunctim à toto acceptis ad distinctionem Conuentualium, de quibus statim loquitur. *Conuentuales verò, & secundum priuilegia viuentes, &c.* Et hoc euidentius apparet ex immediatè sequentibus, *Cæterum*, inquit Pontifex, *vt dissensionum, scandalorum, & partialitatum fomes, penitus ab ipso Ordine tollatur, præcipimus firmiter, & mandamus sub pœna Excommunicationis latæ sententiæ ipso facto incurrendæ, à qua nullus, præterquam in mortis articulo, nisi à Nobis, aut à Sede Apostolica, possit absolui: nec aliquis Frater Ordinis S. Francisci appellet alium Fratrem eiusdem Ordinis malitiosè, irrisoriè, seu improperiosè, priuilegiatum*, & hi sunt Conuentuales, *Coletanum, Bullistam*, idest Bullas procurantem, *Amadeistam, Clarenum, de Euangelio, seu de Caputio, Bigotum, aut alio quouis nomine, etiam de nouo repertum, seu fortè in futurum, occasione priorum diuisionum ipsius Ordinis, vel huius nostræ sanctæ Institutionis, & Vnionis, Spiritus Sancti Gratia compositæ, à quocunque imponendo, seu alio quouis irrisorio, iniurioso, seu improperioso nomine, aut quod pro improperioso à patientibus habeatur; nec non omnibus, tam Clericis, quàm Laicis, ne Fratres huiusmodi, aut eorum fautores*

tores præfatis nominibus irrisoriè, seù malitiosè appellet, sed omnes Fratres huius Ordinis, Fratres Minores, vt præfertur, seù Sancti Francisci à se ipsis, & omnibus alijs nominentur; Hæc autem nomenclatura, *Fratres Minores*, seù *Fratres S. Francisci*, cadit secundum intentionem Pontificis tàm super priuilegiatos, qui sunt Conuentuales (& hac de causa hic non posuit Fratres Minores Regularis Obseruantiæ, quia Conuentuales non sunt de illo corpore, sed aliud longè diuersum constituunt) quàm non priuilegiatos; neque in hoc, quod est esse Fratrem Minorem, seù Sancti Francisci, distinguit Pontifex Conuentuales ab Obseruantibus, igitur cum in priori loco velit dare, & assignare nomen distinctiuum vnius corporis, seù vnius partis totius Ordinis, vt supponit absolutè, ab altera, ideft Fratrum à se vnitorum, à Fratribus Minoribus Conuentualibus, illas vult simul, & coniunctim appellari Fratres Minores S. Francisci Regularis Obseruantiæ, non disiunctim, vel Fratres Minores, vel Fratres S. Francisci, quia etiam his nominibus vult nuncupari Conuentuales, ergo esse Regularis Obseruantiæ, est agnomen superadditum Minori distinctiuum à Conuentualibus, sicut igitur tale agnomen non obstat per Patres de Obseruantia quo minus secundum assertum ipsorum sint instituti à S. P. Francisco, nec obstabit nomenclatura Conuentualium. Tum quia posterius non variat rationem prioris, sicut quod est prius essentialiter, non variatur propter variationem posterioris inquit Scotus 4. d. 11. q. 3. I, §. de secundo articulo principali; Prius autem est esse Minoris in Conuentualibus, quam agnomen Conuentualis, quia hoc additum fuit post aliquot annos ab Institutione Religionis, vt diximus errore secundo, & latius ostendemus capite sequenti, igitur fuerant instituti Minores Conuentuales ante agnomen Conuentualis, non ab alio Fundatore, ac Patre, quàm S. Patre Francisco, cum nunquam alius, qui eos procreauerit, fuerit in rerum natura, igitur. Accedit passim in vsum fuisse in hoc Mundo addere agnomina Familijs, Personis, Dignitatibus, &c. quæ in nullo variauerunt, nec variant suum principale;

Christus

Christus Dominus instituit in sua Hierarchia Ecclesiastica Pontificem, ac Vicarium suum visibilem, Petrum Apostolici Ordinis Caput, iuxtà promissionem illi factam, Matth. 16. 19. *Et tibi dabo claues Regni Cælorum, & quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum, & in Cælis, & quodcumque solueris super terram, erit solutum, & in Cælis*; nam Io: 15. 18. adimpleta fuit illis verbis. *Pasce Agnos meos, pasce Oues meas*; & quidem Christus Dominus quando hanc supremam Dignitatem conferre voluit D. Petro, illum proprio nomine appellauit cum descendentia; *Simon Ioannis diligis me plus his?* non Beatissimi, non Sanctissimi, non Serui seruorum, sed hæc nomina fuerunt tractu temporis, vel addita ob reuerentiam debitam tantæ Personæ sub maxima Dignitate constitutæ, vel assumpta ob humilitatem, quæ emicare debet in illo supremo Pastore. Cardinales, qui ante Vrbanum Octauum titulo Illustrissimi donabantur, ab eodem, Eminentissimos nuncupari præceptum, vel institutum fuit, & sic de singulis, hæc autem agnomina non variant essentialiter Familias, Personas, Dignitates, sed dumtaxat accidentaliter, igitur etiam agnomen, Conuentuale, additum Minoribus, nil diminuet de ipsorum substantia, ergo cum fuerint ante illud agnomen, sub nomine Minorum, & Minores instituerit S. Pater Franciscus, ab eodem fuerunt instituti; cæteri enim statim ac prodierunt, cum proprio nomine nati sunt, vel deducto ab eorum Antesignano, vt Cæsareni à B. Cæsareo; Coletani à B. Coleta; Amadei à B. Amadeo, &c. Vel à modo viuendi diuerso, vt Obseruantes, strictioris Obseruantiæ, Reformati, vel à paucitate sequentium illum modum viuendi, vt Fratres de Familia, igitur cum Minores Conuentuales non gaudeant hoc titulo, Conuentualis, nisi vi Priuilegij Innocentij IV. seù illius occasione, quia immediatè non cadit supra personas, supponuntur extitisse illis prioribus annis sub nomine Minorum, sub quo fuerant ante instituti vti filij immediatè procreati à S. Patre Francisco; fluxerant autem anni quadraginta sex circiter.

Non obstat pariter obseruatio paupertatis mitigata, quam

à S. Patre

à S. P. Francisco iussi fuerunt rigorosam seruare, quia adhuc seruare dicuntur Regulam eandem B. Francisci, vt diximus ex Clemente VII. & Vrbano VIII. igitur, &c. quod potest confirmari ex identitate Ordinis præsentis S. Dominici, cum Ordine instituto ab eodem S. Patre (& hac paritate vtor ex concessis à P. de Gubernatis to. 1. Orb. Seraph. lib. 3. cap. 22. §. 2. fol. 344. & 345., de quo sit fides penes Auctores) licet enim S. Dominicus post celebre miraculum à S. P. Francisco editum in storearum Comitijs sine prouisione vlla præcedenti, quasi quinque millia Fratrum, Diuina fauente Prouidentia, opiparè pascendo, à se visum, renunciauerit omnibus bonis, paupertati tàm in particulari, quàm in communi se obstringendo, ac suos alumnos, ex parte Dei illos maledicendo si secus fecissent, quod promissum Religioni congregatæ Bononiæ in generalissimo Capitulo anno 1220. indixit, ac seruari perenniter iussit; tamen post eius obitum obtentis Pontificijs dispensationibus, filij eius possederunt, ac in præsentiarum possident bona mobilia, & immobilia, nullusque inficiatus est identitatem essentialem, nec inficiari potest illius Ordinis, igitur, &c. de facto S. Dominici legantur Ordinis nostri Chronica p. p. lib. p. cap. 52. & alij, & apud ipsos stet relatio. Ecclesia pariter Catholica non fuit fundata in diuitijs, & possessionibus. Matth. 19. 27. *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis?* Iesus autem dixit illis, *Amen dico vobis, quod vos, qui secuti estis me in regeneratione cum sederit Filius Hominis in Sede Maiestatis suæ, sedebitis, & Vos super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel; & omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, vel sorores, aut Patrem, aut Matrem, aut Vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit;* & ibidem 21. *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in Cœlo, & veni, & sequere me.* Et idem habetur Luc. 18. 22. vnde Act. 2. 44. & 45. *Omnes etiam, qui credebant, erant pariter, & habebant omnia communia, possessiones, & substantias vendebant, & diuidebant illa omnibus, prout*

cuique opus erat; & 4. 34. *Neque enim quisquam egens erat inter illos. Quotquot enim possessores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum*; & de hac veritate non est ambigendum, vt habetur cap. futuram 15. 12. q. 1. & cap. videntes 16. 12. q. p., & Diuus Bonauentura in Apologiam pauperum à cap. 7. ad 12. id Seraphico spiritu ostendit, ac luculentissimè probat, posteà tamen recepit possessiones, Castra, Ciuitates, Principatus, & Regna, illaque vsque ad præsens cum pleno dominio seruat, nulla variatione intrinseca, essentiali, ac quidditatiua admissa, igitur, &c.

Probatur 3. Quia Minores Conuentuales initium, & ortum suum habere debent, Fundatorem à quo instituti sunt, & Patrem, à quo geniti sunt, sed anno millesimo ducentesimo octauo prodierunt in lucem geniti à S. P. Francisco, vt ex auctoritatibus allatis ostensum est, igitur, &c. Minor item probatur, quia auctoritates allatæ omninò id conuincentes, nulla ratione diuelli queunt: item in aliud tempus, in alium Fundatorem reici nequit eorum incæptio, ac generatio, nam aliàs assignetur.

Dices cum P. Fortunato in Epistola ad Lectorem, Minor Conuentualis est ille, qui Regulam Fratrum Minorum Sedis Apostolicæ priuilegijs mitigatam profitetur, sed, vt idem ait n. 5. 6. 14., & alibi, Priuilegia authentica mitigatiua paupertatis prodierunt primò primum à Martino V. anno 1430. igitur tunc incæperunt Minores Conuentuales, ergo non fuerunt instituti à S. P. Francisco. Respondetur ex dictis errore tertio, nego maiorem, quam etiam nec vmbra veritatis pollere cernet, dum ostendemus Minores, Conuentuales nuncupatos fuisse ferè sub Religionis ortum, vt innuimus etiam cap. 1. §. Tertius Testis, &c. Vel distinguimus maiorem, accidentalitèr concedo, essentialitèr, & quidditatiuè nego, per accidens enim se habet, quod Minores Conuentuales Regulam mitigatam obseruent, priùs enim dicti fuerunt Conuentuales,

tuales, quàm à Martino V, & alijs Pontificibus obtinuerint mitigationem Regulæ, nomenclatura enim Conuentualium originem duxit ab Innocentio IV. anno 1251., & priuilegia omninò prima anno 1260. ab Alexandro IV., vt ostendemus cap. 4. imò prius; retento pariter agnomine possunt renunciare bonis omnibus, vel relicto eodem, à Summis Pontificibus expoliari, vnde negatur Minor, cuius fiet nota manifesta falsitas cap. 4, nec apparuit vnquam vel in Diplomatibus, vel in Scriptoribus, nec vllus vnquam chimeram hanc efformauit, præter P. Fortunatum: Martinus V fuit Fundator, Institutor, & Pater, qui genuit Minores Conuentuales concedendo illis priuilegia mitigatiua; & quidem si Conuentuales ditauit priuilegijs, iam existebant saltem quidditatiuè, ac quo ad substantiam Conuentuales, non genuit.

Probatur 4. Omnes Propheticæ prædictiones, quas edidit S. P. Franciscus de Ordine à se instituto, & tangunt futuras relaxationes in eodem Ordine, ac priuilegia, verificata sunt de Minoribus Conuentualibus, vt asserere placet P. Fortunato, qui ferre non valens Marcum Vlysiponensem à Patre Franchino allatum pro initio Patrum de Obseruantia sect. 3. n. 4. circa annum 1368, declinando vim manifestæ confessionis Marci, se conuertit sine causa ad hæc improperia nu. 77. *Ego ne integros Vlyssiponensis textus, quibus sæpissimè plurimum à regulæ puritate defectionem altè describit, & deplorat, vtpotè odiosos ijs, qui se ibidem fortè delineatos crederent in medium adducam;* igitur Minores Conuentuales sunt geniti à S. Patre Francisco immediatè, cum omnia prædicata præuisa de suo Ordine de ipsis verificata sint, non de Patribus Regularis Obseruantiæ; nam ipsi, nec legata perpetua, nec pecunias, nec bona immobilia habent, vilibus induuntur tunicis, &c. Et quidem non diffiteor corruptelas fuisse in Ordine Minorum Conuentualium, priuilegia ab ipsis fuisse obtenta paupertatis rigorosæ mitigatiua, ac proinde factos fuisse capaces hæreditatum bonorum mobilium, & immobilium, de quibus iam prędixerat S. Pater Ventura in suo Ordine, vt refert p. p. lib.

2. cap.

2. cap. 27. 28. & 29. P. Marcus præfatus, sed cum fateor corruptelas, ac relaxationes fuisse in Ordine meo ad exemplum D. Matthæi, qui se proprio nomine nuncupauit, & Publicanum; vnde D. Hieronymus lib. p. commen. in Matt. cap. 9. *Cæteri*, ait, *Euangelistæ, propter verecundiam, & honorem Matthæi, noluerunt eum nomine vulgato appellare, sed dixerunt Leui: duplici quidem vocabulo fuit, ipse autem Matthæus (secundum illud, quod dicitur à Salomone: Iustus accusator est sui in principio sermonis, & in alio loco: dic tu peccata tua, vt iustificeris) Matthæum se, & publicanum nominat, vt ostendat legentibus nullum debere salutem desperare, si ad meliora conuersus sit; cum ipse de Publicano in Apostolum sit repentè mutatus;* memor etiam verborum D. Io. p. cap. 8. 9. 10. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Si confiteamur peccata nostra, fidelis est, & iustus, vt remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate. Si dixerimus quoniam non peccauimus, mendacem facimus eum, & verbum eius non est in nobis;* Indè apertè deduco, Ordinem Minorum Conuentualium procreatum, ac immediatè fuisse fundatum à S. Patre Francisco, quia ipse omnia prædicta in suo Ordine futura præuidit, ac testatus fuit, nec manum Domini abbreuiatam fuisse super nos, quia in relaxationibus, & corruptelis multi in sanctitate floruerunt, nec abbreuiandam vsque in fines sæculorum, quia præter Christum Dominum, de quo Io: p. 2. 2. *Si quis peccauerit Aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum; & ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius Mundi;* alium apud Christum Dominum Aduocatum habemus alloquentem pro nobis, vt dimittat peccata nostra, & vt alias adimpleat prædictiones suppliciter orantem, vt redeamus ad pristinum sanctitatis Patris nostri filiorum statum, & nunquam deficiant in Ordine, qui sanctitate, integritate, ac innocentia polleant, vt dicitur cap. 28. & 29. Vlyssipon. cit., & quidem pro sua reuerentia exaudietur, quia Bullas Summi Regis ad omnes petitiones suas obtinen-

obtinendas, & obſignandas adfert.

Confirmatur. Quia in Ordine à S. Patriarcha inſtituto citatis locis Chron. Vlyſſip. prædicitur paucos futuros comparatione malorum ritè, ac ſanctè victuros, hos autem paucos bonitate florentes non admittit in ſua Religione P. Fortunatus, imò aſſerit tot eſſe proceſſus fabricatos, & ad Sacram Congregationem tranſmiſſos de ſanctitate eorum, qui in ſua Religione floruerunt, vt nil aliud operari valeret eadem Sacra Congregatio, ſi vacare vellet examini omnium, & vlterius procedere, igitur erunt pauci in Ordine Minorum Conuentualium, & quidem tot quot ad ſui gloriam præordinauit ab æterno Summa Bonitas Dei infinita, igitur Minorum Conuentualium Religio erit inſtituta immediatè à S.P. Franciſco, alias rationes legite in fine huius capitis §. Leo, &c.

Dico 2. Non vt Conuentuales reduplicatiuè, & in ſenſu compoſito, ſed vt Minores, fuiſſe Minores Conuentuales à S. P. Franciſco inſtitutos. Probatur, nam ex dictis, & cap. ſequenti dicendis, agnomen, Conuentualis, originem traxit à Priuilegio Innoc. IV. circa annum Domini 1251. Eccleſijs Minorum conceſſo, quod nuncupentur Conuentuales, vbi Conuentus exiſtunt; iam autem præierat per annos quadragintatres inſtitutio Ordinis Minorum ſub hoc præciſo nomine Minorum, igitur, &c.

Obijcies contra primam concluſionem cum P. Fortunato n. 13. Nomen Religionis Conuentualium ante annum 1431. per integra duo ſæcula, nec in Chronicis, nec in annalibus, nec in cæteris Ordinis Scriptoribus vnquam aſſignari poterit, igitur Conuentuales non ſunt, &c.

Reſpondetur negando antecedens, cuius falſitatem oſtendimus cap. 1. à §. pro coronide, & vberius demonſtrabimus cap. ſequenti.

Obijcies 2. cum eodem n. 60. & 75. Si Conuentuales à S. Franciſco fuerunt inſtituti, & ab Apoſtolica Sede approbati, quomodo fieri potuit, vt à B. Pio V. in Conſtitutione per Rodericum allata to. 2. Bulla 15. incip. *Maximè cuperemus*, &c.

cogeren-

cogerentur aut Obſeruantium rigoribus vltrò ſe ſubmittere, aut ab antiquis, proprijſque iam ſuis cœnobijs abſcedere?

Reſpondetur primò, negando ſuppoſitum, neque enim Pontifex optionem illam conceſſit, ſed voluit omninò abſolutè expoliari Conuentibus, & conſignari Obſeruantibus; qui nimium apud Regem Hiſpaniarum valentes, id media eiuſdem Regis interpoſitione obtinuerant.

Reſpondetur 2. Argumentum, oppoſitum conuincere, ſi enim Conuentualibus præcipitur vel receſſus ab antiquis, & proprijs Conuentibus, vel tranſitus, illis retentis, ad rigores Obſeruantium, antiquitus extiterant, & potiti fuerant Conuentibus, à quo ergo in ſua antiquitate fuerant inſtituti? Non ab alio ſanè, quàm à S. P. Franciſco; vnde ex hac Conuentuum antiquitate comprobabitur veritas antiquitatis Iſerniæ Conuentus ab anno 1259. erecti, ac fundati pro Conuentualibus, qui tunc agnomine hoc appellabantur, & ruit animaduerſio de eodem Conuentu à P. Fortunato ſomniata n. 43, & 48, quod Conuentus Iſernienſis fabricatus quidem fuerit de anno 1259. ſed pro Obſeruantibus, licet in præſentiarum à Conuentualibus incolatur; Tùm quia corpus completum Patrum regularis Obſeruantię expectabatur tunc temporis poſt annos ducentos quinquaginta octo, cum tot anni ab anno 1259. fluxerint vſque ad annum 1517., quando à Leone X. creatum eſt corpus Regularis Obſeruantiæ cum Capite, & membris, ideſt Miniſtro Generali, ac Miniſtris Prouincialibus, quibus antea caruerant.

Reſpondetur 3. citatam Bullam editam fuiſſe pro Conuentibus Hiſpaniarum dumtaxat, non ergo inferri poteſt vniuerſalitèr, ergo Conuentuales non fuerunt inſtituti à S. P. Franciſco, imò cum tali diſpoſitione ſtat fuiſſe Conuentuales inſtitutos à S. P. Franciſco, vt initio Bullæ fatetur Pontifex verbis allatis pro prima concluſione; fit igitur in argumento fallacia à ſecundum quid ad ſimplicitèr, & à non cauſa pro cauſa.

Reſpondetur 4. Vel in argumento inferri negationem Conuentualium inſtitutionis à S. P. Franciſco, quia in Regnis

Hiſpaniarum iuſſi fuerunt relinquere Obſeruantibus proprios Conuentus, & illorum rigoribus ſe ſubmittere, & hęc cauſalis nulla eſt, quia Conuentuales, quos in eadem Bulla Pontifex inſtitutos fuiſſe fatetur à S. P. Franciſco, voluit ſubordinatos, & tranſlatos in Obſeruantes,ac fieri mutationem nedum Capparum,ſed etiam vitæ moralis priuilegiatæ, in non priuilegiatam, ſtat ergo cum inſtitutione à Patre, translatio, ac mutatio in alios; vel eadem negatio inſtitutionis infertur, vt neceſſario ſequens præceptum Pontificium de relinquendis Conuentibus, & ſuſcipienda nouiter vita Obſeruantium, quaſi arguatur. B. Pius V. Conuentuales iuſſit proprios,& antiquos Conuentus cedere Obſeruantibus, & illorum vitam ſuſcipere, ergo non fuerunt inſtituti à S. P. Franciſco, quaſi ſit impoſſibilis inſtitutio à S. P., cum voluntaria ſubordinatione facta poſt multa ſæcula à Summo Pontifice, & quorſum hæc illatio, niſi canonizetur fallacia non cauſæ pro cauſa? aliunde ergo eſt improbanda inſtitutio Conuentualium à S. P. Franciſco, nec hac de cauſa dubitandum eſt, ipſos fuiſſe ab eodem procreatos, & à Sede Apoſtolica approbatos, ſicut dubitat P. Fortunatus in hoc argumento; ſi enim approbati non ſunt à S. Sede, quomodo viuunt in Eccleſia Dei? imò P. Fortunatus nedum dubitat, ſed abſolutè infert, ſi fuerunt Conuentuales à S. Franciſco inſtituti, & ab Apoſtolica Sede approbati, quomodo fieri potuit, &c. igitur nec ſunt inſtituti à S. Franciſco, nec à S. Sede approbati, ſed iſta ſagitta, quam iaculatur in paruulos fit plaga eius, tranſuerberatur enim mucrone anathematis, vt dictum eſt errore 6. Tandem ſi hæc illatio valeret, multo magis iſta valeret. Obſeruantes fuerunt ſubditi Conuentualibus, vt fatetur Leo X. in ſecunda Bulla Concordiæ, & nos inferius cap. 7. oſtendemus, ab anno 1368. ad annum 1517. igitur non ſunt inſtituti à S. P. Franciſco ſicut ſe iactant, fuit enim ipſa ſubiectio naturalis, filiorum ad Matrem, non voluntaria, vt fuit, quæ patrata fuit à Leone X, & à B. Pio V.

Obijcies 3. ex eodem n. 16. Minores prę cęteris antiquiores immediatè ſunt inſtituti à S. P. Franciſco, ſed iſti ſunt Obſer-

Obſeruantes,non Conuentuales;probatur minor. Antiquior iuxtà Grammaticorum leges terminus eſt comparatiuus,vnde antiquioritas idem eſt ac maior antiquitas, maior autem antiquitas illa ſola eſſe poteſt, quæ præ cæteris primatum ſibi vindicat, cum itaque nullo inficiante Regulam habeamus pro Minoribus à B. Franciſco, Chriſto dictante, conſcriptam, & ab Honorio Tertio Pontifice confirmatam, ibi erit certò certius omnimoda Franciſcani Ordinis antiquitas, vbi prima illa S. Franciſci Regula, & Inſtitutio immutata perſeuerat, ſicut eſt inter Obſeruantes; ibi verò eſſe non poteſt huiuſmodi prima antiquitas, vbi Regula ipſa non eſt in ſua prima puritate, ſed per Sedis Apoſtolicæ legitima diſpenſatione ſucceſſiuis temporibus noſcitur fuiſſe in eſſentialibus mutata,& mitigata, atque ſic prçter ſuam primam Inſtitutionem mitigata cuſtoditur, ſic eſt inter Conuentuales, igitur non ſunt immediatè inſtituti à S. Patre Franciſco.

Reſpondetur. Hoc argumentum à prima minori, vſque ad finem tot falſitatibus componi, quot ferè ſunt verba, quibus integratur. Ad rem, conceſſa igitur maiori, negatur minor, ad probationem conceſſa maiori, diſtinguitur minor,quæ primatum ſibi vindicat naturalem ortum à priori exiſtentia in rerum natura concedo minorem, voluntarium, & legalem, emanatum ab habente poteſtatem variandi accidentaliter res, nego minorem, hunc primatum olim habuerunt, ablatum à Conuentualibus, Patres de Obſeruantia à Leone X, qui cum ſit legalis, & voluntarius, in legibus enim ſtat pro ratione Voluntas, in nullo præiudicium primatui temporaneo, ac naturali à prima incæptione deſcendente dare quit, quem primatum habuerunt Conuentuales, quia immediatè inſtituti à S. P. Franciſco per integrum, & dimidium ſæculum, & per luſtra ante ortum Minorum de Familia, & cum infertur, quod ibi erit certò certiùs omnimoda Franciſcani Ordinis antiquitas, vbi Regula S. P. Franciſci immutata perſeuerat ſicut eſt in Obſeruantibus, negatur ſuppoſitum, quia perſeuerantia, ſeù duratio ſupponit exiſtentiam: eſt enim duratio exiſtentia

rei non destructa,& connotatiuè differt ab ipsa existentia,quatenus licet in re sit idem cum existentia, connotat tamen prioritatem, vt plurimum, temporis, in quo res incępit existere, vel saltem naturæ; Patres autem de Familia, seù Regularis Obseruantię,& strictioris Obseruantię non fuerunt anno 1208. quando incæpit Ordo Minorum, nisi obiectiuè, & idealitèr, & anno 1368. incæpit apparere eorum embrio, qui fuit aliquo modo ordinatus à Concilio Constantiensi anno 1414,vel 15, ab Eugenio IV. ad maiorem perfectionem redactus, sed adhuc sem plenam, ad plenam verò auctus à Leone X. anno 1517., cum ei caput insertum est, & corpus adequatum apparuit; vel distinguitur prima pars, vbi Regula immutata, &c. essentialiter, licet sit variata accidentaliter concedo, vbi est autem hęc immutatio substantialis cum mutatione accidentali, nisi in Conuentualibus, vt diximus errore sexto? vbi est immutata essentialiter, & accidentaliter, si hoc intelligatur à die, quando Reformatio inducta est, negatur, si à die institutionis Regulæ, negatur, vt diximus, suppositum, Regula enim S. P. Francisci per multos annos obseruata est solummodo immutata essentialiter, & mutata accidentaliter in toto Ordine, inducta autem Reformatione post multum tempus, & reassumpta Obseruantia puritatis Regulæ in substantia, & accidentibus, quia hæc supponit alio modo accidentaliter fuisse obseruatam prius, ideò vsurpare sibi nequit anterioritatem, & antiquioritatem; quod si hæc sine vlla ratione per clamores,& vlulatus prætendatur,illam vindicabunt sibi iure potiori Patres Capuccini, vt deduximus latissimè errore quarto in epistolam P. Fortunati; scatet igitur hæc illatio vitio amplioris probationis, ab ea, quam prætendit, inferens; cum verò subditur: ibi verò esse non potest,&c. negatur suppositum,dispensationes nempè Pontificias mutasse Regulam essentialiter, vt diximus errore sexto,& dicemus cap. 8,mutatio enim substantialis, quidditatiua,ac essentialis, necessario fit per destructionem substantiæ, quidditatis, ac essentiæ, quidditas autem Regulæ S. Francisci per mitigationem immutata viuit, vt declarant

clarant Summi Pontifices ibidem allati. quòd si P. Fortunatus corrigendo illationem, vt tenetur agere, inferat cum mutatione dumtaxat accidentali, negatur ibi non posse subsistere antiquioritatem.

Obijcies 4. Hoc prædicatum, Frater Minor, æquiuocè dicitur de Minoribus Conuentualibus, & diminutè, sicut albedo de Æthiope ratione dentium, igitur non sunt instituti à S. P. Francisco: probat antecedēs P. Fortunatus n. 100, 101 102, & 104. hoc discursu; *Ex prædicamentalis arboris doctrina Philosophorum cōmuni calculo recepta, genus non diuiditur nisi per appositas differentias, cum quibus salua suarū quidditatum essentia, species alias, & alias constituit, sic animal cum rationali, & irrationali suis diuidentibus differentijs, hominem constituit, & brutum, de quibus vtpotè illesum, & integrè in earum constitutione ingrediens, vniuocè prædicatur, quod si generi aliquod apponatur, quod non habeat aliud membrum, cui aut contrariè, aut relatiuè, aut disparatiuè opponatur, illud nullo modo habebit rationem differentiæ, nec cū genere illam speciem constituet, at si quod apponitur generi aliquod exprimat, quod sit de quidditate generis, vt aliàs dixi, non aliud, quàm rationem generis reduplicat, vt dicendo animal viuens, cùm viuens sit de quidditate generis; Si verò quod generi apponitur aliquid importat generis quidditati cōtrarium, id minuit de quidditate generis, & de constituto per tale genus, atque per hoc appositum generi, genus ipsum non nisi æquiuocè prædicabitur, v. g. dicendo, animal pictum, palàm est, quod pictum appositum animal minuit de quidditate animalis, pictum namque viuens, & sensibile excludit quę sunt de quidditate animalis. Statuamus ergo tanquam genus, Fratrem Minorem, de cuius substantia est, vt aliàs dixi, paupertas, etiam in communi, si hoc genus diuidendum est tanquam per duas differentias formales per Conuentualem, & Obseruantem, oportet, quod differentiæ tales sint, quod superaddant, non lædant generis, idest, fratris Minoris quidditatem, sed sic est, quod frater Minor Obseruans nil superaddit generi,*

nil importat præter fratrem Minorem in pura sua regula observantia permanentem, quod est de quidditate generis, nempè Fratris Minoris; Conuentualis autem lædit, seù diminuit de quidditate generis, nempè Fratris Minoris, quia paupertatis in communi dispensationem importat; nulli autẽ dubium quod frater Minor in esse tali formalitèr per paupertatem in cõmuni constituitur, & à cæteris Religionibus etiam per Conciliũ Tridentinum distinguitur, vtrum ergò genus de sic diminuto prędicetur vniuocè cogitent alij.

Confirmat id n. 104. improbando Minores Conuentuales nuncupari antonomasticè Minores. *Fratres Minores antonomasticè, ac essentialitèr illi per se dicuntur, qui Regulã Fratrum Minorum antonomasticè omninò in sua perfectione obseruant, at Patres Conuentuales regulam Minorum non sic antonomasticè, ac in omnimoda sua perfectione, imò non nisi à primarijs suis perfectionibus mitigatam, & dispensatam profitẽtur, igitur non possunt dici antonomasticè, & essentialitèr Minores; quis enim Aethiopem respectu lactis dixerit antonomasticè album, quia est albus secundùm dentes? Quos ergò Minores*, inquit n. 75. *S. Franciscus instituit? certè sua Regula Obseruantes*. igitur Minores Conuentuales non sunt instituti à S. P. Francisco.

Respondetur primò cribrando hunc rarum, & aliàs non auditum discursum, negato igitur antecedenti, examinemus eius partes singillatim. *Genus non diuiditur nisi per appositas differentias*; doctrina prædicamentalis est, quod genus diuidatur per oppositas differentias, & contrahentes; sed admittatur locutio, quia differentiæ oppositæ inter se, & contrahẽtes genus, adduntur generi, seu illi adueniunt, vt loquitur Porphirius cap. 4. de differentia, initio, *Quod si generi aliquod apponatur, quod non habeat aliud membrum, cui aut cõtrariè, aut relatiuè, aut disparatiuè opponatur, illud nullo modo habebit rationem differentiæ*. exemplum huius doctrinæ desideratur, nam præscindendo modo à terminis substantialibus, & essentialibus generis, vt facit P. Fortunatus, quod

aduenit

aduenit generi, & de illo prædicatur, vel est quid significatiuum, vel non significatiuum, si hoc secundum, vt buf baf, blitri, &c. & dicatur animal buf, baf, &c. ridiculum est de hoc discurrere, & sermo P. Fortunati hùc non tendit, quia hoc additum nec potest dici differentia, vel non differentia, quia nihil significat; si est quid significatiuum, signatum eius erit in aliquo prædicamento, omnia autem prædicamenta sunt primo diuersa, igitur hoc additum habebit propriam differẽtiam, secundùm quam ab alijs diuersificabitur. *At si quod apponitur generi aliquod exprimat, quod sit de quidditate generis, vt alias dixi, non aliud, quàm rationem generis reduplicat, vt dicendo animal viuens*. Hoc assertum examen subijt initio Capitis huius. *Si verò quod generi apponitur aliquid importat generis quidditati contrarium, id minuit de quidditate generis, & de constituto per tale genus*. Aueo scire quodnam est hoc constitutum per genus; nam hoc vel fit solitariè à solo genere sine differentia, & hoc impossibile est, quia idẽ manens idem semper est natum facere idem, 2. de gener. & cor. t. 56., si solo, semper nequit constituere, ergo nunquã; Tùm quia differentia non esset necessaria ad constituendam speciẽ, & totum posset esse cõstitutum sine partibus essentialibus; vel fit cum differentia, & ita quod additur generi, non generi addetur, sed speciei constitutæ ex genere, & differentia. Tùm quia id, quod additur generi, estq; illi contrarium, vt ait P. Fortunatus, quomodo potest constituere cum genere speciẽ? genus enim constituit species cum differentijs sibi aduenientibus, illudq; contrahentibus, & has omnes, inquit Porphirius cap. 4. de differentia post medium, genus habet potestate non actu. *Neque verò omnes oppositas habet, quoniam idem simul habebit opposita; sed quemadmodum censent, potestate quidem habet omnes eorum, quæ sub se sunt, differentias, actu verò nullam*. Si continet potestate non sunt sibi contrariæ, licèt sint contrariæ inter se ipsas, vt patet etiam de materia respectu formarum, contrariantur enim multæ formæ inter se, sed non cum materia. *Statuamus ergo tanquam genus fra-*

trem Minorem, de cuius substantia est, vt aliàs dixi, paupertas etiam in communi; Hoc dicitur, & non probatur, & nos id improbabimus Cap. 9., & quidem asserti falsitas redarguitur à legitimis dispensationibus à tot Pontificibus latis, & confirmatis à Concilio Tridentino sess. 25. cap. 3. & nouiter concessis. *Sed sic est, quod frater Minor Obseruans nil superaddit generi*. Si nihil, ergo vt diximus initio huius capitis §. Ad idem, erit quid simpliciter simplex, vel chimera, vel vniuersale Platonis, *Nil importat præter fratrem Minorem in pura sua regula obseruantia permanentem*. Vtinam id esset, sed oppositum conuincunt Indulta Pontificia (de quibus vide iam dicta Errore quinto) & consuetudines contra paupertatem per annos, & annos, & per lustra, imò forsan sęculum, intrusæ, vt v. g. accipiendi pecuniam ex Concionibus, illam particulariter expendere, vehi quadriga, Equo, Asino, caligis vti, &c. *Quod est de quidditate generis, idest fratris Minoris*; Actus secundus, vt diximus initio huius capitis §. Assertum, nequit esse de quidditate actus primi, obseruare autem regulam est actus secundus, igitur non est de quidditate Fratris Minoris. Vide loco citato. *Conuentualis autem lędit, seu diminuit de quidditate generis, nempè fratris Minoris, quia paupertatis in cõmuni dispensationem importat*. Hoc esse accidens prædicamentale Conuentuali aduenien‍s, & Minori cognomen Conuentualis habenti, legat P. Fortunatus Errore tertio aperto in sua epistola, videat etiam errorem sextum, vbi dispensationem non lędere substantiam conuincitur; sed id prolixius cap. 8. & 9. *Nulli autem dubiũ, &c.* iã impugnatum est. *& à cæteris Religionibus, etiam per Concilium Tridentinum distinguitur*, Si distinguitur, ergo Frater Minor Obseruans non erit purum genus, nec censeo Patres Capuccinos à Concilio nominatos esse velle purum genus, cùm etiam si vellent, esse non possent. nam omnis distinctio habetur à forma, & à differentia; Caput autem in quo Tridentinum loquitur de Capuccinis, & Obseruãtibus est tertiũ citatum parũ supra sess. 25. de regular. in quo exceptis ijsdẽ,

dispensat

dispensat in paupertate nullum priuilegium circa illam habẽtibus, ergo rigorosa paupertas non renuit dispensationem, nec pro quidditate habet non mitigari: ex his.

Respondetur 2. directè ad argumentum negando antecedens, ad cuius probationem translacta maiori cum dato examine, negatur vtraque pars Minoris cum consequentia.

Ad confirmationem negatur maior, nam cùm sit accidẽs obseruare, vel non obseruare Regulam in rigore, non tollit ab Obseruantibus illã sine rigore appellationem antonomasticam Minoris, quinimò hac antonomastica denominatione post tot dispensationes, Conuentuales donati sunt à Summis Pontificibus, vt eruditissimè conuincit P. Franchinus sect. *6.* suæ antiquioritatis à n. 4. ad 14., quibus addendus est Sixtus V. à nobis memoratus exordio huius capitis in probãda prima Conclusione, & quidem post totalem separationem Obseruantium à Conuentualibus, initam à Leone decimo.

Sed nec dedignatus est Leo ipse X. se facere assertorem huius sinceræ veritatis, & ne fabulam texere videar, vel hispanicam neniam referre, in arenam descendat huius Pontificis assertum, obsignatum testimonio S. R. E. Eminentiss. Cardinalis ex Patribus Obseruantibus assumpti, iam pridem primi Ministri Generalis officio potiti inter Obseruãtes, is fuit Christophorus Numayus Forolïuiensis. In Bulla igitur quã edidit Pontifex iste pro cedenda à PP. Augustinianis, & nonnullis alijs mendicantibus, præcedentia in actibus omnibus publicis Minoribus de Obseruantia, incipiente *Et si pro iniuncta*, cuius summarium penes Rodericum tom. p. Bullar. Apostol. Bulla trigesima prima Leonis X. pag. 30. est istud.

Summarium. Ordinat, *Quod Fratres Minores Obseruantia habeant in processionibus, & alijs actibus publicis, eundem locum, quem Conuentuales eiusdem Ordinis tenere consueuerant antequam ab eis auferretur dignitas Ministeriatus.* his verbis hæc mandat, medio, *Apostolica authoritate statuimus, & ordinamus, quod de cætero, in omnibus, & singulis processionibus, & funeralibus, & alijs publicis actibus quibuscunq; super*

dicto

dicto incedendi, & standi ordine, & digniori loco tenendo, inter dictos Minores de Obseruantia, quos omnibus, & singulis prærogatiuis, quibus eiusdem Ordinis Conuentuales Fratres, vti, & gaudere soliti erāt, in singulis Ciuitatibus, & locis vti, & gaudere volumus, & inter Eremitarū S. Augustini, ac alios Ordinum mendicantium Fratres, idem Ordo seruari debeat, qui ante translationem Ministri Generalis Minorum huiusmodi, ad Obseruantes, inter eosdem Eremitanos S. Augustini, ac alios Ordinum mendicantium Fratres, & ipsos Conuentuales Minores, siuè in Vrbe, siuè in alijs locis, vel Terris, citra, & vltra Montes constitutis obseruari consueuerat: In locis autem vbi Conuentuales ipsi Minores, nunquam fuerunt, sed soli Obseruantes, inter eosdem Obseruantes Minores huiusmodi, ac alios Mendicantes prædictos, hunc Ordinem seruari præcipimus, & mandamus: quod Minores Obseruantes huiusmodi, antiquū semper locum, quem Ordo S. Francisci in similibus actibus tenere alibi hactenus consueuit, nisi consuetudo antiquitus approbata, & legitimè obseruata secus habeat. Hic aliquantisper immoror, & à P. Fortunato exposco, quinam sit Ordo S. Francisci, de quo fatur Pontifex. Respondet §. 2. n. 10. Ecce per Oraculum Pontificis quid per Minores Obseruātes, vel quo ad rem, vel quo ad nomen intelligatur explicatum. Quænam huic consequentiæ tergiuersatio esse poterit? Obseruantes illum locum antiquum teneant, quem Ordo S. Frācisci hactenus tenere consueuit, ergo Obseruantes idem repræsentant, quod Ordo S. Francisci hactenus repræsentauit; ecce igitur Minores illi, qui ab Ordine condito ad vsque Religionis eiusdem diuisionem in pura regulæ obseruantia perseuerauerunt absque illo addito, Obseruantes, simpliciter Fratres Minores dicerentur, eosdem tamen esse in re non possumus ambigere. Nomine igitur Ordinis S. Francisci, intelligit Pontifex Patres de Obseruantia secundum P. Fortunatū, sed relicta trepidatione oppositum asserēdi sine vlla tergiuersatione, admitti potest, Patres de Obseruantia, vbi non sunt Conuentuales, Ordinem S. Francisci repræsentare, cùm longè sit

gè ſit aliud eſſe, ac repreſentare, Statua Cęſaris non eſt Cęſar, repreſentat tamen Cęſarem, & eſt Cæſar repreſentatiuè, ſed non realitèr, ac eſſentialitèr, vbi tamen erant tunc temporis, & in præſentiarum ſunt Conuentuales, ipſi non repreſentarunt, nec repreſentant, ſed fuerunt, & ſunt interuptè Ordo S. Franciſci ab eodem S. Patre inſtitutus immediatè, vt probauimus.

De mente tamen Pontificis, quid videlicet intelligat per Ordinem S. Franciſci, ſit hæc animaduerſio. Ait Pontifex. *In locis autem vbi Conuentuales ipſi Minores, nunquam fuerunt, ſed ſoli Obſeruantes, &c. Minores Obſeruantes huiuſmodi antiquum ſemper locum, quem Ordo S. Franciſci in ſimilibus actibus tenere alibi hactenus conſueuit, teneāt*. Orta fuit controuerſia inter Patres de Obſeruantia, & alios Mendicantes, quem locum in actibus publicis tenere debebant poſt ſeparationem factam à Conuentualibus, prætendebant enim Obſeruantes locum digniorem, auerſabantur illi, quia nunquam id fuerat actum in praxi; praxis enim erat, cedēdi locum Conuentualibus, vt ibi etiam teſtatur Pontifex. Lis delata eſt ad Pontificem, qui vt erat ſatis propenſus Obſeruantibus, victoriā illis fecit, hac lege, vt vbi erant Conuentuales, ac Obſeruantes, iſti digniorem locum haberent, quem prius obtinuerant ab Ordinis inſtitutione Conuētuales vbiq; terrarum, vbi verò non exiſtebant Conuentuales, tenerent illum locum, quem alibi Ordo S. Franciſci tenuerat: ſed locum tenuerant iugitèr Minores Conuentuales, non Obſeruātes, qui in actibus publicis non agnoſcebantur, vnde quādo petierūt agnoſci, lis maxima orta eſt, vbi erant Conuentuales, & vbi non erant: Si enim ipſi habuiſſent locum vbi nō erant Conuentuales, Pontifex nil decreuiſſet pro illis locis, nec Obſeruantes ſuſcitaſſent diſcordiam cum ſuis prętenſionibus; ſtetiſſent in loco poſſeſſo; Mendicantes nō repugnaſſent, nec oppugnaſſent, igitur per Ordinem S. Franciſci, qui alibi tenuerat hactenus, idèſt, ab Ordinis S. Franciſci inſtitutione, locum digniorem, neceſſariò Pontifex intellexit Minores

Con-

Conuentuales.

Altera animaduerſio ſit. Pontificem duo hic mandata dediſſe, vnum pro digniori loco donato Patribus Obſeruantibus ſupra Eremitanos D. Auguſtini, & alios Mendicantes erepto à Conuentualibus vbi exiſtebant, illis verbis. *idem ordo ſeruari debeat, qui ante translationem Miniſtri Generalis, &c.* aliud pro eodem loco vbi Conuentuales non incolebant; quem locum aſſimilari voluit loco, quem alibi, ſiuè in Vrbe, ſiue in alijs locis, vel terris, citra, & vltra montes poſſederat vſque ad illud tempus anni 1521. Ordo S. Franciſci, vnum autem præceptum contradicere alteri non debet, nec illud deſtruere. Dum igitur præcipit Pontifex Obſeruantes immitti in locum illum, quem Ordo S. Franciſci alibi poſſidere conſueuerat, iſtud alibi refertur ad illa loca paulò ſuperius enarrata, ſiue in Vrbe, ſiue in alijs locis, vel terris, citra, & vltra Montes; ſed in iſtis locis Ordo S. Franciſci, qui locum tenebat, erant Conuentuales, in quibus omnibus, ipſos voluit priuari loco proprio hactenus poſſeſſo, & in eodem ſuffici Obſeruantes, igitur Ordo S. Franciſci eſt Ordo Minorũ Conuentualium; Si enim illud alibi non refertur ad enumerata loca citra, & vltra Montes, in quibus Conuentuales erant, ad quid refertur? ad concauum orbis Lunæ, in quo non adſũt nec Conuentuales, nec Obſeruantes? ad ſpatia imaginaria? in quibus nullus viuit? Ex his autem alia.

Præcipua ratio conficitur pro prima concluſione, quod Minores Conuentuales fuerint immediatè inſtituti, ac progeniti à S. P. Franciſco per locum ab auctoritate. Leo X. loco citato appellat Ordinem Minorum Conuentualium, Ordinẽ S. Franciſci abſolutè, illumque teſtatur ab ordine condito ad annum 1521. etiam poſt diuiſionem à ſe factam anno 1517. (id enim ſpirat illud aduerbium, hactenus) aliàs quis fuit Ordo, qui ante Conuentuales locum obtinuerit Ordinis S. Frãciſci, poſtea deſierit tenere, illumq; ceſſerit ſubſtitutis Minoribus Conuentualibus?) tenuiſſe locum digniorem ſupra Eremitanos S. Auguſtini, & alios Mendicantes, igitur Ordo

Mino-

Minorum Conuentualium fuit immediatè progenitus à S. P. Francisco, & antonomasticè propterea nuncupatus Ordo S. Francisci naturalis, ac legitimus, non voluntarius, ac substitutus, qui non esset physicè, ac realiter, sed representatiuè Ordo S. Francisci, antecedens patet ex mox supra dictis: dum autem Ordo Minorum Conuentualium absolutam induit nuncupationem Ordinis S. P. Francisci, & Ordo S. Francisci est Ordo Minorum, manifestè liquet à Leone X, etiam post diuisionem, per ly *hactenus*, à se nuncupari Conuentuales absolutè, & antonomasticè Minores, & testari esse Ordinem à S. Patriarcha Francisco progenitum.

Et concessa minori, negatur consequentia, cum voluntaria, ac contumeliosa comparatione Conuentualium cum Æthiope, & Minorum de Obseruantia cum lacte, & quando vlterius quærit, quos Minores instituerit S. P. Franciscus, iam dictum est conclusione prima, & cum resoluit quæstionem dicendo *certè sua Regulæ Obseruantes*, si ly, Obseruantes, accipiatur prout dicitur de corpore Minorum Regularis Obseruantiæ, id falsum est; si verò accipiatur pro Obseruantibus Regulam S. Francisci absolutè, conceditur, Conuentuales enim, vt probatum est Oraculis Pontificum, obseruant Regulam S. P. Francisci, licet mitigatam.

Respondetur 2. retorquendo argumentum; Fratres Minores antonomasticè, & essentialiter illi per se dicuntur, qui Regulam Fratrum Minorum omninò in sua perfectione obseruant; At Patres nuncupati de Obseruantia non sic obseruant, vt ostensum est errore 4., igitur, &c. Et ita antonomasticè Minores dicendi erunt Patres Capuccini, quod cum falsum sit, falsitatis arguitur argumentum. Ex his.

Colligo Minores Conuentuales non alio titulo gaudere posse, ac debere, quàm Fratrum Minorum filiorum S. Patris Francisci, qui, licet pauci sint comparatiuè ad Patres de Obseruantia, non sunt propter hoc irridendi cum P. Fortunato nu. 26., nam vbi multitudo ibi confusio, de electis testatur Seruator noster, *Multi sunt vocati, pauci electi*, d. Matth. 22. 14.,

22.14., pauci ſunt Catholici comparatiuè ad infideles, pauci ſunt inter Catholicos, qui ſanctè viuant. Hæc quondam pro veritate prompſit Ariſtot. lib. 7. polit. cap. 4. ante medium; *Non enim idem eſt magna Ciuitas, & populoſa, quin etiam re, & effectu patet, quia difficile eſt, & forſan impoſſibile, vt quæ nimium populoſa ſit Ciuitas optimè gubernetur. Earum certè, quæ benè gubernari dicuntur, nullam videmus in populoſam multitudinem eſſe diffuſam, patet etiam ex rationum fide, nam lex ordinatio quædam eſt, & bonam legis poſitionem neceſſarium eſt eſſe bonam ordinationem, & multitudo nimium magna, non poteſt recipere ordinationem, Diuinæ enim potentiæ id opus eſſet, quæ, & hoc totum continet, cum & bonum quidem in multitudine, ac magnitudine conſueuit fieri, quapropter, & Ciuitatem illam, cuius cum magnitudine dictus terminus exiſtit, optimam eſſe neceſſe eſt.* Magnitudo igitur in Religionibus, non populoſitas celebranda, & illa quidem paucitati conſederatur; hùc collimat proloq. 7. Franch. opus p. Viuere tamen Aſcetas ad quindecim millia ſub vno Vexillo, ſub vno Duce non dixerim paucitatem adeò tenuem, vt non ſuperet aliarum Religionum maioris notæ aſſeclas, vel licet aliquantiſper ab aliqua ſuperetur. Vide loco cit. Franch.

In Italia præcipuè ait florere Conuentuales P. Fortunatus loco citato. *Nam etſi nullos in Orbe nouo, nullos in Hiſpanijs, per paucos in Galijs habeant Conuentus;* Non inficior; parco ſi ad improperium dicitur. Vtique in Italia Conuentuales maximè degunt, vbi Theſauros poſſident, & ſacra cuſtodiunt Lipſana; Aſſiſij Theſaurum theſaurorum non deficientem excubant, Patriarcham, ac Patrem ſtantem inter mortuos; Patauij ad ſacros magni Thaumaturgi cineres, toto Orbe miraculorum odorem halantes quotidianum, vigiles electos agūt, Diuina ſic Prouidentia inter infinita aduerſa ordinante. Seraphicus Pater Martyrio flagrans, vel animarum ſaluti inhians, ex Italia diſceſſit, vel vt diſcederet egit, ſed quamcitius Italiæ reditus eſt, Diuino ſic impellente Spiritu ex Chronicis Vlyſſipon. veritatem hanc legimus p. p. lib. p. cap. 43. 45. 49. 50.

49. 50. 55. 56. 57. & 58. ortus fuit in Italia Spiritum Dei, in Italia concepit, Regulam in Italia Deo dictante disposuit, eiusdem approbationem, ac Ordinis Minorum confirmationem obtinuit in Italia. Filios in Italia genuit; miraculorum magnitudinem, ac multitudinem patrauit in Italia, ex Italia ad Superos euolauit, & in Italia post mortem Apotheosim recepit, iugem spirat in Italia odorem Sanctitatis, & in odore vnguentorum eius ab omnibus Orbis partibus vocantur Fideles in Italiam. Robur Ecclesiæ Catholicæ, imò cor eius cum capite in Italia residet, & notabile erit ad improperium, filios S. Patris Francisci in Italia præcipuè numerari?

Sint igitur filij Rechab Patres de Obseruantia, vt num. 9. & alibi post asserit num. 27. P. Lector Fortunatus, non alio titulo gloriantur Conuentuales, quam filiorum S. Patris Francisci, qui à S. Bonauentura assimilatus fuit Eliæ in eius vita, vbi de institutione Religionis. *Denique*, inquit, *Spiritus Christi vi flammea totus accensus, cœpit, vt alter Elias veritatis æmulator existere*. Et ab Ecclesia Minoritana comparatur Iacob Patriarchę in illo versiculo lautretico, & deprecatiuo: *O Patriarcha pauperum Francisce tuis precibus auge tuorum numerum in charitate Christi, quos cancellatis manibus cæcutiens, vt moriens Iacob benedixisti*. A Gregorio IX., referente Fabro in opere panegyrico Sacræ Assisiensis Ecclesiæ cap. 17. *inter homines Angelus, vir secundum cor Dei, Mysticus Sampson, Abraham, Isaac, & Iacob nominatur*. Immerito tamen illum pro se, & consodalibus suis appellat Rechab, ex motiuo, quod Rechab dederit præceptum Rechabitis de relinquendis domibus, & inhabitandis tentorijs, & de abstinendo à vino; nam halucinatur manifestè, vt patet ex Hier. 35. Ionadab enim, qui fuit filius Rechab, & parens Rechabitarum, Regulam præfatam viuendi præscripsit, vel sub præcepto rigoroso, vel vt alij interpretantur sub præcepto late sumpto, idest, sub consilio satis commendato, quod videtur haberi ex loco citato Hier.; si enim fuisset rigorosum pręceptum, Deus per Hieremiam non tentasset eos ad bibendum vinum, sed dispensando

ſando præceptum Patris, iuſſiſſet, illos bibere, vel libertati eorum reliquiſſet; vnde ibi num. *6.* *Qui responderunt non bibemus vinum: quia Ionadab filius Rechab Pater noster, praecepit nobis, dicens: non bibetis vinum vos, & filij vestri vsque in sempiternum, &c.* Auguſtinus in pſal. 70. initio id teſtatur. *Ionadab homo quidam fuit, commendatur nobis ex Prophetia Hieremiæ, qui filijs suis praeceperat, vt vinum non biberent, & in domibus non residerent, sed in tabernaculis habitarent.* Quod ſi velit ſe, & ſuos Fratres Rechabitis æquari, eo quod Rechabitæ iugiter fuerint abſtemij, in tabernaculis habitantes vitæ Religioſæ anachoreticæ ſtudentes, contemplationi vacantes, ex hoc firmabitur verum aſſertum P. Franchini ſect. 7. nu. 14. ſatis probatum ex Chronicis Marci Vlyſſipon. p. 3. lib. *9.* cap. *26.*, & ex Chronolog. Seraph. pag. *86.* quorum auctoritates inferius dabimus cap. *6.*, quod Patres de Obſeruantia ſub initio ſui ortus fuerint hæremitici inſtituti, neget licet, ſibi contradicendo P. Fortunatus num. 140.

Colligo 2. Minores Conuentuales à S. Patre Franciſco inſtitutos ab anno 1208. vſque ad preſens annum *1687*, nunquam defeciſſe, ac ſemper fuiſſe potitos Miniſtris generalibus, qui poſt S. Patriarcham Franciſcum excreuerunt ad numerum ſeptuageſimum quintum, iuxta ſupputationem ex ipſorum creatione in varijs comitijs habitam, & rectè deductam; hanc verò ſeriem rectamque lineam non ſecant aliqui Generales, qui à tempore Leonis X. anno 1517. ad annum *1565.*, quo Pius Quartus citatus in probatione prima primæ concluſionis, cuius Bulla inſerta eſt in Bullario Cherubini tom. 2. incip. *Sedis Apoſtolicæ, &c.* Eſtque 103., & anteponitur, vt ibi dixi, Conſtitutionibus Pijs, Superiores Ordinis Conuentualium, titulo Miniſtri quater in tribus paragrophis decorauit, fluxerunt, vel ad plus ad annum 1587., quo item Sixtus V. pariter ibi citatus, Miniſtrum generalem, Clementem Bontadoſium, qui Conuentualibus prȩfuerat, appellauit in Conſtitutione confirmationis Archiconfraternitatis Cordigerorum; Siquidem cum in præfatis annis pauci extiterint Generales, qui

qui titulo Magistri incesserint; nam post Sixti Quinti nuncupationem manifestam, omnes Generales appellati sunt Ministri; imò ante huiusmodi nomen expressum in Bulla citata, Ministri titulo potiebantur, quod indè patet, quia anno 1587, quo edita est præfata constitutio, Ordinem regebat P. Magister Euangelista Pellæus de Fortio, & verba Bullæ diriguntur ad Clementem Bontadosium suum immediatum antecessorem; paucitas ipsorum, attendi non debet in Ordine ad totum, nec derogare potest antecedentibus, & consequentibus, qui omnes sunt appellati Ministri, nec toti seriei, ex ipsis compositæ, seù lineæ deductæ, quia denominatio semper sumitur à nobilioribus, & potioribus, maior autem sine comparatione est numerus Ministrorum, quàm paucorum Magistrorum. Tùm quia ait Clemens VII. in Bulla allata in prima probatione primæ conclusionis huius capitis; mutatio nominis Ministri in Magistrum, Regularia instituta non mutauit. *Attendentes*, inquit, *propter mutationem nominis Ministri in Magistrum vestra Regularia instituta mutata non esse*, igitur Generales Ordinis Minorum Conuentualium quidditatiuè, & essentialitèr potiebantur quiquid intrinsecè importat officium, ac dignitas Ministeriatus indita in Regula S. Patris Francisci, & ità intrinsecè illi numero pauci Generales, qui intercesserunt à Leone X. ad Pium vsque Quartum fuerunt Ministri, licet non extrinsecè, cum tali nomine prohibiti fuerint nuncupari. Tùm quia Superior totius Religionis duo nomina habet in qualibet Religione, vnum Generalis, & alterum Magistri v. g., vt in Religione Prædicatorum, Prioris, vt in Ordine Eremitarum Sancti Augustini, Præpositi, vt in Societate Iesu, Ministri, vt in Religione Minorum, &c. primus titulus est de substantia Superioris maioris totius Religionis, & indicat supremam potestatem in toto Ordine, & ipsi soli id conuenire valet, secundus autem titulus non est illi essentialis, vnde, & alijs etiam conuenit; in Religione Minorum, titulus Ministri competit etiam Prouincialibus ex vi Regulæ. *Et si appareret vniuersitati Ministrorum Prouincialium, &c.* legitur in capite octauo; sic

euenit in alijs Religionibus, nam Priores appellantur etiam Superiores locales, sic Abbas loci alicuius, & Abbas Generalis, &c. per titulum ergo Generalis, primus Superior indicatur constitui in suo esse maioris superioritatis, & consequenter distingui à quocunque alio inferiori sui Ordinis, & si addatur Ordinis Minorum, v. g., vel Prædicatorum, à quocunque alio Superiori maiori aliarum Religionum; vnde hoc inuariato, immutatus manet Superior; non sic per secundum titulum, hoc enim mutato, immutatus manet essentialiter, & intrinsecè Superior, ex quo fit vt etiam passim appelletur solo primo nomine in ordinarijs, ac priuatis conferentijs, ac locutionibus, sed quando à Minoribus Conuentualibus abreptus est titulus Ministri, non est ablatus titulus Generalis, imò firmatus, vt patet in Bulla Leonis X. Omnipotentis Dei secunda Concordiæ ante medium. *Ac quod Magister, nunc, & pro tempore electus, ad Regimen Fratrum Conuentualium S. Francisci, iuxtà dictam nostram ordinationem Magister Generalis Fratrum Conuentualium in perpetuum appellari debeat, &c.* Et idem dixerat in principio, ergo essentialiter, & intrinsecè manet inuariatus gradus generalatus in Ordine Minorum Conuentualium, & quo ad hoc nomen etiam extrinsecè, quia semper fuit appellatus Generalis, & ità facto, re, nomine, intrinsecè, & extrinsecè durat interupta linea, & series Generalium à prima institutione S. Patris Francisci in Ordine Minorum Conuentualium, & substantialis dignitas ab eodem S. Patre ordinata, imò nomen Ministri ob causam iam expositam; & hæc doctrina proportione valet etiam de Ministris Prouincialibus.

Dices cum P. Fortunato, cui titulus Ministri Generalis Conuentualium non arridet, etiam post tot oracula Pontificum, Sacrarum Congregationum rescripta, ac Regum, Cæsarum, & omnium Principum inscriptiones in missiuis etiam literis, vnde, & ausus est num. 85., vt innuimus impugnando eius epistolam fine, à Generalibus Conuentualium nouissimis abradere titulum Ministri, & contraire sapientiæ dicto Eccl. 4. 32.

4. 32. *Nec coneris contra ictum fluuij*; illisque affigere titulum Magistri) num. 114. *licet aliquando vt in allegata Bulla Pij Quarti, Generales Conuentualium sint appellati Ministri, id tamen fuit causa Amanuensium; aut ex id procurantium diligentia, non ex voluntate Pontificum; si enim id re vera intendissent, noua positiua concessione id expressissent, cum ergo nulla intercesserit positiua Pontificum concessio, qua restituerint titulum Ministri, signum est illis non posse conuenire contra mandatum Leonis X., & propria auctoritate illum reassumpsisse.*

Respondetur negando antecedens cum sua probatione, gratis enim, & per summam iniuriam tribuitur Amanuensi, & Conuentualibus alteratio Bullæ præfatæ, sicut & aliarum nu. 220., & 213.; Si enim hac mera euasio, & fuga recipienda esset, quomodo staret ab alijs Summis Pontificibus, Sacris Congregationibus, &c. Generalem Conuentualium fuisse iugiter nuncupatum Ministrum? fuerunt ne omnes Amanuenses, Abbreuiatores, Typographi falsarij, & Conuentualium, contra veritatem, propugnatores? cum ergo per integrum sæculum post Leonem X., Summi Pontifices nedum permissiuè, (quod etiam sufficeret, vt Conuentualium Generales vti valerent titulo Ministri, quia etiam consuetudo inducta contra legem, etiam ignorante Principe post decem annorum fluxum seruari potest, & manutenenda est iuxtà doctrinam multorum Doctorum, quos citat Diana p. 5. tract. 14. ref. 62, & p. 6. tract. 5. ref. 13. Bordon. in sua paupertate reformata cap. 21. à num. 11. ad 14.) sed etiam positiuè, & expresè in suis Bullis, & Decretis Ministri titulo appellauerint Conuentualium Generalem, non id accidit ex Amanuensium, vel aliorum arbitrio; & cum subiungitur non apparere concessionem, qua Pontifices restituerint titulum Ministri Conuentualium Generali, & Prouincialibus; Respondeo non esse latam Bullam expressam directè expositam Decreto Leonis X., qua ex professo, & sola hac intentione illi derogatum sit, nullo alio interueniente negotio; cum enim sæpissimè, & quoties fuit opus aliquid agere concernens Conuentualium Superiores,

res, Pontifices, & Sacra Congregatio mentem suam aperuerint alloquendo illis cum titulo Ministri, & Ministrorum, ad quid edere Bullam particularem, cum tot eluceant Bullæ, & decreta? Neque de hoc curare debent ijdem Superiores, cum iam habeant, quod illis fuerat ablatum, & de puro titulo agatur, cuius significatum, & rem, vt parum supra diximus, semper possederint. Si enim Pontifex aliquem appellaret Episcopum alicuius Ciuitatis, idque ex animo præstaret, illicò eidem potestatem iurisdictionis conferret, licet non ordinis, vt docet Diana tract: de consec. Episcop. ref. 26 p. 12, similiter, si Episcopus aliquem simplicem Parochum nuncuparet Archipresbiterum, ab omnibus deinceps Archipresbiteri titulo vocaretur; idem eueniret si Rex, vel Supremus Princeps, aliquem Comitis nomine, vel Marchionis, in missiua litera, vel coram alijs appellaret, confestim Comes, & Marchio haberetur cum tota sua dependentia, titulum retinendo. Cum igitur millies Generales Conuentualium titulo Ministri sint appellati, & in dies à Summis Pontificibus, &c. nuncupentur, indignum erit illos non Ministros appellitare. Sed legantur Constitutiones Vrbanæ, in quibus Pontifex Vrbanus Octauus, quoties agitur de Generali, & Prouincialibus, illos Ministros appellat.

Dices 2. cum eodem num. 20. & 21. vbi inuehitur in programmata opusc. 2. Franchini in fronte edita, ad illa verba: *Conuentualium Ministro post S. Patriarcham Franciscum Generali septuagesimo quarto*, & ad multa, sic arguit: *Ministri Generales totius Ordinis Minorum Conuentualium ante Bullam vnionis 1517. nullibi reperiuntur, anno ipso 1517. per Bullam Concordiæ, & alias subsequentes, Conuentuales ipsi ab Obseruantibus separati prohibiti sunt Superiores suos nominare Ministros* (*qua de re*, inquit suprà,) *Antonius Marcellus qui fuerat electus sub titulo Ministri à Leone X. grauiter correptus fuit, & à sui præsentia reiectus, vt patet ex Bulla nunciatum nobis fuit, sed Magistri etiam à Sixto V. anno 1585. fuere nuncupati in Bulla. Ex superna dispositionis.* Erectionis Archiconfraternitatis *Cordigerorum;*

gerorum; vbi ergo ab anno 1587. vſque ad 1582. ſeptuageſimum quartum Conuentualium Miniſtrum erit recenſere poſt S. Franciſcum, ſi ſexto quoque anno nouiter eligitur? in ipſa Miniſtrorum Generalium Ordinis Minorum continuata ſerie ab ipſo Inſtitutore S. Franciſco, vſque ad modernum Fratrem Petrum Marinum *Sormanni à Mediolano iuxtà Regula præſcriptum, & Apoſtolica decreta electum, non niſi ſeptuaginta tres Miniſtri Generales perſonaliter enumerantur*, igitur, &c.

Reſpondetur diſtinguendo primam partem antecedentis, nullibi reperiuntur ſolitarie, hoc eſt cum ſolo dominio in Conuentuales concedo, non ſolitarie, & cum dominio copulatiue Conuentualium, & Obſeruantium, qui iuxta diſpoſitionem Eugenij Quarti, deſumptam à Concilio Conſtantienſi, ſubditi erant Miniſtris Generalibus Conuentualium, concedo; quibus autem tabulis, quibus Scriptoribus probat Pater Fortunatus Generales Minorum ante Leonem X., cum ex ſolis Conuentualibus aſſumerentur, non fuiſſe appellatos Generales Minorum Conuentualium? quod ſi in hoc perdureſcere voluerit, auctoritatem Leonis X. illi objciam, quàm aliàs ex authentico tranſcripſimus fideliter in probatione ſecunda primæ rationis pro prima concluſione cap. primi. Itaque ſecundum Leonem Miniſtri Ordinis appellabantur etiam Miniſtri Ordinis Conuentualium, cum quo coheret fuiſſe etiam vt plurimum nuncupatos Miniſtros Ordinis Minorum abſolute, quia re, & non ſolum nomine, filios S. Franciſci Primogenitos Conuentuales, & Nepotes, Filios filiorum, Obſeruantes paſcebant, cum adhuc eſſent omnes iſti vnum ouile, & vnicum haberent Paſtorem; & id potiori iure fundato, non aereo, & nominali agebant, vt nominaliter in præſentiarum fit à Miniſtris Generalibus Obſeruantium, qui ſine iuriſdictione in tota vniuerſitate Minorum, ſed limitata in Obſeruantes, ſe inſcribere faciunt Generales totius Ordinis Minorum, quæ inſcriptio, cum ortum habeat à Leone X. & à Decretis S. Congregationis ſit confirmata, conuincitur non eſſe phyſicam, & realem deſcendentem naturaliter à ſuo principio,

cipio, vt fuit in Minoribus Conuentualibus, quæ prodijt à S. P. Francisco, sed ethicam, ac moralem, priuilegiatam, & liberam. Et cum ait, anno 1517. per Bullam, &c. prohibiti sunt, ita vt talis prohibitio tamquam fulgur oriens, & statim transiens expirauerit concedo, aliter nego, quomodo autem talis prohibitio, non interfecauerit legitimam coordinationem Generalium Ministrorum Conuentualium, iam aperuimus corolario 2. huius capitis. Id quod addit de Antonio Marcello correpto, obiurgato, & à Pontificio conspectu deturbato, eo quod fuerit electus sub titulo Ministri, id refragatur Bullæ Nunciatum, &c. allatæ à Roderico tom. p. bulla 15. Leonis, quam ad tuenda commenta adducit pro se P. Fortunatus; in ea siquidem Pontifex dubitat de electione sub titulo Ministri, Antonium, dilectum filium, impartita eidem salute, ac benedictione appellat; & quod plus est, declarat electionem Generalis sub titulo Ministri fuisse secundũ formam Regulæ, præcipiendo omnibus antea subiectis Ministris Generalibus Conuentualium, & qui remanserant sub illorum dominio post Bullam Concordiæ, vt omnino illi parerent sicut fiebat antea. *Vt tibi*, inquit, *sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, tamquam vero, & indubitato, ac legitimo præfato ipsorum, secundùm formam Regulæ, sicut hactenus ad vsque Capitulum Generalissimum, nouissimè Romæ celebratum, Ministris Generalibus obedire consueuerunt, cum effectu obediant, teque Magistrum Generalem dumtaxat nominent*. Hæc autem Bulla edita fuit die vndecima Iunij anni 5. Pontificis, quo itidem anno, ac die fuit euulgata Bulla secunda Concordiæ; in qua præsentem conspectui Pontificis, benedixit, ac confirmauit præfatum Antonium in Magistrum Generalem idem Pontifex, de hac Bulla non est locus suspicioni cum ab omnibus auctoribus de hac re agentibus adducatur, si est aliqua difficultas, erit de altera, sed poterit euacuari, quia duodecim sunt horæ diei, & prius potuit edi de mane Bulla Concordię, & declinante die, altera.

Sixti V. auctoritas truncatè adducitur, tacendo Bullam confir-

confirmationis Archiconfraternitatis Cordigerorum, in qua narrat se contulisse Clementi Bontadosio facultatem erigendi Confraternitates Cordigerorum tàm in Ecclesijs Conuentualium, quàm Obseruantium, & Capuccinorum, vbique Terrarum, & eundem nuncupat Ministrum Generalem, sicut, & Successores suos, quibus impertiuit eandem facultatem, vt autem diximus Corolario 2. tunc temporis amplius non regebat ordinem Bontadosius, sed præfuerat anno 1585. quando edita est Bulla erectionis, igitur eo anno potiebatur titulo Ministri ex auctoritate, & testimonio Sixti V., ex cuius auctoritate conijcio ab eodem etiam in prima Bulla fuisse appellatum Ministrum, hæc enim sunt verba confirmantis Bullæ; *Nec non dilecto filio Clementi Bontadosio, moderno, & pro tempore existenti dicti Ordinis Ministro Generali* (his autem verbis, & pro tempore, &c. respicit futuros Generales, quos Ministros vocat,) *vt quascumque Confraternitates vtriusque Sexus Christifidelium Cordigerorum huiusmodi, in quibuscunq; Ecclesijs, Domorum Ordinum Fratrum, tàm Minorum Conuentualium, quàm de Obseruantia, & Capuccinorum nuncupatorum, vbicunque, & in quibuscunque Mundi partibus, erigere, & instituere, &c. plenam, & omnimodam facultatem, & auctoritatem concesserimus, &c.* Testatur Pontifex se contulisse auctoritatem, &c. Clementi, & pro tempore existenti Ministro Generali, &c. si in illa appellasset Clementem Magistrum, Magistro dixisset, non Ministro; nec dubitandum est de hoc titulo in Bulla confirmationis (licet abrasus fuerit ab ea in Bullario Roderici tom. 2. Bulla 8. vbi sic legitur: *Clementi Bontadosio, moderno, & pro tempore existenti dicti Ordinis Minorum Generali*; dicitur Minorum loco Ministro) sic enim legitur in Confettio pag. 217., in Bullario Laertij Cherubini vbi de Sixto V. & in Monitorio Octauiani Raggij edito anno 1638. contra nonullos, qui sibi arrogabant facultatem benedicendi, ac cingendi Cordas, & Cordigeros inscribere vbi erant Conuentuales; imò in vtraque Bulla erectionis, & confirmationis Archiconfraternitatis in eodem monitorio verba-

tim insertis, Clemens Bontadosius Minorum Conuentualium Generalis cum suis Successoribus, Minister appellatur, & hoc est quod parum supra aduertebam, & tandem id conuincitur ex vsu inueterato iugiter appellandi Ministros, Generales Conuentualium, post editionem saltem huiusmodi Bullæ; auctoritas ergo Sixti V. militat in aduersarium: nec numerandi sunt Ministri Generales Conuentualium ab anno 1587. à tempore Sixti V., quia, vt dictum est, à tempore S. Patris Francisci vsque ad Leonem, Conuentualium Generales præfato titulo insigniti apparuerunt, & post Leonem, paucis interiectis, qui non officiunt, ad hæc vsque tempora eundem titulum de omnium Summorum Pontificum assensu, & concessione illos Ministros appellando, possederunt, & in tota hac possessione iam recensentur post S. P. Franciscum 75. Ministri Generales.

Verum necessarium est postrema verba P.Fortunati, serio, ac diligenti examine ad probationem reuocare. Scribit. *In ipsa Ministrorum Generalium Ordinis Minorum continuata serie ab ipso Institutore S. Francisco vsque ad modernum Fratrem Petrum Marinum Sormanni à Mediolano, iuxta Regulæ præscriptum, & Apostolica Decreta electum, non nisi septuagintatres Ministri Generales personaliter enumerantur.*

Error iste per trinas dimensiones, quas habet satis breues omnium fuit Scriptorum deObseruãtia, qui de hac re egerunt. Marcus Vlyssiponensis tertia parte Chronic. lib. 8. cap. 42 recenset electionem primi Ministri Generalis ex Obseruantibus patratam anno 1517. Romæ de mandato Leonis X. in Capitulo septimo generalissimo totius Ordinis Minorum, in quo Minister Generalis creatus fuit Christophorus Numaius Foroliuiensis. Dò verba auctoris. *In questo generalissimo Capitolo i Prouinciali dell' Osseruanza, non si chiamarono più Vicarij; mà Ministri Prouinciali, come sono chiamati dalla Regola, E fù eletto da tutti i vocali dell' Osseruanza, che iui erano presenti, per quadragesimo quarto Ministro Generale di tutto l' Ordine, Frà Cristofaro da Forlì, che era stato Vicario Generale degl' Ita-*

degl' Italiani, & in questo modo l' vfficio, & il sigillo del Pastore di tutta la Religione, e Successori del Padre S. Francesco fù dato à i Frati Riformati dell' Osseruanza, e finirono le Constitutioni Eugeniane, con le quali fino all' hora gl' Osseruanti si erano gouernati; idem repetit. p. 4. lib. p. cap. 6. notate verba, signate masculos errores, & contradictiones apertas. Ante istud Capitulum, celebrata fuerunt ipso Marco teste ibi ad initium capitis, elapsis temporibus centum, & duo comitia generalia, & in istis nec vnus ex Obseruantibus, hoc est (nè equiuocatione consueta Patrum Scriptorum de Ordine Regularis Obseruantiæ, laboremus) de illis Patribus, qui decreto Concilij Constantiensis, & Eugenij Quarti subtracti erant, & separati à Conuentualibus, vt diximus cap. p. cum eodem etiam Marco, fuit suffectus in locum demortui, vel electus post antecessorem, Minister, sed omnes quot quot inueniri queunt Conuentuales fuere, vt ostendemus inferius cap. 7. & sufficienter etiam cap. p. diximus, & idem Marcus sæpius fatetur, vt videre licet p. 3. lib. 3. cap. 34. *Iui*, ait, idest Romæ, *si celebrò in quell' istesso tempo il Capitolo generale ottuagesimo, nel quale i Padri Conuentuali nella Festa della Pentecoste elessero Frate Angelo da Perugia, trigesimo quarto Ministro generale*, lib. 6. cap. 6. *finalmente*, scribit, *dalle preghiere vinto, nominò Frà Francesco da Sauona Ministro generale*, ad marginem; *elegge*, (idest B. Iacob de Marchia) *Frà Francesco da Sauona Generale de Conuentuali*, lib. 7. cap. 36. *Nell' anno di N S.* 1500. *si celebrò il nonagesimo ottauo Capitolo generale in Iterana* (idest Terni) *da Frà Gilio* (vocabatur Egidius) *di Melia* (da Amelia) *Procuratore della Corte Romana, e Vicario dell' Ordine, nel qual Capitolo egli fù eletto per il quarantesimo Ministro generale*, & post aliqua verba; *non contento del carico, e dell' autorità sola, che egli haueua ne Conuentuali, &c.* lib. 8. cap. 25. *All' hora i Padri vocali dell' Osseruanza, non volendo hauer voce in quella elettione, conforme alla Bolla Eugeniana, vscirono fuori. Et procedendo i vocali de Conuentuali nell' elettione del Ministro Generale quadragesimo primo,*

fù

fù eletto il Maestro Frà Rinaldo da Cotignola, &c. & cap. 34. fine. *Doppoi mandò à conuocare i Padri Conuentuali in Roma à Capitolo generale, che fù il centesimo primo, nel quale fù deposto Frà Rinaldo, & eletto Frà Francesco da Bagnacauallo della Prouincia di Bologna Ministro generale quadragesimo secondo*; Et tamen non obstante, quod omnes Ministri ante Numaium, ex Obseruantibus primus, fuerint Conuentuales, hos omnes rapit à Conuentualibus, & vnit cum primo Ministro ex Obseruantibus, ex his omnibus vnicam lineam rectam texendo cum sequentibus. Item ante Capitulum in quo fuit electus Numaius anno 1517. ab eodem Marco enumerantur duo supra centum generalia comitia omnia peracta à Conuentualibus, & in omnibus Conuentuales in Ministros electi fuerunt, quomodo ergo fieri potest saltus iste à non fuisse, ad fuisse? hoc solo priuatur Deus secundum Agathonis dictum, *ingenita facere, quæ facta sunt*, vt habetur 6. ethic. cap. 2.; fieri nequit Ministros, qui ex Conuentualibus fuerunt electi, & fuere Conuentuales, non fuerint Conuentuales, & ex Conuentualibus assumpti, & quod eorum comitia generalia non fuerint ipsorum, quomodo ergo Obseruantium? ita vt primum ipsorum sit centesimum tertium? Primus Minister generalis ex Obseruantibus fuit Numaius, quomodo igitur quadragesimus quartus? & sequens Franciscus Lichetus quadragesimus quintus, & sic deinceps.

Nullus motus propriè sumptus naturaliter fieri potest in instanti vti docet Aristoteles 6. Phys. à t. 7. & cap. 3. & Doctor 2. d. 2. q. 9. N. O. Z. faber theor. 38. Fuentes lib. 6. Phys. q. 2. art. p. Mastr. disp. 17. Phys. q. 6. art. 5. nu. 60. quinimò loquendo etiam de motu locali, vt dicit totam realitatem motus, & non vltimam solum, nequit etiam fieri in instanti per Diuinam potentiam, vt idem Doctor astruit 2. cit. d. 2. q. 12. ad 2. f. & 3. d. 4. C. & cum eo Mastr. cit. num. 68.

Nequit Angelus in instanti naturaliter transire de extremo ad extremum inter quæ sit medium non communicans de extremis, non transeundo per medium, vt docet ibidem Scot.

q. 12.

q. 12. cit., quem sequuntur omnes Scotistæ, & plures recentiores citati à Mastr. 2. disp. 2. q. 4. num. 100., imò neque per Diuinam potentiam, vt motus totam importat realitatem, vt dictum est cum Scot. 2. & 3. cit.

Ad præteritum, vt præteritum est nequit dari potentia; alias esset præteritum, & non præteritum; his non impedientibus tamen, P. Marcus cum cæteris Scriptoribus de corpore Regularis Obseruantiæ, ablatis omnibus repugnantijs, deletis omnibus contradictionibus, semitam non tritam, & inuiam triuerunt, creando in instanti quadraginta tres Ministros generales de corpore Obseruantiæ cum primo, qui omnes successiuè produci per interualla temporum petebant, & ita electi fuerunt Conuentuales à Conuentualibus, transeundo ab vno ad quadragesimum quartum, & tamen, vt ait Aristoteles t. 7. cit. *impossibile est simul ire Thebas, & iuisse Thebas*: non transeundo per Ministros intermedios: tandem præteritos Ministros Generales quadraginta tres Conuentuales ex Conuentualibus præsentes fecerunt, ac in vnico Numaio Obseruantes creauerunt; sunt ne isti errores masculini, an feminini sexus?

Pater Franciscus Haroldus Epitomarius Annalium Patris Lucæ Vuadingi sect. seù tomo 2. pag. 906. anno Xpi 1517. sub Leone X. num. 3 in margine scribit *Capit. general.* 100. *Romæ*, & num. 7. in corpore. *Communibus omnium suffragijs in generalem Ministrum totius Ordinis Minorum B. Francisci electus est in sexennium prænominatus Christophorus Numaius Forol iuiensis, &c.* & post *Huic ergo vt potè, qui Bernardino à Prato* (errat, erat enim à Cherio, & Pratum erat agnomen suæ familiæ, vt tradunt alij Scriptores cum Vuadingo) *quem prius per Pontificem ab officio generalatus absolutum diximus, legitimè successit Ministerio generali totius Ordinis, & vera serie Ministrorum generalium S. Francisci Successorum, Pontifex tradi voluit antiquum Ordinis sigillum, quo reliqui Ministri generales à S. Francisci tempore vtebantur*, pag. 926, Anno Christi 1518 *Frater Christophorus*, ait, *Cardinalis Numaius Ministri generalis*

ralis totius Ordinis, hoc anno Lugduni in Gallia celebrauit generalia comitia, quibus ipse sua, & Apostolica auctoritate præsidebat, & electo in Successorem ipsius, generalem Ministrum totius Ordinis S. Francisci, Francisco Licheto Brixiensi, &c. ad marginem. *Capitulum generale 111. Lugduni;* hunc Ordinem successiuè seruat imperturbatum texendo seriem Capitulorum, & Generalium post Leonem X., & post Numaium cum præcedentibus, deducens lineam rectam à S. P. Francisco incipientem sine alio initio; vtque hunc palpabilem errorem tegat, & à Conuentualibus auferat etiam memoriam præteritorum Capitulorum, & Ministrorum de gremio Conuentualium patratorum, & electorum, num. 10. ad marginem scribit; *primum ipsorum* (idest Conuentualium) *Capitulum generale post separationem*, pagina 935. n. 4. ad annum Christi 1519. *Nostri Fratres Conuentuales, celebratis Bononiæ hoc anno generalibus comitijs Magistrum generalem sibi delegerunt Antonium Saxolinum* (Sansolinum) *florentinum*; ad marginem verò obseruat. *Conuentualium separatorum Capitulum generale secundum*, pag. 964. num. 3. ad marginem. *Conuentualium Capitulum generale tertium Assisij*, hancque methodum iugiter seruat in alijs electionibus; neque fit expers ab hoc errore, eo quod asserat illa fuisse comitia post separationem, siquidem, vt diximus capite primo, Obseruantes ter recesserunt à Communitate Conuentualium, non Conuentuales ab Obseruantibus, hi enim fuerunt illis semper antea subiecti, & totis nisibus à paterna domo, quam iugiter Conuentuales incoluerunt, & à patria potestate, quam in ipsos exercuerunt, se subtraxerunt. Sed de hoc iterum in fine huius capitis, nec antecedentia capitula à Conuentualibus rapuisset, & Obseruantium comitijs sputo ligasset si loqui vellet post separationem dumtaxat.

Sibi tamen constare non videtur author iste, dum pagina 906. num. vndecimo differens de statutis inter Magistrum, & Ministrum, vnum ex istis, fuisse ait, quod Magister generalis, & Magistri Prouinciales tenerentur petere confirmationem

nem

nem suarum electionum à Ministro generali, & Ministris Prouincialibus, *eo modo*, inquit, *quo prius Vicarij generales, & Prouinciales Obseruantium, seù de Familia petebant à Ministris generalibus, & Prouincialibus, qui ex Conuentualibus assumebantur*. Si fuerunt ante Leonem X. omnes Ministri generales Conuentuales electi in proprijs Capitulis, quomodo confunduntur cum Obseruantibus, & auferuntur à Conuentualibus?

Auctor Chronologiæ Seraphicæ aliàs citatus pag. 219., hæc scribit. *Quadragesimum octauum Capitulum, quod fuit primum generalissimum Capitulum Obseruantium, in quo electus fuit primus generalis Minister Ordinis assumptus ex Obseruantia Romæ 1517. &c.* pag. 234. *Quadragesimum nonum generale Capitulum Lugduni 1518., in quo electus fuit P. Franciscus Lichetus à Brixia*, & hanc seriem adnumerandi Comitia generalia pro suis Obseruantibus, cum præcedentibus omnibus illa annectendo, custodit vsque ad sexagesimum octauum generale folio 687. celebratum Toleti anno 1633. in quo fuit electus P. Frater Ioannes Baptista à Campanea. Hic quoque auctor non euadit oppugnationes contra alios adductas, & cum errorem ipsorum potauerit, pharmacum alijs propinatum ebibat.

Pater Dominicus de Gubernatis à Sospitello modernus Chronologus Patrum de Obseruantia tom. p. Orbis Seraph. lib. 3. fol. 199. §. 44., hæc scribit. *Frater Christophorus Numaius Foroliuiensis 44. Minister generalis*, & num. 2. *In generalissimo præcitato Capitulo, quod vnionis dicitur, reformatis omnibus, qui scilicet ad Regula Seraphica rigorem abdicatis priuilegijs viuerent, in vnum corpus coadunatis (quod Obseruantia Regularis diceretur) decretum cum fuisset ex Apostolico diplomate, vt hi soli in electione Ministri generalis totius Ordinis Minorum vocem actiuam, & passiuam haberent, &c. Communibus electorum suffragijs, electus est primus ex Obseruantia Regulari, sed 44. in Ordine in Ministrum generalem Frater Christophorus Numaius*, folio 200. §. 45. *Frater Franciscus Lichetus 45. Minister generalis*, folio 204. §. 46. *Frater Paulus Soncinas*

46. *Minister generalis*, sicque immutatus perseuerat numerando Ministros generales vsque ad 73. vnde folio 273. §. 73. iterum scribit. *Frater Petrus Marinus Sormanni à Mediolano 73. Minister generalis 1682. 16. Martij Toleti, &c.* eodem igitur toxico infectus, eisdem pharmacis, quibus Superiores ægri, sanatur.

Dices pro Scriptoribus istis, licet primus Minister ex Regularis Obseruantiæ Familia fuerit Numaius, quia tamen suo tempore, ac postea, vnicus extitit Minister Ordinis Minorum successiuè, & Minorum Ordo nunquam cessauit, omnes isti Ministri debent continuare vnicam seriem vniformem vnitati Ordinis, nec enim Ordo Minorum vnquam fuit sine suo capite, idest Ministro, igitur licet Ministri anteriores Numaio fuerint Conuentuales, & vt tales reduplicatiue connecti nequeant cum Obseruantibus, vt Ministri tamen præcisè Ordinis Minorum cum ipsis iungi debebunt, & Obseruantes cum Conuentualibus. Stat igitur Numaium fuisse primum Ministrum ex Obseruantibus, & quadragesimum quartum in linea Ministrorum Ordinis Minorum: sed.

Contra est, quia quando Numaius incępit fungi officio Ministri, vnitas Ordinis Minorum deperijt, & diuisus est in duas classes, ita vt vnaquæque sub ficu sua, & sub vite sua deinceps vitam traduxerit, non ergo bona vnius partis, ab altera diuisæ, computari queunt vt bona alterius, & maxime illa, ad quæ nullum ius vnquam habuit nec in re, nec ad rem, nec poterat amplius habere, quia præterita; cum ergo Minores sub Leone X. sint in duas classes omnino diuersas separati, Conuentualium, & Obseruantium, non debent bona Conuentualium, computari inter bona Obseruantium, & dignitates, & Ministeria, quæ ipsorum fuerunt, adnumerati cum dignitatibus Obseruantium, cum ad illas hi nullum ius neque actuale, neque potentiale habuerint, nec in re, nec ad rem, nec possint amplius habere, quia præterita, & ad præteritum, vt præteritum est non detur potentia. Contra 2. quia ab integro sæculo titulus Ministri redditus est Conuentualibus, ab illo

illo ergo tunc Ordo Minorum non habuit vnicum Ministrum, qui potuerit computari in linea continuata, & antiqua, sed sicuti Conuentualibus redditus est titulus Ministri, ità ad ipsos nouiter spectabit reuocare lineam, quam traduxerant, ac suam facere, quia ius in re, & ad rem in illa habuerunt; vnde licet aliquando fuerint impediti, cum impedimentum ablatum sit, frui suis bonis debent, vt patet de eo, qui nouiter, ablatis obstaculis, bona antiqua recuperat.

Dices à tempore Leonis X. vsque nunc potuerunt Ministri generales assumpti à corpore Obseruantium liberè, ac licitè inscribi Ministri generales totius Ordinis Minorum, vt patet ex iteratis decretis S. Congregationis, igitur vnus est adhuc Ordo Minorum, quo ad respectum ad Ministrum qui continuat lineam, ac seriem Ministrorum.

Contra est lex respicit futurum, nec enim disponere valet de præterito, cum non sit in sua potestate, quid quid ergò sit à tempore Leonis ad præsens nil de præterito disposuit Pontifex, nec S. Congregatio, neque in earum potestate fuit ordinare; quia vt docet Aristoteles 6. ethic. cap. 2.; *Nihil est eligibile, quod factum est, verbi causa, Ilium expugnasse eligit nemo; non enim consultat quispiam de eo, quod factum est, sed de eo, quod futurum est, esseque aliter potest, quod autem factum est, quin factum sit, fieri nullo modo potest; idcirco rectè Agatho inquit: Re namque sola hac ipse priuatur Deus; Vt facta minimè infecta possit reddere.* Cum igitur nec facta sit consultatio, nec ordinatio de annectendis Ministris Conuentualibus ante Numaium cum Numaio, qui fieri potuerit, quomodo emersit hæc facultas in Patribus Scriptoribus de Obseruantia, vt primum Ministrum creauerint quadragesimum quartum, & sic deinceps Successores?

Contra 2.; quia titulus præfatus fuit semper vox vox, & nihil vltra, titulus sine re, & consequenter non potuit significare rem maximè præteritam; cum neque ad hoc fuerit assumptus, vel potuerit assumi, sed dumtaxat in posterum in quo, nec significauit rem subiectam Ministerio in Ordine ad Conuentuales,

uentuales, qui habuerunt suum caput coaptatum corpori, sine quo nunquam fuerunt, nec alienum inspexerunt, sicut Patres de Familia, qui non habentes proprium caput supremum, caput Conuentualium agnoscebant.

Dices imò Conuentuales facti sunt à Leone X. Subditi Ministri generalis assumpti à corpore Obseruantium, quia disposuit Magistros eorum generalem, ac Prouinciales, confirmationem petere teneri perpetuis futuris temporibus à Ministris Obseruantibus.

Contra est, quia Pontificia dispositio non fuit pro præterito, de quo disputamus, & quo ad futurum, remansit talis potestas in esse signato, obiectiuo, ac theorico, & scibili, non fuit in esse exercito, physico, ac practico deducta. Fuit vt fulgur egrediens, ac statim disparens, estque iam completum sæculum à quo omninò interijt, ac cessauit etiam in esse signato igitur, &c.

Contra 2. quia Leo X. non expoliauit Conuentuales priuilegijs Apostolicis, vt poterat, imò in suo esse illa reliquit, licet non concesserit, nec confirmauerit, quidquid dicat Pater Fortunatus num. 7. §. p. vt inspici potest legendo Bullas Vnionis eiusdem Pontificis à principio vsque ad finem, ait enim in prima. Ite vos, &c. post medium: *Conuentuales verò secundum priuilegia viuentes quomodo eisdem Ministris, &c.* & nil aliud; in secunda verò: Omnipotentis Dei, &c. post initium: *& deinde Fratres Conuentuales, cum priuilegijs eis à Sede Apostolica concessis viuentes, ac redditus, & possessiones, aliaue bona temporalia secundum huiusmodi priuilegia retinere volentes, per alias nostras literas etiam statuimus, & ordinamus, quod vnum ex eisdem Fratribus Conuentualibus, vita, & moribus idoneum, sibi eligere possent, qui eorum Magister generalis appellaretur, &c.* & nihil aliud circa priuilegia subdit, & licet mutauerit nomen Ministri in Magistrum, non tamen dignitatem substantialem, ac potestatem officij Ministri abstulit, nec nomen generalis ademit, imò absolutè voluit eligi vt generalem, declarando huiusmodi electionem fieri secundum

Regu-

Regulam, & ficut vſque ad illud tempus actum erat, vt notauimus ſupra in reſponſione ad ſecundam obiectionem contra ſecundum Corrolarium, & confirmauit Clem. 7. allatus Corrol. 2. huius cap. imò mutatio nominis Miniſtri in Magiſtrum, abſolutè loquendo, fuit à minori ad maius, & excellentius, quia nomen Miniſtri eſt nomen humilitatis, dicente Chriſto Domino D. Lucæ 22. 27. *Nam quis maior eſt, qui recumbit, an qui miniſtrat? non ne qui recumbit? ego autem in medio veſtrum ſum, ſicut qui miniſtrat;* nomen autem Magiſtri eſt nomen excellentię, honoris, ac dignitatis, quia dignitate ſuper omnes potitus eſt Chriſtus Dominus, iuxta illud eiuſdem Domini D. Io. 13. 13. *Vos vocatis me Magiſter, & Domine, & benè dicitis, ſum, etenim;* imo ſolus Magiſter, vt impotat omnem perfectionem ſcientiæ, ac doctrinæ, iuxtà illud Diu. Matth. 23. 10. *Nec vocemini Magiſtri, quia Magiſter veſter vnus eſt, Chriſtus*. Talis ergo ſubiectio ordinata a Leone X. relinquens omnia priuilegia, & auferens nomen Miniſtri, de quo nullo modo gloriatus eſt S. P. Franciſcus, imò nec ſe Miniſtrum ſubſcripſit, teſtante id etiam P. Gabriele Fabro in ſuo ſpeculo pagina 38. his verbis. *Et licet à tempore Leonis X. vſque ad Pium Quartum alium titulum præfati Conuentuales habuerint, ob id tamen non deprimuntur: nam nec D. Franciſcus primus omnium Præfectus in Ordine, etiam poſt confirmationem Regulæ, huiuſmodi titulum habuit, & Summi Pontifices, nunc dilectum filium, nunc Rectorem Minorum, nunquam tamen Miniſtrum appellarunt, & ipſemet Pater Sanctus in ſuis epiſtolis ſe ſubſcribens, nunquam Miniſtri nomine vſus eſt*. Aſſumpſiſſe tamen aliquando nomen Miniſtri ſcribit Vuading. ad annum 1219. Relig. 13. fol. 202. num. 32., velut cum Fratri Agnello de Piſis iuſſit vt Miniſteriatum Angliæ ſuſciperet, & exerceret: *Ego Frater Franciſcus de Aſſiſio* (ſcribens) *Miniſter Generalis præcipio tibi Fratri Agnello de Piſa per obedientiam, vt vadas ad Angliam, & ibi facias officium Miniſteriatus*. Vale. Subſcriptio tamen abſq; titulo Miniſtri fuit. *Frater Franciſcus de Aſſiſio*, nil officit, reliquit etiam bona, quibus Conuentuales

exuere nequibat, cuiusmodi est series Ministrorum generalium elapsis temporibus ante annum 1517. electis ex Conuentualibus à Conuentualibus.

Desinant igitur Scriptores Patrum Obseruantium aglomerare Conuentualium Generales suis Generalibus, & vnam lineam ex ipsis interruptam deducere, ne fint ficut illi de quibus scribit Aristoteles 4. phys. cap. 2. t. 97. *Cum enim ipsi nihil mutamur secundum intelligentiam, aut latet nos mutari; non videtur nobis fuisse tempus: sicut neque ijs, qui in Sardo fabulosè dicuntur dormire apud Heroas, cum fuerint experrecti: copulant enim primum nunc posteriori nunc, & faciunt vnum, remouentes, propter insensibilitatem, medium*; imò peius, quia illis videtur fuisse, quod non fuit; copulant enim primum Ministrum Ordinis cum Numaio primo eorum Ministro per intermedios, qui ad ipsos nulla ratione spectare possunt, sed ad lineam Conuentualium, quæ naturalis est, naturaliter deducta à suo Capite S. P. Francisco, non legaliter introducta; siquidem, vt testatur Aristoteles 4. phys. cap. 7. t. 48. *fertur ad suum ipsius locum vnumquodque rationabiliter*. Stent igitur Ministri legales cum Ministris legalibus, & qui dici debent Ministri ex priuilegio, & priuilegiati, (si enim Leo X. illos suo priuilegio non euexisset ad titulum Ministri, sicut ex ipsis antea nunquam vllus extitit Minister, ita nec post fuisset) non vsurpent sibi Ministros directos, naturales, nec prætendant naturales appellari cum sint dumtaxat legales, & priuilegiati.

Meminerint etiam velim Patres Obseruantes ante Paulucium Trincium eorum Patrem, ac Ducem, multa fuisse celebrata generalia Comitia, in quibus, cum non fuerint in rerum natura, nullum prætendere valent ius; itidem in generalibus omnibus Conuentibus Ordinis Minorum vsque ad Leonem X., Patres de Obseruantia nec vocem actiuam habuisse, nec passiuam vnquam in esse exercito, quia, vt dicebamus cum ipsis Obseruantium historicis, Ministri omnes fuerunt Conuentuales; & cum sex capitula generalissima, in quibus conuocati sunt Conuentuales, & cum ipsis Obseruantes celebrata

sint

sint ante Leonem X. certum sit in quinque illorum vocem actiuam Obseruantes non habuisse, quidquid dicat P. Marcus de quinto p. 3. Chron. lib. 4. cap. 26. in electione Ioannis de Sarzuela (alijs Iacobus) in quo iure carpitur à P. de Gubernatis tom. p. Orb. Seraph. fol. 190. §. 36. *Errauit prorsus*, inquit, *Marcus, dicens Obseruantes in hac electione fuisse suffragatos. His è Conclaui exclusis, omnium suffragijs Sarzuela creatus est generalis Minister anno* 1458., & de primo licet constanter asserant Scriptores Obseruantini suos vocem actiuam exercuisse in electione Assisiana, quando de anno 1430. electus est in Ministrum generalem Frater Gulielmus de Casali; dubitari tamen potest, cum Patres de Obseruantia non haberent iuxta Regulæ dispositionem, *fiat electio à Ministris Prouincialibus, & Custodibus, &c.* cap. 8., Ministros, sed Vicarios, neque in hoc appareat manifesta dispensatio à Martino V. conuocante ad Capitulum etiam Obseruantes ad vnionem totius Ordinis peragendam, quæ ordinata est, cum omnibus ad reformationem Ordinis spectantibus, post electionem generalis Ministri, vt scribit Pater Marcus 3. p. lib. p. cap. 49. à Conuentualibus, & Obseruantibus simul, & tunc solum fuerunt depositi Vicarij, & deleti in posterum; cum igitur neque in generalibus, neque in generalissimis, vt aiunt, comitijs sint suffragati Obseruantes, nec totum, nec partem habuerint in electione Ministrorum, nec fuerint vocales Ordinis, quomodo queunt in præsentiarum asciscere alienos Ministros sine domestico furto, seu rapina, & suos dicere, & censent in pacifica possessione quiescere? absit; constituuntur enim sub mala fide, de furto detecti, & expoliantur, relicti cum suis; *locupletari enim non debet aliquis cum alterius iniuria, vel iactura* ex reg. iuris in 6. reg. 48. Non me latet egisse totis viribus Patres de Obseruantia pro obtinenda voce actiua in Ministri generalis electione, & à Calixto Tertio impetrasse, lata constitutione. *Illius, cuius in pace, &c.* 1455. Romæ, quæ integrè inserta est in Bulla Pij II. *Pro nostra, &c.* Romę 1458. penes Roder. tom. p. pag. mihi 121. Bulla p. Pij II.

Ordinantes etiam, ait Calixtus, *quod Custodes, & Vicarij prædicti, de Obseruantia nominati, in eodem generali Capitulo, ad electionem Ministri generalis vocem actiuam tantum habeant, &c. Quæ quidem literæ* (inquit in eadem Bulla Pius II.) *Calixto Episcopo Antecessore nostro, qui eas concessit viuente, minimè obseruata fuerunt, imò bis, primo in Capitulo Mediolanensi, secundo in Capitulo Romano, vbi præsens Generalis electus fuit, contra earundem tenorem processum extitit, quoad voces actiuas, Obseruantibus concessas, Episcopo Antecessore nostro tacente, ac suas literas non defendente.* Verum ex humanis sublato Calixto infecta re, sufferre non valentes se excludi ab electione Ministrorum, pro executione earundem literarum coram Pio secundo Successore egerunt, qui auditis Conuentualibus rem indecisam reliquit, & Patres Obseruantes quousque Conuentuales Ministrum generalem totius Ordinis elegerunt, exclusi fuerunt à suffragio. *Vnde*, ibi subdit Pius II., *nobis paulò post vestrum in alma Vrbe Capitulum celebratum, ad Summi Pontificatus apicem assumptis, vtraque pars vestrum à nobis, cum instantia, & humilitate Conuentuales*; (qui mos procedendi iugis fuit Conuentualibus, cum etiam se persequentibus) *vt libertas, & vnitas Ordinis seruetur, contra quæ duo, vt dicebant, Bullæ prædictæ faciebant: Obseruantes verò, vt sciant sub qua forma viuant, cum Bullæ Eugenij in aliquibus per Bullas Calixti modificatæ, & alteratæ essent; Bullæ verò Calixti non haberent obseruantiam, postularunt*, & aliquibus lineis interpositis: *partibus deinde vocatis à nobis præsentibus, quam Commissarijs antedictis, diligenter auditis, & examinatis, vidimus, atque intelligimus res ipsas vestri Ordinis, eius fore conditionis, & naturæ, vt neque breui tempore, neque leui, facilique tractu satis dirigi, & componi valeant, &c.*

Et merito quidem excludebantur à ferendo suffragio in electione Ministri generalis, quia iam se discreuerant à Conuentualium Communitate, & separatim proprios instituebant Vicarios, non suffragantibus Ministris Ordinis, licet illos confirmarent; & hac forsan de causa Calixtus citatus actiuam

vocem

vocem dumtaxat concessit, negata passiua, ne totum, ac partem haberent, Ministrum generalem, & Vicarios; Cum igitur Patres Obseruantes fuerint extorres ante Leonem X. à linea Ministrorum generalium, propriasque lineas deduxerint Vicariorum generalium pro Cismontanis, & Vltramontanis, à tempore Eugenij Quarti vsque ad Leonem X., stent cum istis, ad libitum annectant illas cum Numaio primo eorum Ministro, pacem habeant cum sequentibus in nomine Domini, nullus enim (certi sint) eos ab illis rapiet, sed non deturbent alios, & viuere sinant cum suis in pace.

DIGRESSIO

De Sigillo Ordinis Minorum.

NON est in quo magis glorientur Patres de Obseruantia, quam in Ordinis Sigillo, vnanimes enim ipsorum Scriptores iurant Leonem X. Generales Conuentualium priuasse Ordinis Sigillo, quo vti Ministri ad illa vsque tempora obsignauerant rescripta, ac coegisse in manibus primi Ministri Obseruantium concredere, vt deinceps ipse, ac sibi Successores dumtaxat liberè, ac licitè eo vterentur.

Huius scandali petram facilè crediderim extitisse P. Marcum 3. p. Chron. lib. 8. cap. 47. in cuius titulo scribit. *Del centesimo terzo Capitolo generale, & settimo generalissimo, oue fù dato il Sigillo, e l' Vfficio di Ministro generale agl' Osseruanti*, & ad marginem. *Da Leone Decimo è fato Ministro generale de gl' Osseruanti, & à loro dato il Sigillo della Religione*. Idem repetit cap. 48. sequenti, in quo describit Sigilla Prouinciarum Italiæ sicut in capite 49. Prouinciarum vltra montes; sed de qualitate, seù forma, & figura Sigilli Religionis, nec verbum habet. Hanc tertiam partem Chronicarum scripserat P. Marcus vsque ad annum 1568., vt patet ex eius epistola dedicatoria, idem repetit p. 4. lib. p. cap. 6., hinc facilè lectores

eius, & post ipsum Scriptores potare potuerunt eius asserta, & quod biberant eructare, vnde post ipsum.

Rodericus in eamdem foueam incidit, & ex ea clamore valido sic intonuit tom. p. quæst. Regul. q. 4. art. 2. fine. *Et in quadam Bulla vnionis, sequentia sunt sancita. Primum, quod Ordinis Sigillum adimeretur Conuentualibus, & omninò Obseruantibus traderetur*, scripsit Rodericus anno 1600., vt ex facultate excellentissimi Consilij X. liquet, inserta in citato tomo.

Circa annum 1626. Procurator generalis Obseruantium calamum strinxit in Conuentuales, & inter ea quæ sibi dicere libuit, quibus omnibus ad vnguem P. Faber aliàs citatus in suo speculo satisfecit, hoc etiam erratum commune Scriptoribus suę Religionis de Sigillo adempto Conuentualibus, & donato Obseruātibus admisit; legatur Faber. cit. pag. 164. & 165.

De P. Haroldo vna cum P. Vuadingo actum est supra hoc capite S. P. Franciscus; & eo deuenit Haroldus, vt asseruerit idem omninò Sigillum, quo Ministri generales à S. Francisci tempore vtebantur, traditum fuisse Obseruantibus. Incœpit Annalia edere Vuading. anno 1624., vt videre est in approbatione primi tomi, & octenis voluminibus completis Epitomen omnium Haroldus confecit.

Alia processit via assertor iurium Patrum de nuncupata Obseruantia ab anno 1682.; negat enim Religionis Minorum Sigillum nouiter concessum fuisse Patribus de nuncupata Obseruantia, & ablatum à Conuentualibus, quos non veretur negare (contra Leonis X. constitutionem *Vnionis*,) ante Leonem præfatum præfuisse. Sed facta diuisione, & assignato nomine Conuentualium deflectentibus à rigore paupertatis, vult firmum remansisse Obseruantibus cum titulo Ministri generalis, Religionis Sigillum, sicut antea, in signum maioritatis, & antiquioritatis originis; huic factum est signum ad sagittas integro opusculo luci publicæ commisso anno 1682. P. Ioannes Franchinus Art. & Sacræ Theologiæ Doctor, tunc temporis pro Religione Minorum Conuentualium Generalis Procurator in Romana Curia.

Verùm

Verùm insurrexit P. Lector Fortunatus à Sospitello, contra quem hæc pauca pro nunc scribimus, quærens suos propugnare, & oppugnare veritatem; ipse quoque inter cætera in quibus exorbitat à semita veri, immiscuit fabulam de Sigillo; numero etenim 54. conatur cum P. Dominico de Gubernatis id euincere ex quadam Bulla Gregorij XV. incip. *Ex iniuncto* 24. Nouemb. 1621., cuius notitiam alibi quæsitam, reperire non fuit remedium, quam in eodem P. de Gubernatis tom. p. Orb. Seraph. lib. 3. cap. 10. num. 9. pag. 95.; in hac enim, inquiunt isti Patres, Pontifex recitat per extensum quomodo Leo X. anno 1517. Sigillum totius Ordinis Seraphici S. Francisci, gradumque Ministri generalis à Conuentualibus ad Obseruantes transtulerit; sed nec Bullam, nec eius verba ad rem suam, opportuna, imò necessaria rescribunt.

Pater Bouerius Capuccinus rem hanc derisui subijcit, scribendo Sigillum antiquum Ordinis Minorum ex aurichalco conflatum præseferens S. Patris Francisci imaginem Crucem manibus gerentem, caput habentem caputio acuminato tectum, à carbonario P. Matthæo à Bascio fuisse traditum, quod in quodam repererat monte; cuius dicti series quæ habetur tomo p. annal. fol. mihi 68. num. 19., si vera esset, & socordes pronunciaret in conseruando antiquo Religionis Sigillo Patres de Obseruantia, & mendacij assertores, dum adhuc in ipsorum manibus seruari profitentur saltem à tempore Leonis; imò idem Bouerius palliare conatur assertionem suam iocis alijs non minus irridendis, dum contentionem narrat ortam in Concilio Tridentino inter Patres Generales Minorum Conuentualium ex vna parte, & Patrum de Obseruantia ex altera, cui ipsorum iure potiori Sigillum Religionis concredi deberet, cumque lis eo protraheretur, vt definiri non posset, ad remedium, nec mihi, nec tibi deuentum est, & pro tradendo eodem Sigillo P. Vicario generali Capuccinorum tractatum est, qui id præsentiens humiliter illud recusauit, nec quidem, vt reor, alia ductus ratione, nisi quia iam potiebatur Sigillo antiquo Religionis inuento, & donato P.

Matthæo à Bascio à Carbonario, re vera nugæ sunt istæ, nam nec Pater Minister Generalis Conuentualium, qui numquam Sigillo Religionis fuerat exutus, nec Pater Minister generalis Obseruantium, qui se illud possidere gloriabatur traditum, vt pretiosam margaritam à Leone X. suis Antecessoribus, summendi litem initium habebant; narrabat hæc olim Pater Bouerius tom. p. pag. 515, vel alio prelo p. 2. tom. p. fol. 227.

Mea Religio duobus vtitur Sigillis, de quibus in Constitutionibus Vrbanis in cap. p. reg. tit. p. fol. 14. num. 5. & 6. habemus. *Sigillum quoque Religionis maius, quo ad hæc vsque tempora vsi sunt Generales Ordinis Ministri, inuiolatum permaneat. Apparet in ipso Paracliti Spiritus super Sanctissimam Virginem, & super Apostolos Domini in igneis linguis miranda missio, quæ die Sacratissimo Pentecostes Hierosolymis contigit; in calce Seraphici Patris figura à medio sursum, extensis brachijs, & in extrema inferiori parte Religionis insignia, inscripta sunt, & hæc verba circum circa. Sigillum Ministri generalis totius Ordinis Minorum Conuentualium: Hoc verò vtatur generalis Minister in diplomatibus, ac patentibus, (vt aiunt) literis. Minoris autem sigilli (in quo Diui Patris Francisci à Christo Domino Sanctissima Stigmata recipientis, sacra figura cernitur,) hanc inscriptionem circa extremas circuli partes habentis. Sigillum Generalis Fratrum Minorum Conuentualium vsus continuus sit in obedientialibus, & missiuis, seù familiaribus epistolis.*

Minister generalis Patrum nuncupatorum de Obseruantia eodem cum supradicto maiori Sigillo Conuentualium vniformitatem seruat, non exprimendo tamen in parte inferiori Religionis gentilitium, inscriptionem gerit. *Sigillum Ministri generalis Ordinis Fratrum Minorum:* eandem formam, ac figuram cum S. P. Francisco Sacris Stigmatibus munito seruat in breuiori Sigillo, sicut Conuentuales.

Patres Capuccini duobus obsignant ipsi quoque Sigillis, sed & grandiusculum, & breuius S. P. Franciscum sacris nostræ Redemptionis caracteribus donatum ostendunt hac inscriptione.

ſcriptione. *Sigillum Capuccinorum S. Franciſci.* Miror non vti antiquo illo Sigillo memorato.

Seraphicus noſter Patriarcha S. Franciſcus non alio vtebatur Sigillo, quam litera *Tau*, referente P. Marco Vliſſipon. p. p. Chron. lib. 3. cap. 20., ibi enim referens miraculum ab eodem S. Patre poſt obitum patratum, ſanando apoſtema cum ſigno *Tau*, ſtatim ſubdit. *Queſto era il Sigillo, col quale il P. S. Franceſco ſigillaua le ſue letere, quando ſcriueua à qualche ſuo amico, per alcun' opera di carità.* Paratam habuit hanc primam partem ad prelum P. Marcus anno 1556., vt ex approbationibus in eadem inſertis liquet; Lucem tamen typis venetis vidit anno 1600. Pater Petrus de Rodulphijs Tauſcinianenſis, qui libros tres hiſtoriarum Seraphicæ Religionis approbè, eruditiſſimè, & incomparabili modeſtia luci commiſit anno 1586. Venetijs de hoc S. Patris Sigillo folio 176. differens ait. *Signum* Tau *erat Sigillum, quo Beatus Franciſcus Generalis Præfectus ſignabat literas. Fuit B. Franciſcus Sacratiſſimi ſigni* Tau *feruens amator, quo non ſolum literas, ſed & frontes, & corda hominum conſignabat, vt vitæ diſcrimina, & mortem ipſam homines euaderent*, & poſt pauca; *cæteri Generales à B. Franciſco vſi ſunt diuerſis Sigillis.* Hæc Rodulphius: In memoriam tamen Sigilli S. P. Franciſci, meritò Cuſtos Sacri Conuentus in omnibus actibus publicis, ac priuatis obſignandis ab immemorabili vſus eſt ſigno *Tau*, & ſolus ipſe, quia Paſtor Baſilicæ, vbi requieſcit is, qui eo ſemper ſignare ſibi placuit.

Grandis ergo intercedit diſcrepantia inter Minores de Sigillo Ordinis priſco. Patres Capuccini Carbonario referunt grates, pro ipſis ſeruanti Sigillum Religionis antiquum, quod ſorte inuenerat in Monte; ſortem hanc nec Patres de Obſeruantia, nec Patres Conuentuales ſibi inaugurantur; ſtare ergo pro ipſis Sigillum propugnant Patres Capuccini, & negant Patres Obſeruantes potiri, eodem penes ſe exiſtere ablatum à Conuentualibus, affirmant Patres Obſeruantes; quid Conuentuales? iocari quidem aiunt Patres Capuccinos, & contra

corum

eorum locos ſtabunt rationes inferius ſubijciendæ,) dum Sigillum Carbonarij venerantur. Sigillum Religionis à longe aiunt aſpicere Patres de nuncupata Obſeruantia, veluti arborem ambulantem, ac proinde illis ſuadent vt collyrio inungant oculos ſuos, vt videant, ac feriò percurrant Bullas nil pro ſe loquentes.

Et quia, vt communis fert legalis paræmia neganti incumbit onus probandi, meum erit oſtendere non extare antiquum Religionis Sigillum in manibus Miniſtrorum generalium Obſeruantium, nec fuiſſe à Miniſtris generalibus Conuentualium ademptum.

Sequentia autem id manifeſtè conuincunt. Aſſerunt Scriptores Obſeruantini ipſorum Miniſtrum generalem huiuſmodi ſigillum poſſidere, quia Leone X. P. O. M. iubente coacti ſunt Conuentuales illud reſſignare in manibus Patris Chriſtophori Numaij eorum primi Miniſtri generalis, à quo per ſucceſſionem deuenit in reliquos Miniſtros; Amabo dicite, quibus teſtibus, & tabulis id probatis? optima enim probatio conſtat ex teſtibus, & fide tabularum de verbor. ſignif. cap. *Porus*. Teſtés extranei nulli adducuntur; Vos in cauſa propria teſtari nequitis, nullus enim teſtificari poteſt in propria cauſa, ergo non adducitis Teſtimonia probantia aſſertum veſtrum; ſed quas ad manus habetis tabulas conuincentes? *in quadam Bulla vnionis hoc primum ſancitum eſt, vt Sigillum, &c.* Reſpondet Rodericus citatus, & cum ipſo alij Scriptores. Sed cum duas dumtaxat ediderit Leo X. Bullas vnionis, non erat nuncupanda bulla, dans præceptum de Sigillo reſignando, bulla quædam, veluti rana vaga: primam ergo bullam publicauit Leo incipientem: *Ite vos in vineam ait, &c.* cuſam Romæ 1517. quarto Kal. Iunij anno ſui Pontificatus 5. ponite tabulam iſtam ſuper tabulam ſcriptoriam, ad libitum percurrite oculis à capite, medio, & fine, & ſignate ſi poteſtis, indicate periodum, nomen, verba ſonantia, ſigillum, quod hercle cum præſtare non valeatis, hæc non erit illa quædam bulla. Secundam dedit idem Pontifex incipientem

Omnipo-

Omnipotentis Dei, &c. pridie idus Iunij anno 1517., hanc quoque lustrate multis lustris, imò sæculis, & nisi fiat de Cælo miraculum, haud valebitis vnquam quidquam obsignare hoc Sigillo. Mecum in ea solummodo de Sigillo verba hæc percurrere poteritis ante medium. *Quodque in singulis Prouincijs deputati ad regimen Fratrum Conuentualium de cætero Magistri Prouinciales Fratrum Conuentualium cum suis Sigillis vocari, & à Ministris Prouincialibus Regularis Obseruantiæ in Prouincijs iuxta morem, &c.* Præcipit Pontifex mutari in Sigillis Prouincialium Conuentualium nomen Ministri, in nomen Magistri, non autem resignari Sigillum Prouincialibus Obseruantium; sed quo ad Generalem nunquam cedere Sigillum, vel debere mutare nomen, iussionem Pontificis inuenietis.

2. Leo X. in Bulla citata: *Omnipotentis Dei, &c.* titulum Ministri à Conuentualium Generali aufert, & loco eius subrogat titulum Magistri, præcipiendo, vt deinceps titulo solummodo vtatur Magistri; si abstulisset Sigillum, loco eius aliud substituisset, ac iussisset illo simili non amplius vti, sed nouo dumtaxat à se assignato, nullum ex his patrauit, igitur, &c.

3. Si Pontifex Leo X. mandasset Conuentualibus abstinere à prisco Religionis Sigillo, illudque omnino primo Obseruantium Ministro consignare, de hac traditione, ac cessione constaret in concordiæ instrumento, quod fuit initum inter duos Generales recenter electos, Numaium, & Marcellum ad eliminandas, & resecandas præsentes, ac possibiles in futurum discordias. In illo enim hoc maximè memorari fuisset necesse, cum alia etiam minoris momenti concordata referantur; sed de hac cessione, ac cessatione, ac renunciatione in illis conuentis, nil ad vmbram apparet, imò nullis contradicentibus (quod certe accidisset si præceptum Pontificis, & concordatum de Sigillo fuisset aliquando in rerum natura, cum magnæ lites sint exortæ de titulo, &c.) semper Generales Conuentualium ijsdem sigillandi formulis, ac Patres Generales Obseruantium, potiti, ac vsi fuerunt igitur, &c.

Minor

Minor innotefcit clariffima ex inftrumento prædicto allato in Chronol. Seraph. fæpius citata folio 229. de verbo ad verbum, articulos refert P. Haroldus fect. 2. folio 914. num. 14. qui funt. *Primus. Renunciatio Miniftri, & acceptatio nominis Magiftri.* 2. *Mutua promiffio nomine fui, & fubditorum ab vtroque Generali facta de Obferuantia omnium eorum, quæ in generaliffimo Capitulo, & Leone Pontifice circa Ordinis difpofitionem decreta, & ordinata funt.* 3. *Ad idem fpectat.* 4. *Quod à conftitutione præcedentiæ excipiatur proceffio quæ fit Pataui in fefto S. Antonij, in qua Conuentuales antiquam fuam confuetudinem feruent, excepto, quod decem Fratres Regularis Obferuantiæ cum Patribus fenioribus Fratrum Conuentualium ire poterunt, idemque iudicium habeatur in Proceffione, quæ fit Affisij in fefto Portiunculæ, faluo, quod omnes Miniftri, & Guardiani Obferuantium remaneant in fine, & comitatu Conuentualium bini, & bini, fi voluerint manere.* 5. *Declarauit Minifter generalis, quod Conuentuum bona relinquantur liberæ difpofitioni Magiftri generalis, & Prouincialium.* 6. *Quod in partibus Cifmontanis Fratres Conuentuales, qui fub Magiftro reformari voluerint, pro figno diftinctiuo habeant foleas ex corio, nec liceat ipfis vti calepodijs ligneis; in partibus verò Vltramontanis, determinatio huius figni diftinctiui relinquatur arbitrio, & communi confenfui Miniftri, & Magiftri Prouinciales.* 7. *Ad fecundum pertinet.* 8. *Conuentum eft, quod reformati Conuentuales, qui fignum diftinctiuum non portauerint, poffint à Miniftris, & Guardianis Obferuantium cogi*, igitur, &c.

4. Leo X. à Conuentualibus non abftulit officium Generalatus, dignitatem, ac poteftatem, imò abfolutè voluit, & ordinauit in illis conferuari, declarando electionem Generalis fieri fecundum Regulam, ficut vfque ad illud tempus 1517. actum erat, vt diximus in hoc capite pro refponfo ad fecundam obiectionem contra fecundum Corrolarium, igitur reliquit vt fuam auctoritatem exercitam valeret oftendere, obfignando patentes, literas obedientiales, ac miffiuas, & refponfiuas, fed quo Sigillo? non nouiter definito, cum

nunquam

nunquam hæc definitio, ac determinatio legatur, igitur antiquo.

5. Si hoc sigillo muniuit Leo X. P. O. M. Patres de Obseruantia magnum sequitur absurdum, quod est, nec Minores, nec tantum Pontificem pendisse, vt decebat, sacra lipsana; Hoc enim sigillum, vt dicunt Patres de Obseruantia (excepto illo contra quem egit P. Franchinus, cui satisfiet dum ostendemus inferius cap. 3. & 7 fuisse Conuentuales dum adhuc Religio pueralsceret) fuit illud idem, quo ab initio Religionis vsi fuere Generales Ministri, vel ergo idem omninò quo obsignauit S. Pater Franciscus, vel saltem B. Ioannes Parmensis, vel D. Bonauentura, si fuit idem quo signabat S. Pater, ergo irreuerentes constituuntur tantæ reliquiæ, B. Io: D. Bonauentura, omnes Generales, & Pontifex ipse, qui dupliciter errasset, non corrigendo præteritam indecentiam, & admittendo illam in posterum, idem sequitur, si fuit dumtaxat illud, quo vsi fuerunt B. Io. de Parma, vel D. Bonauentura, igitur, &c. & hæc ratio tollit etiam antiquitatem sigilli Carbonarij.

6. Sigillum, quo signabat S. Pater, fuit, vt suprà diximus, *Tau*, hoc non inuenit, nec donauit Carbonarius Capuccinis, nec Leo X. Obseruantibus; nunquam enim inualuit vsus signandi huiusmodi, præter quam in Sacro Assisiensi Conuentu, vt dictum est supra, quia decet omnium Monasteriorum Cęnobiarcham imitari etiam in hoc S. Patrem Franciscum, igitur, &c.

7. Quia in Religione Minorum, vt dicebat Rodulphius, Generales variabant sigillum, diuersisque obsignauerunt sigillis, non igitur vnum definitum erat sigillum Religionis, quod Generalis cadens officio transmitteret, seu resignaret in manibus Successoris, sicut post multum tempus à duratione Religionis incępit exerceri, non est igitur à parte rei hoc priscum sigillum transmissum à Beato Patre ad Successores Ordinis Ministros, quod Minister generalis aliquando incaute amiserit in monte, & forte venerit ad manus Carbonarij, vel

Summus

Summus Pontifex Leo X. Obferuantibus tradiderit. Derelinquamus ergo paracharagma iftud, & hac parænefi, cui contradici nequit, concludamus ad hominem principale huius capitis intentum.

Leo X. P. O. M. fel. mem., vt vos Patres de nuncupata Obferuantia affeueratores eftis, figillum Ordinis Minorum à Conuentualibus abftulit,& Patribus veftris Generalibus confignauit, & hoc figillum illud idem fuit, quo Miniftri Generales à S. P. Francifci tempore vtebantur; igitur à tempore illo vfque ad ablationem anni 1517. per trina completa ferè fæcula,fuit in manibus Miniftrorum Conuentualium Generalium à quibus ereptus eft, ergo ipfi funt inftituti à S. P. Francifco immediatè, & vti primogeniti tanti Patris, fuerunt hæredes gentilitij, feù fignaculi Minifterij, ficut & ipfius Minifterij, naturales, ac legitimi.

Item figillum cum officio, & titulo Miniftri, per vos Patres de nuncupata Obferuantia, (& quidem indubium eft de officio, & titulo Miniftri ex Bulla citata. *Omnipotentis Dei.*) Leo X. Conuentualibus ademit, & dedit Obferuantibus, Minifterio autem, & figillo Conuentuales potiti fuerunt ab initio Religionis, tradente eius auctore, aliàs affignetis à quo acceperint dignitatem Miniftri, & fignaculum eius, & quinam Minores vos, & illos præierint in officio, & obfignatione, & quando defierint, igitur, &c. Tùm quia fi affignatis initium vfus figilli præter illud, quod dicitis à tempore S. P. Francifci, contradictio ftabit ad fores, imò in fecretario domus introibit, igitur, &c.

Dices licet in Bullis Vnionis exprefsè non habeatur refignatio figilli, & ablatio à Conuentualibus, habetur tamen tacitè, & confequenter, nam qui dat formam, dat confequentia ad illam; ità refpondebat quondam penes Fabrum citatum folio 165. Procurator generalis in Romana Curia tunc temporis pro Patribus Obferuantibus. Sed contra eft, quia Scriptores Obferuantini,vt diximus,primum,ac præcipuum quod Pontifex determinauerit,dicunt fuiffe traditionem figilli,ergo

non

non fuit consequens ad formam. 2. Si Leo dedit formam Obseruantibus, ergo antea fuerunt sine forma, aliàs formam non dedisset, quia habuissent, & frustraneum fuisset habentibus illam concedere, quia duabus formis idem subiectum informari nequit eiusdem rationis; & quidem, vt diximus aliàs, vtiq; Patres Obseruantes ante Leonem X. erant sine proprio capite, quia proprium Ministrum generalem non habebant, parebant enim Ministro generali Communitatis, idest Conuentualium. Tunc sic arguitur; forma, quam dedit Leo alia nequit esse quàm dignitas, & officium Ministri generalis, sed consequens ad hanc formam, est obedientia subditorum, qui illum vt Pastorem venerentur, qui habet Ministerium, quam reuerentiam præcepit expresè etiam Pontifex in Bulla *Omnipotentis, &c.* igitur consequens istam formam non est sigillum. Tum quia si consequens ad dignitatem Ministerij est sigillum; probate mihi, quod debuerit esse illud, quo vtebantur Conuentuales, maximè cum officium Generalatus, sicut antea, vixerit perdurans immutatum essentialiter in ipsis de mandato eiusdem Pontificis in eadem bulla expresso. De sigillo igitur nil fuit meditatus Pontifex, vel si cogitauit, noluit antiquum Generalem coarctare ad nouum signandi sigillum, relinquens recenti Ministro, vt ad libitum recens sigillum sibi legeret, in quo sibi placuit omnino imitari Conuentuales, excepto quod in maiori noluit exprimi gentilitium Religionis antiquum, quod exprimunt Conuentuales, quia in ipsis stat fundamentum Ordinis Minorum.

Dices 2. Greg. XV. in Bulla *Ex iniuncto, &c.* 1621. edita 24. Nouemb. recitat per extensum quomodo Leo X. anno 1517. sigillum totius Ordinis Seraphici S. Francisci, gradumque Ministri generalis à Conuentualibus ad Obseruantes transtulerit; igitur non erit de ablatione sigilli à Conuentualibus, & consignatione facta Obseruantibus ambigendum: sed.

Contra est quia, vt parum supra dixi, satis perfunctoriè ab Aduersarijs agitur de hac Bulla, reticendo verba opportuna, & necessaria, cum enim referatur Pontifex historice

loquens

loquens de facto Leonis X., de quo semper fuit negata existentia, & negabitur, necesse erat luce clarioribus loqui verbis, & textum ipsum in arenam adducere, præcipuè, cum nullus alius etiam accuratus scriptor huius meminerit bullæ, & de cetero aliàs alio modo à conceptis verbis, bullæ distrahantur, & dolus misceatur, veluti, cum in lectionibus secundi nocturni solemnitatis S. Didaci 12. Nouembris, quæ ad verbum acceptæ sunt ab ipsius canonizationis bulla, vbi in hac legitur post initium. *Post aliquos verò annos, vt se arctioribus vinculis Christo astringeret, & à Mundi tempestatibus, quàm longissimè discederet, & sub suaui obedientiæ iugo, Deo securius, & fructuosius seruiret in portum Seraphici Francisci Religionis confugit, eamque propè Cordubam in Conuentu de Arrizafa, vt vocant, quem Fratres Minores, qui nunc de Obseruantia nominantur, incolunt, verbis expressis est professus*. Ità penes Rod. tom. 2 bull. bulla 5 Sixt. V, in lectionibus verò ad vsum breuiarij scribitur. *Eamque in Conuentu de Arrizafa Fratrum Minorum de Obseruantia inire decreuit*. Quò perexerunt verba illa Sixti V, qui optimè callebat historias Religionis, ac mutationes. *Quem Fratres Minores, qui nunc de Obseruantia nominantur, incolunt*, numquid vltra mare, vel in desertum? non ne perennabunt in eadem bulla in faciem O bis? Vel cum adducitur bulla Pij 2. à Vuading. tom 6. in regest. bulla 17. Pij 2. allata, incip. *Sacra Religionis*. Fitque in ea Pontifex assertor S. P. Franciscum suæ Religionis initia dedisse ad S. Mariam de Angelis,(qua de causa scribitur confidentissimè in lectionibus secundi nocturni secundę diei Augusti in festo dedicationis Ecclesiæ S. Mariæ Angelorum lectione prima. *Postremò quod ea esset Ecclesia, tàm longè antea à Domino præparata, in qua ordinem suum inchoaret, quàm idcircò Ecclesiam Portiuncula appellari voluisset, quod esset futura Mater, & caput pusilli gregis Fratrum Minorum*, contra bullas Gregorij Noni, Innocentij Quarti, & Nicolaij Quarti, de quibus inferius erit sermo, vbi de Conuentu Riuitorti, nuncupantes Assisiensem Basilicam Matrem, & caput totius Religionis Minorum)

rum) cum non Pontifex itá loquatur, sed libellum supplicem Pontifici porrigentes, idest Patres Obseruantes, itá locutos narret Pontifex, non approbando, nec reprobando dictum ipsorum, sed dumtaxat gratiam petitam, de non ædificandis domibus, nec ampliandis existentibus prope ædem S. Mariæ Angelorum, concedendo; Verba enim bullæ hæc sunt sub initium. *Exhibita siquidem nobis nuper narrationis vestræ series continebat ad supradictum locum vestrum S. Mariæ de Angelis, tùm propter miracula, quæ inibi B. V. Dei Genitrix assiduè operatur, cum propter reuerentiam B. Francisci (qui in ipso loco Ordinem suum inchoauit, & inibi ex hac vita migrauit) ingentem totius Orbis Christiani Populorum vigere concursum.*

Contra 2. Quia tres dedit Bullas, Ex iniuncto incipientes Greg. XV., quas adfert in suo bullario Laert. Cherub. tom. 4. Romæ cuso 1632. in quibus nil de titulo Ministri, nihil de sigillo omninò differitur. Prima siquidem habetur folio 95., in qua confirmatur, & innouatur constitutio Greg. XIII. & XIV. super prohibitione dilationis habitus Fratrum Capuccinorum, vel consimiles habitus per alios Regulares, &c. Lata est Bulla Romæ ad S. Petrum 9. Decemb. 1621. anno const. 25 Secunda folio 146., estque indultum Congregationis Fratrum Iesuatorum S. Hieronymi, quod à locorum ordinarijs approbari possint in Parochialibus Ecclesijs domorum regularium ipsius Congregationis dumtaxat, Parochianorum confessiones audire. Romæ ad S. Mariam Maiorem 3. Augusti 1622. anno 2. Tertia folio 169., iurisdictiones, & facultates continet Illustrissimi, ac Reuerendissimi D. Scipionis Cardinalis Burghesij, aliorumque pro tempore Cardin. Protect. Venerab. Hospit. Pauperum de Vrbe causas cognoscendi, nec non Officialium, & Ministrorum suorum. Romæ ad S. Petrum prima April. 1623. Quartam item incip. Ex iniuncto affert P. Dominicus de Gubernatis tom. 2. Orbis Seraphici eiusdem Greg. XV. editam anno 1621. 24. Nouemb. anno primo sui Pontif., lib. 7. cap. 2. folio 296. in hac autem neque de titulo differitur, neque de Sigillo quidquam proditur, in ea Con-

uentuales perſonam non agunt, cum Obſeruantibus non comparantur, nec vlla adeſt ibi cauſa illos vocandi, vt reſpondeant, nil opponunt Obſeruantes in eos, & Pontifex tandem reticet, nec verbum facit de Leone transferente titulum Miniſtri, & ſigillum à Conuentualibus ad Patres nuncupatæ Obſeruantiæ. Agit in ea Pontifex, vt componat ſimul Patres nuncupatæ Obſeruantiæ cum Patribus Diſcalceatis Hiſpaniarum; hæc eſt iſtiuſmodi bullæ ſumma rerum. Si quæ igitur alia conſtitutio authentica agens de ſigillo, & titulo translatis à Conuentualibus viuat in latebris, vel deſertis, ad noſtra deducatur habitacula, vt poſſimus ſuper ea debita meditatione immorari.

Similis his erroribus eſt alius, quem admittit P. Fortunatus n. 55., docendo literas Concordiæ fuiſſe petentibus Generali, ac Prouincialibus Magiſtris Conuentualium à Paulo III. confirmatas in bulla. *Exhibita nobis*. Romæ 27. Octob. 1540. quo ad omnia in illis contenta abſque reſtrictione; hanc bullam quiſque legere poterit in tomo 2. bullarij Roderici bulla 5 Pauli Tertij folio mihi 253, comperiet autem qui legerit Miniſtrum Generalem, ac Prouinciales expoſtulaſſe à Summo Pontifice confirmationem priuilegiorum à Sixto IV. in bulla Maris Magni conceſſorum, & eorumdem confirmatorum à Leone X. in bulla Concordiæ: in bulla Sixti IV. non fit commemoratio, nec verbum tituli, ſigilli, & aliorum, quæ non ſunt priuilegia, ſed onera impoſita poſtea à Leone X. igitur non petuntur hæc à Paulo III.; priuilegia autem in bulla Concordiæ Omnipotentis Dei, &c. notantur illis verbis verſus finem. *Poſtremo omnia, & ſingula priuilegia, & indulta dicto Ordini, tam per nos, quam alios quoſcumque Romanos Pontifices hactenus conceſſa, eiſdem Fratribus regularis Obſeruantiæ, ac Conuentualibus (in quantum præmiſſis non ſint contraria) auctoritate, & tenore præſentium inuicem perpetuo communicamus, & ſuffragari volumus, eaque omnia etiam illis de nouo concedimus*, quæ, & confirmauit Paulus III. Errat etiam idem Pater dum n. 56. dicit Clem. 7. bulla. *Accepimus* confirmaſſe bullam concor-

concordię: agitur in ea de pręcedentia danda Obseruantibus à Patribus Augustinianis in Regno Siciliæ, & in principio fit commemoratio eiusdem præcedentiæ ablatæ à Conuentualibus, & donatæ à Leone X. Obseruantibus, de reliquo nil aliud.

CAPVT TERTIVM.

Agnomen Conuentualium ab Innocentij Quarti Priuilegio in Minoribus originem duxisse probatur, & consequenter ante Eugenium Quartum in Ordine Minorum inualuisse.

DE Nomine Conuentualium quo ad eius originem, & significatum, & de tempore, quo incœperint eo denominari Minores, hic differitur. Omnes concedunt hoc nomine partem Seraphici Ordinis nuncupari, sed non omnes conueniunt de tempore huius nominationis, eius origine, ac significato. Patres, qui dicuntur Conuentuales, tales se nuncupari profitentur à tempore Innocentij Quarti anno 1251. septimo sui Pontificatus, causa cuiusdam breuis ab eodem lati mox subijciendi, nihilque aliud præseferre, quam Minorum Fratrum ad vnam Regulam, ad vnamque vitæ Communitatem vniformem animum, vti diximus errore 2. §. Ex his. contendunt: Innocentij Quarti Diploma est sequens, à quoquam legendum, si libet, tom. p. bullarij Laertij Cherubini, vel in Confetij Priuileg. fol. 151, vel in Roder. tom. 3. quæst. Regul. q. 30 art. 4.

Innocentius Quartus Episcopus, Seruus Seruorum Dei. Dilectis Filijs Fratribus Ordinis Minorum salutem, & Apostolicam Benedi-

Benedictionem. Cum tamquam veri, & fideles Christi Ministri elegeritis vobis in Domino mansiones, dignum esse credimus, vt habitacula vestra inter alias honorabiles Congregationes Fidelium statuamus. Hinc est igitur, quod vestris supplicationibus inclinati, præsentium auctoritate decernimus, vt Ecclesiæ vestræ omnes, vbi Conuentus existunt, Conuentuales vocentur; vobis nihilominus licentiam concedentes, vt in ipsis Ecclesijs ad opus Fratrum, & Familiæ vestræ habere libere Cœmeteria valeatis. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis, & constitutionis, infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Lugduni, Nonis Aprilis Pontificatus nostri anno septimo.

Hoc Diploma prodijt eo tempore quo regebat Ordinem B. Ioannes Parmensis anno 1248. electus in Ministrum Generalem, vt referunt Petrus Rodulp. lib. 2. fol. 179., & Pater Marc. Vlisyp. p. 2. lib. p. cap. 37., quare cum Diploma pro tota Religione in lucem prodierit, non est ambigendum accidisse cum consensu Ministri Generalis, regnauit autem B. Ioannes annis octo, cui renuncianti, de eius consilio, suffectus est sibi S. Bonauentura Doctor Ecclesiæ Seraphicus, qui cum immediate eidem Beato successerit, non est vertendum in dubium ei innotuisse, & consequenter ambos recepisse, libenter acceptasse, publicasse, ac eius obseruantiam iussisse, & ex hoc manifestè liquet nihil veraciter scripsisse Rodericum tom. p. quæst. reg. q. 4. art. p. fine. *Quapropter voluit Innocentius, ut domus Fratrum Minorum, Conuentuales appellarentur, quia iam Claustra, & Ædificia magnifica habebant, à quo Conuentuales in nostro Ordine sunt uocati, per quod nomen distinguebantur ab his, qui reformationem affectabant, qui Fratres de Familia uocabantur.* Quomodo enim duo illa candelabra ante Deum lucentia, totique Religioni Minorum radios Sanctitatis effundentes, manus dedissent superbis structuris Fratrum, & pro illis intercessores apud S. Sedem Apostolicam extitissent, vt

illorum causa ditarentur ab ea priuilegijs inhabitantes in illis? Quod si Fratres de Familia, qui procreati fuerunt à Paulo Trincio de anno 1380, dicti sunt postea Fratres de Obseruantia in Concilio Constan. (quod fuit celebratum anno 1414. &c.) vt narrat ipse Rodericus ibidem art. 2., quomodo dicti sunt Conuentuales tempore Innocentij Quarti Conuentuales ipsi, vt à Fratribus de Familia distinguerentur? Intelligat Rodericus apertas edocere contradictiones, omnesque sui asseclas cum veritate pugnare. Pontifex ipse quoque ædificia magnifica, nec ditasset fauoribus, nec Ecclesias in Domino mansiones nuncupasset, ipsæ quoque etiam magnificæ fuissent, non enim Minores minus fuissent solliciti de superbis Conuentibus erigendis, quam de amplis Ecclesijs exædificandis, & vtrumque contra eorum institutum Pontifici displicuisset, imò non muneratos gratijs, ac fauoribus, sed reprobatos paternis increpationibus, voluisset.

Aliqui ex Patribus de nuncupata Obseruantia contradicunt assertioni præfatæ Conuentualium, & aliunde deriuationem agnominis Conuentualis desumptam volunt, quam à præhabito diplomate. Scribit hæc ad hoc propositum Pater Haroldus tom. p. ad annum 1252. sub Innocentij IV. Pontificatu. num. 6. *Concessit etiam, ut Ecclesiæ Fratrum ubi Conuentus ædificabantur, Conuentuales appellarentur: Vnde inter nostros idem est Conuentualis, ac Claustralis, ut merito corrigendi sint Petrus Rodulph. & alij, qui ipsum secuti, antiquitatem illius Congregationis Minoritarum hinc ducere uolentes, quæ hodie Ordinis Minorum Conuentualium appellatur, cum post ducentos primum hinc annos id nomen huic Ordinis parti tanquam distinctiuum ipsius ab Obseruantibus, seù Fratribus de Familia, attributum reperiatur.* Si duo sæcula fluxerunt ab anno 1252. quando Minorum pars nuncupari cœpit Conuentualium Ordo, igitur iuxtà rectam ratiocinandi methodum, hoc accidit dumtaxat anno 1452. Verum ante hunc annum idem Pater Haroldus ad annum 1375. sect. 2. fol. 1006. nu. 7. ità discurrebat. *Alij enim Fratres Conuentuales à tempore Innocentij*

Quarti

Quarti dicebantur, qui collegialiter in Conuentibus uiuebant, ut Pontifex hoc nomine declararet eorum Ecclesias ijsdem gaudere priuilegijs, quibus gaudent aliæ, in quibus plures personæ ad publica officia conueniebant. Hoc tamen tempore cœpit id nomen strictius uulgo sumi, ad eosque tantum referri, qui strictiorem uitam non sequebantur, eo quod isti maiores Conuentus sibi retinebant. Alij ex aduerso Fratres Eremitoriorum dicebantur, qui loca deserta incolebant, ut quorum propterea tuguria, & Oratoriola Conuentuales, seu Collegiales Ecclesiæ dici non poterant, nec eorum gaudebant priuilegijs, neque Communitatem in suis functionibus obseruabant. Alij Fratres Familiæ dicti sunt socij Fratris Paulutij, quorum Congregatio à peculiari instituto, seu potius eiusdem instituti Obseruantia peculiaris dicebatur Familia, quo eos titulo Prouincialis in literis iam nominatis appellat, Fratres Regularis Obseruantiæ ijdem ipsi sunt, sed qui huius nominis authoritatem postea habuerunt ex decreto Concilij Constantiensis, & alijs Romanis Pontificibus, eo quod regulam sine dispensatione, vel priuilegijs relaxantibus obseruassent. Ais hic Harolde Fratres Conuentuales sic dictos à tempore Innocentij IV; illos nempe Minores, qui collegialiter viuebant, qui strictius tali nomine sunt appellati de anno 1375. dum constituebant Ordinis Communitatem, non illos verò, qui Eremitoria, Tuguria, & Oratoriola incolebant, qui propterea à Communitate Ordinis segregati erant; vide igitur ne sis tibi contradictorius, iam enim docueras Conuentuales non fuisse tales appellatos à tempore Innocentij IV, sed post duo sæcula, modò affirmas eo tempore sumpsisse denominationem Conuentualitatis. Quid quæsò est hoc Harolde, non ne manifesta contradictio in tuis assertis? imò dum inquis de anno 1375. strictius id nomen sumptum vulgo fuisse coarctatum ad eos, qui maiores Conuentus incolebant, qui & Communitatem Ordinis constituebant, à quibus pauci habitantes in Tugurijs, & Oratoriolis recedebant, iterum confirmas nutantiam in tuis dictis, & bis contradictionem aggeras, nec expectas fluxum duorum sæculorum ab anno 1252., vt oriatur in Orbe Conuentua-

uentualitatis agnomen.

Pater Lector Fortunatus conatum omnem adhibuit, vt ostenderet Conuentuales nec à S. P. Francisco fuisse institutos, nec antiquiores Obseruantibus extitisse, quare ne fateatur Conuentuales priscis temporibus vixisse, negat eos sic appellatos à priuilegio Ecclesiarum Minorum allato, sed ad sui libitum aliunde petit agnominis ortum, & quasi liceret omnibus nomen assumere ad significandum, non primo solummodo instituenti, docet Conuentuales dictos à priuilegijs, ac mitigationibus Regulæ à Pontificibus obtentis. Hunc errorem serere incœpit in epistola ad Lectorem, & in tota sua opella, nil est, quod magis repetat: ità §. 3. nu. 13., vbi concludit. *Nomen autem Religionis Conuentualium per integra duo sæcula, nec in Chronicis, nec in Annalibus, nec in cæteris Ordinis Scriptoribus unquam assignari poterit*, & num. 14. sequenti contendit Eugenium Quartum anno 1431. distinguendi causa, Conuentuales, eos qui ad rigorem Regulæ non viuebant, omnium primum nuncupasse, aliosque rigoribus Regulæ insistentes, obseruantes In bullis. *Super gregem Dominicum* Romæ 14. 31. Kal. Octob., & *exigit deuotionis nostræ feruor* Romæ 1444 8. Idus Ianuarij; ibi tamen palinodiam se cantaturum promittit, si has ante Eugenij literas vllibi producatur nomen Conuentualium illis Minoribus designandis impositum, qui Regulam per Apostolica priuilegia mitigatam profitentur, ad illorum differentiam, qui sine vlla dispensatione illam obseruare tenentur. Sed nomen Conuentualium Minoribus donatum non esse venandum à priuilegijs Pontificum, conuellimus errore tertio, sufficit ergo nobis ostendere ante Eugenium Quartum inualuisse nomen Conuentualium in Ordine Minorum ex Chronicis, Annalibus, & Scriptoribus Ordinis, imò ex nuncupata Obseruantia, & quod plus est, licet id non petatur, etiam ab Apostolica Sede occasione prædicti Innocentij Quarti indulti; quod autem attinet ad protestationem, licet nimis cauillosa sit, & fundata super malum principium, quod Conuentuales dicantur eo nomine à priuilegijs,

(ne

ne quid desit pro veritate tuenda, & dissipandis falsitatis vmbris) ostendemus tamen, Minores priuilegiatos ante Martinum Quintum, & Eugenium Quartum, dictos etiam fuisse Conuentuales, seu Conuentuales Minores nuncupatos, ante Martinum Quintum, & Eugenium Quartum priuilegijs Pontificibus donatos fuisse. Primum hoc in capite præstabimus, alterum in sequenti, &c.

Dico primo agnomen Conuentualium primo sęculo,& secundo Religionis Minorum, inualuisse in Ordine, totumque Ordinem affecisse non aliquos, vel illos dumtaxat, qui deputabantur pro familia in Conuentibus, & hoc ex Innocentij IV Constitutione allata.

Probatur primo ex Chronicis P. Marci Vlyssippon. omnibus illis eius auctoritatibus per extensum exaratis cap. primo huius operis §. ante hos, confitetur enim Ordinem Conuentualium à tempore Concilij Viennensis, quod fuit celebratum de anno 1311. initio secundi sęculi Religionis Minorum,tunc extitisse, & consequenter antea præfuisse, vt ibi inferebamus, quæ præexistentia non potest ræfundi nisi in primum sæculum Religionis, quod per duos, vel tres annos ab anno 1311 præierat; incœpit enim Ordo Minorum, vt alias diximus anno 1208., vel 1209: his auctoritatibus additur alia ex quarta parte lib. p. cap. p. vbi scribit: *Hora in questo medesimo anno, che il Vescouo Tossignano dice l' Anno 1449. à 27. di Ottobre, & dell' età sua 85., & in Fiorenza venne à morte il Reuerendo Padre Frà Francesco Sansoni Bresciano Ministro Generale, il quale gouernato hauendo tutto l' Ordine per il spatio di 24. anni, e più, con molta sua lode, fauori sempre l' Osseruanza, quale sotto il suo gouerno se ne visse con non poca spiritual consolazione, & in suo luogo nel nonagesimo Capitolo Generale de Padri Conuentuali celebrato in Iterana, fù eletto per Ministro Generale il Padre Frà Gilio, ouer Egidio d' Amelia, ritrouandosi all' hora Vicario Generale dell' Osseruanza, &c.* tunc sic: de anno 1500 circiter Conuentuales celebrauerant nonagesima comitia generalia in quibus elegerant semper Ministros generales (hoc

est

est quando eligendi erant) vel confirmauerant, qui erant Conuentuales, primus enim Generalis Minister Generalis ex nuncupata Obseruantia fuit Christophorus Numaius, vt aliàs diximus cap. superiori cum ipso P. Marco, & in hac parte quarta lib. p. cap. 6. confirmat, ergo à primo capitulo, quod fuit initio Religionis erant Conuentuales, & durabant vsque ad annum 1517, quando electus est Numaius, & ita in primo, secundo, & tertio Religionis sæculo, & per lustra quarti secundum Chronica.

Probatur 2. ex Chronologia aliàs citata, edita à P. Michaele Angelo à Neapoli anno 1650. nam folio 87. hęc verbatim leguntur. *Frater Ioannes Stronconius Fratrum Minorum obseruantium Vicarius, Conuentus, & Fratres ipsorum, maxima prudentia, & Regulari Obseruantia Ministros Conuentuales plurimo obsequio, & gratioso regimine habebat propitios, &c.* Hoc accidisse narrat anno 1390, in secundo Religionis sæculo; sequitur infra *Anno 1388. superuenit postea alia procella sub Alexandro V., & Ioanne XXIII., sub qua fluctuarunt vsque ad Concilium Constantiense, in quo solidius iacta sunt fundamenta Regularis Obseruantiæ in Gallia. Sancta enim Synodus Constantiensis exemit Fratres prædictos Obseruantes ab Obedientia Ministrorum Conuentualium, &c.* Erant igitur Conuentuales Ordinem constituentes ab anno 1388., & ante secundum Chronologum istum, transibat autem annus 1388. in secundo Ordinis Minorum sæculo, igitur ex Chronicis manifesta est existentia Conuentualium primo, & secundo Minoritarum sæculo.

Probatur 3. ex Annalibus Patris Vuadingi, auctoritatibus, quibus vsi fuimus supra cap. p. §. licet, in quibus euidenter ostenditur Conuentualium existentia, nedum ante Eugenium Quartum, qui creatus fuit Pontifex anno 1431., sed etiam ante Martinum Quintum, qui Pontifex fuit renunciatus anno 1415. de separatione Obseruantium à Fratribus de Communitate, quos ibi nominat Conuentuales Vuading., & cum fateatur vixisse Communitatem, (& hanc ex Conuentualibus

tualibus conflatam solummodo) anno 1415., quo vix cœperat tertium sæculum Religionis Minorum, nec tunc initium sumpserat Communitas, & consequenter Conuentuales, conuincitur Conuentuales edisse prius in secundo sæculo, & dentibus triuisse panem, manibusque ad os elato cratere, frigidam, vel merum potasse. Idem Vuadingus tom. 5. annal. folio 101. ad annum 1415. num. 22. narrat ingressum in Obseruantes, & egressum à Conuentualibus Fratris Alberti à Sartiano, ait. *Hoc anno Frater Albertus à Sartiano, Clusinæ Diœcesis in Tuscia oppido, Pij Tertij Patria, ad Obseruantes à Patribus Conuentualibus, transiuit, annos natus triginta*, duodecim igitur, vel quatuordecim annis antea probabile est Albertum inter Conuentuales professionem emisisse, erant igitur ante initium tertij sæculi, quod fuit anno 1408.

Probatur 4. ex Haroldo Epitomario Annal. Vuading. initio huius capitis citato, qui fatetur agnomen Conuentualium in Ordine inualuisse à tempore Innocentij IV, & anno 1375. strictius fuisse acceptum pro illis Minoribus designandis, qui maiores Conuentus sibi retinebant, ex cuius dictis multa habemus: primum ab Innocen. IV. priuilegio pro Ecclesijs vbi erant Conuentus lato, desumptum fuisse agnomen Conuentualium, secundum, non à mitigatione Regulæ dictos fuisse Conuentuales, sed à Conuentibus, & à viuendo collegialiter in illis, tertium, primo, & secundo Religionis sæculo Minores fuisse Conuentuales appellatos, quarto de anno 1375. secundo Religionis sęculo tres classes extitisse Minorum; Conuentualium, qui maiora Cœnobia colebant, Eremitarum, qui in locis desertis habitabant, quorum propterea Tuguria, & Oratoriola Conuentuales, seu Collegia'es Ecclesiæ, dici non poterant, nec eorum gaudebant priuilegijs, neque Communitatem in suis functionibus obseruabant, & Fratrum de Familia, qui erant socij B. Paulucij, dicti postea à Concilio Constantiensi Obseruantes. Sed hanc tertiam classem Minorum distinctam à secunda Eremitarum de anno 1375 non admitto, quia tunc temporis Fratres de familia inhabitabant dumtaxat

loca

loca deserta, & Eremitoria, cum fuerit ipsorum initium, quid quid afferat P. Fortunatus contra Franchinum num. 140. id siquidem pro indubitato scripserunt Rodericus tom. p. quæst. reg. q. 4. art. 2. vbi loquens de origine Fratrum Minorum de Obseruantia eosque fuisse procreatos à Fratre Paulutio de Trincis Laico confessus, ait: *literas à Generali Ministro obtinuit, quarum facultate Conuentum Brulianum in Italia erexit, ductis secum quibusdam Fratribus, cum quibus vitam pauperem, prout in Regula præcipitur duxit, statimque nouem Oratoria, siue Eremitoria illi adhæserunt, in quibus, &c.* Hoc autem prius scripserat P. Marcus Vlyssip. p. 2. Chron. lib. 9. cap. 26. de anno 1368. his verbis. *In questo tempo Frà Paulo Trincio da Fuligni di nobile Casata, Laico, mà di gran Santità, e zeloso della Religione hebbe licenza da questo Generale (* idest Thoma de Frignano *) di stare nel Eremo di Bruliano ne Monti di Fuligno, &c., e frà trè anni hebbe il detto Frà Paulo licenza dal Generale di habitare vndici luoghi, già abbandonati, &c.* hoc idem recantat 3. p. lib. p. cap. p. §. *non restò*, & cap. 4., vbi singula Oratoria, proprio nomine, quo vocabantur, refert ad idem stat P. Vuading. tom. 4. ad annum Christi 1368. nu. 10. 11. 12. & 13. igitur agnomen Conuentualium, &c.

Probatur 5. ex Scriptoribus. Rodericus tom. p. cit. q. 4. art. p. de origine Conuentualitatis in Religione Minorum, habet versus calcem. *Et tempore Innoc. IV, nomine Conuentualitatis sunt insigniti, ipse enim per Bullam authenticam in Sacro Conuentu Assisij vsque hodie seruatam, statuit, vt Ecclesia Fratrum Minorum, & Domus Conuentus appellarentur, à quo tempore Minores Conuentuales vocati sunt huius Religionis Fratres;* sic fideliter rescribo ex loco cit. fol. 18. tomo Venetijs cuso 1611. apud Baretium Baretium; dum ait Rodericus à quo tempore Minores Conuentuales appellati sunt huius Religionis Fratres, narrat denominationem supra totum corpus Ordinis, ac Religionis cecidisse, non supra Fratres de Conuentuum Familia, vt male interpretatur hunc auctorem P. Fortunatus num. 124., qui etiam extorquet sensum verborum eius,

qua

qua de causa illum variè locutum paucis lineis (quia contra ipsum scribentem pro veritate cernit) non veretur affirmare. *Varie*, inquit, *de hac materia scribens, primò Conuentualium nomen ab Innocentio in allegata constitutione impositum innuit, quod est contra verba bullæ, deinde concludit per nomen Conuentualium distinguebantur ab his, qui reformationem affectabant, qui Fratres de Familia vocabantur, vbi prima sua dicta retractans, vel explicans in bono sensu, verum dixit; hi autem Fratres de Familia secundò post Innocen. concessionem sæculo tale nomen habuerunt*. Sed Rodericus nunquam affirmauit Innocentium in sua bulla nomen Conuentualium Minoribus impofuisse, sed ait, *à quo tempore Minores Conuentuales vocati sunt huius Religionis Fratres*, quæ locutio est omninò diuersa ab illa, quam illi imponit P. Fortunatus; Rodericus enim dicit, quod à tempore illius constitutionis, qua Ecclesiæ vocatæ sunt Conuentuales, & Domus Conuentus, Minores appellati sunt Conuentuales, vnde patet locutum efficienter, occasionaliter, & originatiue, quia ab illa originem habuit, eiusque occasione actum est, vt Minores sortirentur agnomen Conuentualium, non formaliter; quinimò prima expositio, qua dicebat P. Fortunatus, Rodericum sane intelligendum, de Conuentualitate afficiente Fratres degentes in Conuentibus, repugnat secundæ, qua admittit verum esse id quod affirmat Rodericus, Conuentuales per nomen Conuentualium distinctos iri ab illis, qui affectabant reformationem, & Fratres de Familia nuncupabantur, nam licet hi secundo sæculo dumtaxat inuenti sint, prius tamen reperienda est denominatio Conuentualitatis, aliunde autem originem duxisse non probabitur, quam ab Innocentij diplomate. Tum quia saltem habeo concessum contra se ipsum P. Fortunatum, secundo Religionis sæculo nomen Conuentualium adhęsisse Minorum Ordini, sicque certum inualuisse ante Eugenium Quartum, nec desumendum præfatum nomen à tempore Martini Quinti concedentis prima priuilegia mitigatiua secundum ipsum, à mitigatione paupertatis; item Fratres de Familia ortum habuisse

secundo

secundo tantum sæculo Religionis, quod principaliter vult semper negatum iri in toto suo opusculo idem P. Fortunatus. Verba autem quæ subdit Rodericus. *Per quod nomen distinguebantur ab his, qui reformationem affectabant, qui Fratres de Familia vocabantur*, non contradicunt prioribus, *& tempore Innocentij IV. nomine Conuentualitatis sunt insigniti, &c.* Intentum enim Roderici est, quod Minores qui à tempore Innocentij IV. dicti sunt Conuentuales, quando apparuerunt Minores, qui dicti sunt de Familia, per illud nomen distinguebantur ab illis, ita vt non accipienda sint illa duo pro eodem tempore, sed quodlibet in sibi proportionato. Confirmat apertius idem Rodericus huius agnominis deriuationem à constitutione prædicta tomo 3. quæst. reg. q. 30. art. 4. vbi quærit. *Vtrum cum Fratribus Minoribus Conuentualibus sit rectè dispensatum, vt possint habere proprium in communi? Respondeo*, inquit, *dicendo, prout in primo tomo latè diximus, quod Fratres Conuentuales in Ordine Minorum dicuntur communiter Claustrales, simul, & Conuentuales, cuius nominis originem ibi explicauimus; nunc autem originalius huius nominis natiuitatem indagantes, inuenimus hoc nomen ad petitionem Fratrum Minorum fuisse ipsis impositum ab Innocentio IV. Papa vt ex eius bulla patet, cuius tenor in hunc modum se habet. Innocentius Episcopus, &c.* Origo igitur huius nominis Conuentualis descendit ab Innocentij IV. constitutione, & se loqui protestatur originaliter, non formaliter, Rodericus tam in primo loco citato, quam hic. Sed nullus locus tutus est Roderico, quin oppugnetur à contradicente sibi P. Fortunato; *hoc totum*, inquit, *accepit à Rodulpho, qui ad excollendam antiquitatem suorum Conuentualium ex illa bulla progreditur, dicens ipsam anno 1212. supplicante S. Francisco fuisse concessam, &c. & tamen Innocentius IV. anno 1245. factus est Pontifex.* Sed euasio hæc mera est fuga, etenim, siue Rodericus acceperit à Rodulphio notitiam Innocentianæ constitutionis, siue non, parum officit. Constitutio lata est, existit, publicata viuit, vera est, & ab ea, tam Rodulphus, quam Rodericus traxisse origi-

nem

nem testantur in Religione Minorum hoc agnomen Conuentualium, non afficiens dumtaxat Fratres in Conuentibus existentes de Familia vbi coexistunt Ecclesiæ, sed Ordinem Minorum in corpore secundum, & totum, & partes: Et nedum isti, sed alij id asserunt, de quibus supra, & mox erit sermo inferius; & de Rodulphij sana intelligentia nunc loquemur. Ante Rodericum Petrus Rodulphius Toscinianensis, qui renunciatus fuit Episcopus Senogaliensis, scripserat Historiam Religionis satis diffusam, alienam à rictibus, conuitijs, ac mordacitate, tribus libris concinnatam; & libro secundo initio folio 149. agendo de Conuentualibus hæc testatus est. *De Conuentualibus, & qua ratione Conuentuales vocentur. Conuentualium nomen Minorum titulo adiunctum est, nomen quidem humillimum, quod nullum honoris, nullum dignitatis, vel sanctitatis titulum præsefert, sed tantum Minorum Fratrum ad unã Regulam, ad unamque uitæ communitatem, uniformem animum significat. Conuentuales ergo B. Francisci primogeniti, ab ipsius quasi surgentis Religionis primordijs anno 1212., per annos ducentos, & eo amplius ab Innocentio huius nominis Quarto sic appellati, & Apostolica auctoritate muniti; statuit enim Pontifex, vt vbicunque Conuentus, & Ecclesia Fratrum Minorum extiterint, Conuentuales uocentur, quod nomen hodie quoque à nobis retinetur, quasi conformem animum significans ad regulam unam, quam semper professi sunt iuxta declarationes Summorum Pontificum; habetur bulla Innocentij in sacro Conuentu Assisij, cuius tenor est. Transumptum bullæ Innocentij Quarti, per quam ad supplicationem B. Patris nostri Francisci, Fratres Minores appellati fuerunt Conuentuales, &c.* igitur primo sæculo Religionis auditum est nomen Conuentualium. Sed caue tibi Rodulphie, quia enim pro Conuentualibus agis, apud P. Fortunatum grauiter offendisti cum Roderico num. 124. citato, dum assertor videris ex tuis verbis, Innocentium IV. bullam pro Conuentualibus dedisse anno 1212. supplicante S. Patre Francisco, cum is Pontifex anno 1245. ad Sedem Petri fuerit accitus, & anno septimo sui Pontificatus bullam dederit,

& S.

& S. Pater Franciſcus à quinque luſtris humanum penſum ſoluens, ad cœleſtia regna euolaſſet, ſeſſurus in ea, à qua Lucifer ſede parata, ceciderat vt piè creditur. Salua tamen veritate bullæ, vt diximus, fieri potuit, vt caderet error in relatione facti Amanuenſium, ſcribentium annum 1212. pro anno 1251., & addentium, ad ſupplicationem B. Franciſci, pro B. Ioanne Parmenſi. De hac nuncupatione originem ducente à conſtitutione Innocentij IV. teſtis factus eſt etiam Miranda in Manuali Præfat. q. 12. art. p. concl. 3. cuius auctoritatem vide in Franch. ſect. 7. num. 7., & velit nolit P. Fortunatus num. 124. cit. id affirmat Miranda, quidquid aliud de Conuentualibus eructet.

Probatur 6. auctoritatibus Conſtitutionum editarum tempore Pij IV. de anno 1565. & Vrbani VIII. de anno 1628 quas adduximus errore 2. § ex his conficitur. P. Franchinus ſect. 7. cit. num. 10. euidentiſſimum teſtimonium agnominationis Conuentualium pro ſecundo Religionis ſęculo vigentis pro anno 1392. adducit. Eſtque cuiuſdam Tabellionis Cortonenſis, dantis publicas, & authenticas tabulas occaſione cuiuſdam obligationis impoſitę ſororibus cuiuſdam Monaſterij eiuſdem Ciuitatis, & donationis editæ ab eiuſdem Vrbis Communitati, Populo, & Ciuibus in fauorem Minorum; & quia teſtimonium dignum eſt, vt fidem veritati, qua inſiſtimus, præſtet, tranſcribimus verba. *Sorores dicti Monaſterij ...... prouidere dignentur, & debeant perpetuò de uictu, & ueſtitu in eorum neceſſitatibus Fratribus Conuentualibus dicti Ordinis in dicta Eccleſia*, & hoc quo obligationem: ſubdit quo ad donationem. *Tradentes, concedentes, & commitentes dicto Ordini Fratrum Minorum Conuentualium, in hac parte totaliter omnes eorum, & dicti Communis, & Populi, & Ciuium Ciuitatis Cortonæ, in prædictis, & quolibet prædictorum uices, & uoces, &c. ſupplicantes Venerabili Religioſo Fr. Merigo Martini de Maſſa Ordinis Minorum digniſſimo Magiſtro, Prouinciali, Miniſtro dicti Ordinis, in hac Prouincia Thuſciæ, & in dicto Conſilio perſonaliter conſtituto, quatenus ipſe, & dictus Ordo*

dignetur

dignetur prædicta acceptare. Neque hic accipiuntur Conuentuales, pro deputatis, vel deputandis de Familia in illo Conuentu Cortonensi, vt placuit exponere P. Fortunato nu. 135. quis enim, vel parum grammaticas institutiones callens, audiens, vel percurrens illa præcisa verba: Fratribus Conuentualibus dicti Ordinis, meditabitur construi debere cum Ecclesia Conuentuali, vel cum Conuentus Familia Ecclesiæ, dum enim dicitur, *dicti Ordinis*, referendum id, quis construendo dicet ad Conuentualium Ordinem, non ad Ecclesiam, vel Conuentualem Familiam, si recte construere velit, & hoc euidentius conuincitur ex alijs subiectis verbis. *Tradentes, concedentes, committentes dicto Ordini Fratrum Minorum Conuentualium,* non ait Fratribus Minoribus Conuentualibus, sed quia vult concessionem exprimere factam in perpetuum Ordini, nedum illis Fratribus, qui tunc temporis in illo Conuentu degebant, & inposterum commoraturi erant, manifestat quis sit Ordo ille, & de quo Ordine loquatur, & cui Ordini sit facta concessio; cui ergo? dicto Ordini, inquit Fratrum Minorum Conuentualium, non Ordini S. P. Dominici, S. P. Augustini, sed Ordini S. P. Francisci, qui tunc vocabatur Ordo Minorum Conuentualium.

Probatur septimo auctoritate Clementis Quarti, qui feliciter gubernauit Ecclesiam ab anno 1265. vsque ad annum 1268. post Innocentium IV. annis 11. hic enim Pontifex instituendo quosdam Perusinos Syndicos Minorum, expresse hos vocat Conuentuales. Tenor breuis allati à Vuadingo tom. 2. anno 1265. in reg. bulla 7. & à Patre Dominico de Gubernatis tomo p. Orbis Seraphici lib. 3. folio 512. est subiectus.

CLEMENS PAPA IV.

Dilectis Filijs Barcilioni Petri, Benteuennæ Trouaiero, & Orlandino Bonauenturæ Perusinis.

CVM Dilecti Filij Fratres Minores ex professionis sua voto adeò se submiserint paupertati, vt nec diuisim, nec communiter aliquid proprij valeant obtinere, sed omnia, qua ipsis in eleemosinam erogantur, seù aliàs eorum contemplatione proueniunt, dominio, & proprietati Ecclesia Romana ex ipsorum Ordinis institutis accrescant, ac per hoc ad nos Procuratorem instituere in bonis huiusmodi pertinere noscamus. Nos de fide vestra, & circumspectionis sollicitudine plenam fiduciam obtinentes, Vos, & vnumquemque insolidum, ità quod non sit melior conditio occupantis, in omnibus bonis mobilibus, & immobilibus, ac se mouentibus Romana Ecclesia dilectorum filiorum Fratrum Minorum Prouincia S. Francisci contemplatione collatis, & inposterum conferendis, & omnibus, qua ipsi Romana Ecclesia ipsorum intuitu ex institutis dicti Ordinis prouenerunt, & prouenient in futurum, Procuratores, negotiorum gestores, Syndicos constituimus, & actores, dantes vobis, & vnicuique vestrum insolidum, administrandi, dandi, donandi, agendi, defendendi in iudicio Ecclesiastico, & saculari coram Ordinarijs, & Delegatis Iudicibus, Arbitris, Arbitratoribus, & deferendorum Dominis, transeundi quoque in causis omnibus, paciscendi, & iurandi de calumnia in lite, & de veritate dicenda, & iusiurandum, etiam defendendi, repetendi etiam, & recipiendi quacumque bona ipsorum contemplatione, qua applicata, vel deputata eorum vsibus quacumque modo illicito detenta, vel occupata sunt hactenus, & inposterum occupari, vel detineri contigerit, ac omnia faciendi, qua in iudicio requiruntur. Procuratores praterea, vnum, vel plures ad supradicta omnia constituendi, ad insinuationem MINISTRI, CVSTODVM, GVARDIANO-

RVM

RVM CONVENTVALIVM *dictæ Prouinciæ, seù ipsorum Vicariorum, seù alterius eorumdem, plena auctoritate præsentium concedimus facultatem; ita tamen quod de prædictis, aut circa prædicta in iudicio, vel extra, vos, vel aliquis vestrum, seù à vobis Procuratores dati, nihil pœnitus peragatis, nisi prædictorum* MINISTRI, CVSTODVM, GVARDIANI CONVENTVALIVM *dictæ Prouinciæ, seù ipsorum Vicariorum, seù alterius eorumdem, requisito consilio, & obtento consensu, &c. Datum Perusij octauo Kal. Augusti Pontificatus nostri anno primo.*

Placuit hoc breue ex integro hic inserere propter multa meditamenta, quæ necessariò inde prouenient agenda. Primum, quod Minores Prouinciæ S. P. Francisci anno 1265. ab origine, & institutione Religionis quinquagesimo septimo, à fœlici transitu S. Patris Francisci trigesimo nono, à Constitutione Innocentij Quarti superius allata tertiodecimo, vel quartodecimo, appellabantur Conuentuales; Ministri videlicet, Custodes, & Guardiani, qui non dicuntur, nec sunt de Familia Conuentuum, sed Patres, & Capita omnium Familiarum Prouinciæ, Custodiarum, & huius, vel illius Conuentus, dicebantur Conuentuales, & Fratres ipsi omnes, nam ly *Conuentualium*, non appellat Ministros, Custodes, & Guardianos immediatè, sed Fratrum corpus; vnde autem tales dicebantur? certè non nisi originatiuè ab Innocentij IV. constitutione, vel si aliundè, hoc habeo ratum, primo sæculo Religionis, sub ortu ferè ipsius, Conuentualium nomen prolatum ab ore etiam Pontificum, & Minores appellatos Conuentuales in Prouincia S. P. Francisci, quæ cum fuerit meritò antesignana, caput, & exemplar aliarum, & totius Religionis, aliud meditari nemo valet, quam Conuentualium nomen, omnibus in Prouincijs incolatum reperisse, omnesque earum alumnos nominasse. Secundum est, quod anno 1265. legabantur Minoribus bona mobilia, immobilia, ac semouentia: ibi enim dicitur. *In omnibus bonis mobilibus, & immobilibus, ac semouentibus, &c.* quæ dominium, & proprietatem non ipsis Mi-

noribus, sed S. Romanæ Ecclesiæ, accrescebant; fructus tamen pro ipsis stabant, subministrandi à Syndicis, qui habebant quidem amplam facultatem administrandi, dandi, donandi, &c. sed de consensu Superiorum Conuentualium, *ex quo liquet*(verba constitutionum piarum in præfatione post medium vsurpo) *quod quasi à principio surgentis Religionis, Fratres Minores cœperunt habere vsum, non tantum mobilium, sed immobilium ex liberalitate Sedis Apostolicæ, quæ ipsorum bonorum ius, & dominium apud se recipiebat, vsum verò Fratribus concedebat, quomodo hactenus ante Tridentinam Synodum nobiscum se gessit*. Tertium meditamentum est, quod breue hoc roborat veritatem concessionis aliàs factæ Minoribus Conuentualibus ab eodem Pontifice succedendi in bonis, quę ipsis obuenissent, si fuissent in sæculo, &c. cuius breue incipit. *Obtentu Diuini Nominis, &c.* quod habetur penes Confettium folio 13. latum à Pontifice Perusij secundo idus Februarij anno primo sui Pontificatus, quinque mensibus, & amplius ante hoc de quo agimus, per quod obtunditur negatio, & impugnatio huius bullæ à Patre Fortunato facta num. 150., & 151. contra quem stabimus inferius cap. sequenti. Quartum meditamentum est, has prænominatas constitutiones editas fuisse tempore Generalatus Seraphici S. Bonauenturæ, ipse enim anno 1256. Minister Generalis totius Ordinis Minorum electus, regnauit annis decem, & octo, vt refert Rodulphius lib. 2. folio 181. column. 2.

Tandem. Nullus ex Scriptoribus negat Patres de Familia, seù Regularis Obseruantiæ antiquam suscepisse denominationem Soccolantium, à calepodijs, quæ calceare cœperunt exemplo B. Paulucij, qui in Eremitorio Bruliani illorum vsum accepit, & docuit socios, obtenta prius facultate à Ministro Generali tunc temporis regnante, vt legitur in Chronol. Seraph. fol. 86. Vuading. tom. 4. anno 1368. num. 12.; vnde P. Marc. Vlysip. 3. p. Chron. lib. p. cap. 4. historiam narrat, hæc scribendo B., & C. *E perche quei di Brugliano, e di quei Monti, generalmente vsano di portar i Zoccoli, questo Seruo*

di Dio

di Dio Frate Paolo, & i Compagni cominciarono à portarli anch' essi, non tanto per asprezza, come per disprezzo loro, e per maggior pouertà. E di quì venne, che i Frati Minori in Italia per hauer mantenuto quell' vsanza di portar i Zoccoli, furono chiamati Zoccolanti; à calceatione igitur calepodiorum, seù calonum illicò irrepsit in Italia denominatio illa communis etiam sæculo, *li Padri Zoccolanti*, vixque pedes Minorum in alijs Prouincijs calones tetigerunt, sortiti sunt idem agnomen, Patres de nuncupata Obseruantia, & accepto à Pontifice diplomate, quod vocentur Ecclesiæ Minorum, Conuentuales, Minores ipsi nuncupari non valuerunt Conuentuales? Calcei lignei aridi, & sicci tam feraces euaserunt, vt confestim baiulos suos denominauerint Zoccolanti, & Ecclesiæ adhærentes Conuentibus, Conuentuales appellatę, infæcundę, inaccolas suos deriuare nequiuerunt proprium agnomen? proh infortunium! aliàs paritates conuincentes adducit P. Franchinus de appellationibus ab indumentis, &c. statim emanantibus sect. 7. num. 11. & 12., totumque Ordinem afficientibus, vt à Rocheto, Rochetini, ab acuminato Capuccio, Capuccini, &c. quas negat sine vlla ratione P. Fortunatus, & in alijs Religionibus hoc fuisse necessarium affirmat ad distinguendum illas ab alijs, secus in Ordine Minorum ante diuisionem; nam distinctio Rochetinorum, & Capuccinorum à Rocheto, & Capuccio, est mere accidentalis, & per priora poterat desumi, ab eorum videlicet Institutore, sicut factum est in alijs Religionibus, Dominicani enim dicti sunt à S. P. Dominico eorum Patre, ac Patriarcha, sic nos Franciscani à S. Patre, ac Patriarcha Francisco, &c. sic Patres Obseruantes alicubi Bernardini à S. Bernardino, eorum Protouicario Generali, &c. & tamen à Rocheto, & Capuccio satæ illæ denominationes Rochetinorum, & Capuccinorum millenarium dederunt fructum, & vsque in fines sæculorum dabunt, igitur, &c. Tum quia, & si non sit necessaria denominatio noua alicui subiecto, forma tamen recenter adueniente, quis valet huius effectum formalem, qui est denominare, impedire, cum nec Deus

possit effectum formalem primarium formę retinere? hoc quidem inimpedibile est in formis accidentalibus etiam, positis recenter in subiectis physicè loquendo, & moralitèr, & sumus in moralibus; & Pater Fortunatus valebit impedire effectum formalem Conuentualitatis? sed non se impedire, ait, cum Ecclesiæ vbi sunt Conuentus ex ore Pontificis sint Conuentuales appellandæ, & tales appellatæ sint, negare verò distensionem, seù distractionem ad Fratres Minores, cum non constet de concessione Pontificis; sterilescit ergo sola hæc forma Conuentualitatis, vt non valeat denominare Religionem ad cuius vsum erecti erant Conuentus, & ad obsequium Ecclesiæ? cum ferascant cæteræ formæ nouiter aduenientes, vt diximus, & repetimus.

Hæc de nomine Conuentualium dicta sint satis, & licet lis de nomine sit, omnino tamen fuit necessarium illam pertractare, quia ignorato quid nominis de subiecto, deficit vna præcognitio prior omnibus, & ab alijs præsupposita, & sine qua nequit haberi cognitio quidditatis subiecti; vt enim sciamus quod homo sit, & quid sit, imò etiam qualis sit, & propter quod sit, debemus præcognoscere, quid importetur per hoc nomen, homo; sic ignorato hoc nomine, Conuentualis, imò in deteriorem partem accepto, vt fit ab aliquibus, necesse est ignorare quidditatem subiecti Conuentualis, qualis, sit, & propter quid sit; resorbitent igitur, qui velint, & malè habeant audire veritatem, nos pro veritate pugnamus, & veritatem propugnamus, vt attendamus Spiritui Sancto, qui Prou. 22., ait. *Melius est nomen bonum, quam diuitiæ multæ*, idem repetenti Eccles. 7. 2. *Melius est nomen bonum, quam vnguenta pretiosa*. Ex his etiam poterit P. Fortunatus à mercurio se liberare, vt non amplius errabundus quærat num. 136. *ante Innocentium vbi erant Conuentuales, viuente S. Francisco, & in ipsa Regula institutione, atque confirmatione vbi erant Conuentuales? post Innocentium non Conuentuales quomodo vocabantur; nullibi legitur, de solo Fratrum Minorum titulo reperimus*; & post. *Vlterius: ergo nomen Conuentualium ab Innocentio*

centia ad illos distinguendos fuit appositum, qui relicto postea primario Regula Franciscana fundamento, nimirum arctissima paupertate, mitigatiua priuilegia, de nouo fuerunt amplexati? nego consequentiam, &c. ; licet enim ex benignitate Sedis Apostolicæ fuerit pro ipsis mitigata paupertas Regulæ Minorum, nunquam tamen defecerunt à primario Regulæ fundamento, vt aliàs dictum est errore sexto. Ante Innocentium igitur, erant Minores capaces nominis Apostolici Conuentualium, in ipsa Regulæ institutione, viuente S. Patre Francisco, erant Conuentuales specificatiue, Minores videlicet, qui nominandi erant Conuentuales non post sæcula sæculorum, sed nec dum transacto medio sæculo, erant initiatiue, erant substantialiter; Minores enim tunc temporis viuebant vno corde, habentes vniformem animum, vnamque vitæ Communitatem, quod est res significata à nomine, Conuentualis; Post Innocentium autem cœpit ex ore etiam Pontificis Clementis IV. audiri agnomen idem, bis Apostolicum, ex Innocentio IV., & Clemente IV., vt ostendimus probatione septima. Neque vllus ex Conuentualibus somniauit ab Innocentio IV, Minores locupletatos fuisse agnomine Conuentualium, ad illos significandos, qui priuilegia suscepturi erant, & ad illos distinguendos ab alijs, qui rigorem paupertatis suscitaturi erant; Agnomen enim illud ad præsens, & existens significandum datum fuit, non ad possibile, & futurum contingens, quia de isto, teste Aristotele lib. primo de interpretatione cap. vlt., non datur determinata veritas. Non erant tunc distinguendi Minores, cum essent vnum corpus, nec membra haberent separata; non ergo Innocentius IV. Minores distinxit, nec vt postea distinguerentur Conuentualium agnomen Ecclesijs, & deductiuè Minoribus, indulsit, sed vt aliarum Ecclesiarum indultis fruerentur. Non Conuentuales autem post Innocentium varijs in Congregationibus à Conuentualibus separati viuentes, varia nomina sunt sortiti, Clarenorum, Amadeorum, Coletanorum, &c. & suo tempore Fratres Minores, de Familia prius nuncupati, non multò post, auctoritate S. Con-

cilij Constantiensis anno 1414., vel 15. firmum, ac stabile susceperunt agnomen, Minorum de Obseruantia.

Ex dictis etiam satis manifestum puto primum Ministrum Generalem, qui potuerit assumere agnomen Ministri Ordinis Minorum Conuentualium, non fuisse Gulielmum Casalensem, vt asserit P. Fortunatus num. 20., & alibi sæpe, nam ab ipso retrocendo, ad vsque Innocentium IV., longa series Ministrorum præcesserat, rexit enim Ordinem de anno 1430. tempore Martini V., & Innocentius dederat priuilegium 1252. circiter, ab huius igitur priuilegij existentia, primus omnium, qui se nominare valuit Minister Ordinis Minorum Conuentualium, fuit B. Ioannes Parmensis, quia tunc temporis, vt diximus, moderabatur Ordinem, post ipsum autem Seraphicus Doctor S. Bonauentura, ex quo patet cum maxima veritatis luce, S. Bonauenturam à Scriptoribus fuisse appellatum Conuentualem, opponat licet nulliter, nullaque ratione tutus, P. Fortunatus num. *66.* contra Laertium Cherubinum, qui hac de causa affirmare motus fuit bullas loqui de Conuentualibus, & S. Doctorem Conuentualem fuisse: Quod si ante B. Ioannem Parmensem nominamus Ministros Generales, Conuentualium Ministros, patet id non fieri inceptè, quod ad eandem seriem Ministrorum attinent, & substantiue, vt dictum est, Conuentuales erant.

Dico 2. ante Eugenium Quartum in Ordine Minorum hoc agnomen Conuentualium inualuisse in vniuersa Religione, ac retentum fuisse, etiam separatis ab Ordinis Communitate Congregationibus.

Prima pars patet. Quia Eugenius Quartus electus fuit Pontifex anno 1431., & Innocentius Quartus, à quo habuit originem titulus Conuentualium, renunciatus fuit 1245., vnde fluxerant Eugenij tempore initio sui Pontificatus ferè duo sæcula.

Secunda pars, quod inualuerit in toto Ordine, & affecerit totum corpus, probatum est in primo capite, in quo nomen Communitatis, dictum est, idem fuisse, ac nomen Conuentualitatis,

uentualitatis, & solos Conuentuales venisse nomine Communitatis, & in superiori conclusione, in qua demonstratum est, primis duobus sæculis Religionis, Minores nuncupatos fuisse, Conuentuales.

Tertia etiam patet ex dictis, primo capite, conclusione secunda, in qua probatum est, omnes Congregationes, siue collectiuè, siue disiunctiuè sumptas, separatas fuisse à Communitate, idest à Conuentualibus, & initio capitis §. primo conficitur, vbi ostendimus, nomen Communitatis incœpisse sub tenera ætate Religionis, & durasse vsque ad Leonem X., & si fuerint multiplicatæ Congregationes, igitur, etiam stante separatione, ab Ordinis Communitate, Congregationum, retentum est nomen Conuentualium; Tum quia Congregationes omnes propria nomina sibi ipsis asciscebant, Cæsarenorum, Clarenorum, &c. Ergo tunc vigebat nomen Communitatis, & Conuentualium, ad distinctionem enim Communitatis nomina propria sumebant.

Dices, diximus cap. p. §. primo conficitur, nomine Communitatis in Ordine Minorum semper venisse Conuentuales, (quod & hic repetimus) & vlterius nomen Communitatis incœpisse in Ordine Minorum anno 1236. quando apparuit Cæsarenorum Congregatio sub Helia Generali; in hoc autem capite toti fuimus intenti ad probandam originem agnominis Conuentualium ab anno 1251, vel 52, quando Innocentius IV. dedit constitutionem allatam initio capitis, igitur, vel non fuit Communitas idem, ac Conuentualitas, vel damus in contradictionem.

Respondetur intentum nostrum fuisse probare à die concessionis Innocentij Quarti, quæ sub initio ferè Religionis prodijt, Communitatem Ordinis alios Minores non clausisse in suo sinu, quam Conuentuales, quia igitur sub exordio Religionis, Conuentualitas apparuit prædicata à tunc temporis, ad vsque hæc tempora per integra quatuor sęcula, & amplius de Fratribus de Communitate, diximus semper nomine Communitatis intellectos fuisse Conuentuales; sexdecim enim anni

anni circiter, qui antecesserant ante Innocentianam, in quibus incœperat Communitatis nomen, officere non debet quatuor sæculis, vt non valeamus asserere semper nomine Communitatis intellectos Conuentuales fuisse, & quando diximus fuisse identitatem in his nominibus, Communitatis, & Conuentualitatis, id intelleximus de lata, non de physica, vel metaphysica, identitate; quia scilicet à die originis Conuentualitatis, id nomen suscepit Communitas Ordinis, & iugiter retinuit.

Dices 2. Si à constitutione Innocentij Quarti Ordo Minorum appellatus fuit Ordo Conuentualium, cum id acciderit ratione Conuentuum inhabitatorum à Minoribus, Ecclesijs eorum coexistentibus, ac vnitis, Patres etiam de Obseruantia, imò, & Capuccini habitantes in Conuentibus coexistentibus Ecclesijs appellandi erunt Conuentuales igitur, &c.

Respondetur id nos concessuros libenter, quando ostenderint eorum Ecclesias, vbi habent Conuentus, priuilegio Pontificio muniri, sicut, & Conuentualium, vt nominentur Conuentuales, secus negaturos; Cum igitur Ecclesiæ aliorum à Conuentualibus non fruantur priuilegio Innocentij Quarti, quia non fuit pro ipsis latum, ideò agnomen vsurpare nequeunt Conuentualium cęteri Religiosi; Vide dicta errore secundo §. ex his conficitur.

CAPVT

CAPVT QVARTVM.

Paupertatem Minorum longè ante Martinum Quintum à Summis Pontificibus diſpenſatam fuiſſe à ſuo rigore probatur.

VT euellant, eradicent, ac deſtruant Conuentualium exiſtentiam priſcis temporibus Religionis Minorum, illoſque nouos, ac recentes faciant, æſtimantes agnomen Cōuentualium ſignificare Minores illos, qui in rigoribus paupertatis ſunt à Sancta Sede Pontificia diſpenſati, & poſſunt poſſeſſiones adire, legata relicta ſuſcipere, &c. Scriptores nonnulli, negantes datas fuiſſe diſpenſationes antiquitus, illas ſuſcepiſſe exordium à Martino Quinto de anno 1430. acerrime propugnant; in hunc errorem, iunctis pedibus æqualiter, ſponte incidit, & cecidit P. Fortunatus in Epiſtola ad Lectorem, & nu. 5. 6. 14., & alibi ſæpè, contra quem aliquid tetigimus cap. 2. §. Dices, poſt tertiam probationem, & licet ſuperius oſtenderimus Minores non eatenus dici Conuentuales, quia diſpenſati in paupertate, vt videre licet errore tertio fine, & toto capite ſuperiori, in quo rectam, ac realem originem agnominis Conuentualium venati ſumus, ac ſignificatum eius dedimus, vnde mittere poſſemus laborem oſtendendi exiſtentiam priuilegiorum mitigantium rigorem paupertatis Minoriticæ longe ante

Marti-

Martinum Quintum; quia tamen tota fabrica Aduersarij fundata est super hac primæ dispensationis inuentione, ideò ad radicem securis ponenda est, & valido ictu secanda, vt ipsa recisa, illicò structura omnis se præcipitio committat, hoc autem præstabimus, & Scriptorum testimonio, & tabulis ipsis, seù priuilegijs à Summis Pontificibus editis, sine præiudicio eorum, quæ scripsit P. Franchinus sect. nona suæ antiquioritatis, quibus omnino primatum damus, vt nostra hæc sint suæ Dominæ pedissequa.

Alphonsus de Casarrubios Hispanus Ordinis Minorum nuncupatæ Obseruantiæ, edidit compendium priuilegiorum Fratrum Minorum, ac aliorum Mendicantium, quod Venetijs per Ioannem Antonium, & Fratres de Sabio, anno Domini millesimo quingentesimo trigesimo secundo fuit cusum, in hoc compendio folio 106., & 107. verbo Hęreditas, & Hęredes, subiecta scribit. *Clemens Quartus concessit, quod Fratres Ordinis Prædicatorum, & Minorum possint liberè succedere in bonis temporalibus, in quibus succederent in sæculo existentes, ac bonorum ipsorum possessionem apprahendere, & vendere liberè bona ipsa, eorumque pretium in vtilitatem suam conuertere, pro vt prælatis dictorum Ordinum melius visum fuerit expedire. B.fo.64.*, hoc est, vt declarat in prologo, bulla est authentica, & habetur in libro Monumenta Ordinis primę impressionis folio *64.; & I.fo.* 147. *conce.*352., hoc est in libro, qui inscribitur Monumenta Ordinis secundæ impressionis folio 147. concessione 357. ad marginem verò notat. *Pro Fratribus Minoribus, & Prædicatoribus.* Clemens autem Quartus regnabat anno 1265., Martinus Quintus adhuc anno 1430, igitur, subdit idem Alphonsus sub nomine Collectoris, vt innuit fine eiusdem prologi. *Aduerte, quod huiusmodi concessio, seù relaxatio, non habet locum in Fratribus Minoribus Obseruantibus, vt in sequentibus §. apparebit, præsertim in §. 2., & 4.*

Pro Conuentualibus igitur lata est huiusmodi concessio, ergo tunc existebant; hæc autem annotatio vera est, tum quia,

tunc

tunc non erant Patres nuncupatę Obseruantię, tum quia quando extiterunt, incapaces fuerunt prælibatæ concessionis.

Constitutiones Piæ pro reformatione Fratrum Minorum S. Patris Francisci Conuentualium editæ fuerunt anno 1565. in comitijs Generalibus habitis Florentiæ Magistro Antonio de Sapientibus Ordinem moderante, eodemque anno typis datæ Bononiæ apud Ioannem Rossium, fuerunt hæ constitutiones de mandato Pij Papæ Quarti à S. Carolo Borromæo tunc Ordinis vigilantissimo Protectore, ac Eminentiss. Cardinali Simoneta Vice-Protectore, reuisæ, & ab ipsis approbatę, fuerunt ab eodem Pontifice authentico Diplomate, incipiente. *Sedis Apostolicæ, &c.* (vt videre licet initio earundem constitutionum) confirmatæ: in prologo autem earundem, seu pręfatione post medium, hęc verba mecum quisque legere poterit. *Clemens verò Quartus anno primo sui Pontificatus, cum iam Fratres Minores valde essent propagati, & quotidiana eleemosina ad eos alendos non sufficerent, concessit, vt licitè possent succedere in bonis suorum Parentum, & Possessiones apprehendere, & in suam vtilitatem conuertere, & Martinus IV. ex suis literis idem concessisse videtur, cum de Fratribus Minoribus loquens dicit. Iidem Fratres, qui pro nulla re temporali possunt in iudicio experiri, vt exclusis quibuslibet solicitudinibus, liberius, & quietius diuinis vacent obsequijs, & offerentium, donantium, concedentium, aut in vltima voluntate relinquentium Ordini prædicto, vel Fratribus eiusdem Ordinis aliquid propter Deum, ne pia intentio fraudetur, sitque nobis solicitudini, quod præfatus Ordo pro suis necessitatibus, quoties ingruerit necessitas, vel vtilitas suaderet recurrere ad Romanam Ecclesiam cogeretur, ad quam rerum omnium mobilium, & immobilium, quibus Fratres vti possunt, ius proprietas, & dominium nullo medio spectat, &c.* & post sex lineas. *Ex quo liquet, quod quasi à principio surgentis Religionis Fratres Minores cœperunt habere vsum, non tantum mobilium, sed immobilium ex liberalitate Sedis Apostolicæ, quæ ipsorum bonorum ius, & dominium apud se recipiebat, vsum verò Fratribus concedebat, quomodo*

hactenus

hactenus ante Tridentinam Synodum nobiscum se gessit. Igitur ante Martinum Quintum, &c.

Aduertat hic Lector, Bullas Clementis IV. ex Confetio, folio mihi decimo tertio priuilegiorum Mendicantium, & Martini Quarti ex Roderico tomo primo Bullarum Apostolicarum bulla prima folio mihi 44., à me hic citatas, & inferius in hoc capite verbatim allatas fuisse, ad hunc finem præcisè, vt ostendam ante Martinum Quintum extitisse super Minorum paupertate dispensationes,ac mitigationes; vnde fit, vt nemo suspicari debeat de veritate bullarum istarum, ac fidelitate; & si enim Martini bulla alibi reperiatur in aliquibus verbis variata, substantiam tamen eiusdem, sicut, & alterius, omnes Scriptores seruant, hæc igitur accidentalis verborum dissonantia, nec mihi scrupulum vllum obiecit, neque meo efficit operi, nec quæso alios vllo modo conturbet. Sed faueat citatos auctores in fonte excurrere.

Historiam Seraphicam tribus libris satis eruditè concinnatam luci publicæ commisit anno 1586. Venetijs apud Franciscum de Franciscis Senensem Pater Magister Petrus Rodulphius Tauscinianensis Minor Conuentualis,ante quem nullus alius Ordinis Minorum Scriptor, ita diffusè Religionis memoranda sub oculos posuerat; is lib. 2. folio 151. agens de legitima dispensatione Minorum Conuentualium scribit. *Hoc tamen pro certo habeo, quod anno Domini* 1258. *Alexander IV. Pontificis Gregorij IX. nepos, rigorem Regulæ nostræ in multis misericorditer temperauit, Pontificatus sui anno* 5., *quod fecerunt quoque multi alij Summi Pontifices, veluti Ordinis nostri veri Patres, vt Innocentius IV., viderunt enim Franciscanam Familiam latè multiplicatam, & quod prima rerum facies sensim quodam laxiori genere, pro temporis volubilitate, hominumque varietate, longè immutari cœpit, &c.* Ibi etiam adducit Rodulphius formam, qua antiquitus, & suo tempore professionem emittebant Conuentuales, quæ talis est. *Ego Frater. N. voueo, & promitto Deo Omnipotenti, & B. Mariæ semper Virgini, B. Francisco, & omnibus Sanctis, & tibi Pater* (idest ò Pater) *toto*

toto tempore vitæ meæ seruare Regulam Fratrum Minorum per D. Papam Honorium confirmatam, & à pluribus Pontificibus declaratam, præsertim secundum determinationem Martini Quarti, & Quinti, & Clementis Secundi, Eugenij Quarti, Sixti quoque Quarti, & Alexandri Sexti, viuendo in obedientia sine proprio, & in castitate: in hac forma, quæ desumpta est à constitutionibus Alexandrinis cap. 2. art. p. fine, quamque hoc eodem modo afferunt Chronol. Seraph. folio 151. Rodericus tom. 3. quæst. reg. q. 30. art. vlt., adest error manifestus de Clemente Secundo, nam iste fuit Pontifex anno 1046. & compleuit Pontificatum nouem mensibus cum dimidio, vnde præcessit institutionem Ordinis Minorum (quæ fuit, vt sæpius diximus anno 1028.) annis 162.; nec potest intelligi fuisse Clement. III., qui Pontifex electus anno 1188. tribus annis, & tribus ferè mensibus Ecclesiam gubernauit, & præiuit Ordinem Seraphicum annis 17., nec Clemens Septimus, qui regnauit ab anno 1523. ad 1534., quia ante ipsum anno, 1500 Minores Conuentuales prælibata forma vtebantur, vt patet constitut. Alexandr. editis anno 1500., reliquum igitur est, vt inibi poneretur, vel Clemens Quartus, vel Quintus, vel Sextus, non hi duo postremi cum nulla ab ipsis concessa sit dispensatio, igitur in illa forma legebatur Clemens IV, loco cuius errore communi Typographi, vel Amanuensium descriptus fuit Clemens Secundus. Cum ergo Minores Conuentuales in ipsius professionis formula, qua Minorum vitam vouebant, expresserint dispensationes Clementis Quarti, & Martini Quarti, Antecessores Martini Quinti, indubium erit extitisse Minores Conuentuales dispensatos ante Martinum Quintum, illos etiam recenter dispensantem.

Pater Hieronymus à Sorbo Capuccinus prælo commisit Neapoli 1595. opus inscriptum Compendium priuilegiorum Fratrum Minorum, & aliorum Mendicantium, in hoc Compendio verbo Hęreditas, & Hęredes rescribit eadem omninò verba Alphonsi de Casarrubios cum eadem limitatione Collectoris, igitur, &c. folio tamen 388. sub eisdem verbis E.

habetur.

habetur. *Capuccini annotatio. Cum ergo clarè constet ex supradictis priuilegijs in* §. 2. *& 4. ex Fratribus Minoribus, Conuentuales tantum, & non eos, qui Regulam secundum suam puritatem profitentur, posse hæreditatum, & relictorum in testamento esse capaces, est proinde sciendum, quod si ipsi incapaces de facto instituerentur, hæreditas ipsa pertineret ad cohæredem, &c.* Cum igitur de facto sint capaces, & primitus virtute concessionis Clementis Quarti, Conuentuales fuerunt dispensati ante Martinum Quintum.

Emanuel Rodericus Regularis Obseruantiæ insignis Scriptor tom. 3. quæst. regul. Venetijs 1611. publici iuris fecit, & q. 30. art. 4. quærit. *Vtrum cum Fratribus Minoribus Conuentualibus sit rectè dispensatum, vt possint habere proprium in communi*; in hoc articulo supponitur dispensatio, & quæritur an rite sit facta dispensatio, concludit cum Rodulphio citato contra quendam Ioannem cognomento Petrinum affirmatiue, & inter alia cum Rodulphio hæc habet. *Sed supradictus Petrinus debuit aduertere, quod quando Summi Pontifices aliquam faciunt super huiusmodi rebus dispensationem in dubio, credendum est causas talis dispensationis esse satis iustificatas, vnde anno Domini* 1258. *Alexander Quartus, Pontificis Gregorij IX. nepos, rigorem Regulæ Minorum in multis misericorditer temperauit Pontificatus sui anno quinto, quod fecerunt quoque multi alij Summi Pontifices velut prædicti Ordinis veri Patres, vt Innocentius Quartus, &c.* & in fine articuli hæc addit. *Vnde, his stantibus, error est dicere per eos, qui D. Francisci Regulam iuxta Ecclesiæ interpretationem, per Summos Pontifices factam, obseruant, in statu esse damnationis, nam ex hoc Ecclesiam errare (quod absit) sequeretur in his, quæ ad animæ salutem spectant; Imò dicebat Nauarrus, quod mallet esse Conuentualis, seruando Regulam B. Francisci relaxatam Apostolica auctoritate, quam Frater de Obseruantia, non seruando illam integram, quam integram voueant Obseruantes iuxta declarationem Nicolai Tertij, & Concilij Viennensis, ex quibus infertur, cum præfatis Conuentualibus esse à Sede Apostolica sanctissimè dispensatum.*

Patet

Patet autem Alexandrum Quartum, & Innocentium Quartum, Martinum Quintum multò tempore præcessisse, igitur Conuentuales ante hunc Pontificem fuerant dispensati, & iterum de Roderico paulò inferius.

Hæc paucis sed virilibus lineis narrauit P. Vuading. tom. 2. annal. impressorum Lugduni 1628. folio 286. numer. 21. *Clemens Quartus anno primo 1265. capaces declarauit vniuersos Minoritas, vt succederent licitè in bonis Parentum, possessiones apprahenderent, & in suam vtilitatem conuerterent, prout sibi melius videretur expedire, vniuersas censuras occasione præmissarum contra illos latas decernens irritas, & innanes. Obtentu Diuini Nominis 2. Idus Februarij. Quod tamen Sixtus Quartus postea declarauit de Obseruantibus non intelligendum.*

Sed Vuadingus reprehenditur à P. Fortunato num. 150. eo quod asseruerit præfatam bullam fuisse à Sixto Quarto declaratum non editam pro Obseruantibus, quia tempore concessionis vnum erat corpus, Sixtus Quartus nec meminit illius Clementinæ. Sed audiat P. Fortunatus: Si tempore concessionis vnum erat corpus, vel hoc erat compactum ex solis Conuentualibus, vel ex solis Obseruantibus, vel ex vtrisque; si primum, igitur non benè repræhenditur Vuadingus asserens pro solis Conuentualibus fuisse datam, si secundum, ergo aliquando Obseruantes fuerunt dispensati, tum quia falsum est, tunc Minores de nuncupata obseruantia extitisse, vt sæpius dictum est, ac inferius ostendetur, si tertium, Conuentuales tunc temporis existebant, quod negat Aduersarius, vnum corpus constituebant Conuentuales, & Obseruantes, & simul separati erant, quia probatum est cap. p. Congregationes omnes, & Patres ipsos de Obseruantia fuisse à Conuentualibus separatos; 3. quia falsum est eo tempore etiam lac suxisse Patres de nuncupata Obseruantia, erantque solummodo in potentia, & in esse obiectiuo; quod Sixtus Quartus non meminerit expresse illius Clementinæ, non curat Vuadingus, quia intentum eius est significare exceptionem, & declarationem factam de bulla à se lata. *Dum fructus vberes,* de facultate

succedendi in hæreditates, &c., in altera *Licet nos dudum*, *&c.* non comprahendere Minores Regularis Obseruantiæ, cadere ex consequenti super omnes alias bullas eiusdem saporis, cuiusmodi est lata à Clemente IV: Imò Sixtus in bulla citata: *Licet nos dudum*, declarat aliorum etiam Pontificum constitutiones circa præfatam materiam hæreditatum, &c. non comprehendere Minores Obseruantes: inquit enim: *Declaramus mentis, & intentionis nostra fuisse, & esse, vt prædicta nostra, & aliæ similes literæ circa successionem hæreditatum huiusmodi, ad Fratres Familiæ de Obseruantia, se nullatenus extendant.*

P. Haroldus Epitomarius Vuadingi dat ipsi manus, scribendo epit. annal. ad annum 1265. sub Clem. 4. tomo primo folio 383. num. 5. *Ad instantiam Magistri, & Fratrum Ordinis Prædicatorum, & quod non frustra omisit Rodriq., Ministri Generalis Ordinis Minorum, declarauit vtrosque capaces esse, vt succederent licite in bonis Parentum, Possessiones appræhenderent, & in suam vtilitatem conuerterent, quod Sixtus Quartus postea declarauit de Obseruantibus Minoritis non esse intelligendum*: hoc est consecutiue, & implicitè, vt diximus pro Vuadingo; imò ferè explicite, ex verbis Sixti adductis, id declarasse patet.

Eminentissimus Brancatus à Laureça laboriosum, ac vtilissimum edidit Opus Romæ Typis Mascardianis anno 1659., quod titulo prænotatur *Epitome Canonum omnium, qui in Conciliis Generalibus, ac Prouincialibus, in decreto Gratiani, in Decretalibus, in Epistolis, & Constitutionibus Romanorum Pontificum, vsque ad Sanctissimum D. N. Alexandri Septimi annum quartum, continentur*; in hac igitur eruditissima Epitome verbo. Fratres S. Francisci §. 3. legitur. *Fratres Minores possunt succedere in bonis, ac si essent in saeculo. Clemens Quartus Constit. Obtentu*, & inferius. *Fratrum Minorum Regula circa paupertatem, & alias obligationes, pro iis, qui in puritate Regulæ viuere cupiebant, & non gaudere priuilegiis, fuit pluries explicata, vt sequitur. Primo à Nicolao Tertio, & habetur de verbo-*

uerborum signif. in 6. cap. Exijt. Nicolaus autem Tertius Diadema recepit anno 1277, & possedit vsque ad annum 1280., igitur ante Martinum V. viuebant priuilegia.

Sequitur. *Iterum declaratur Regula per Clementem V., & habetur in Clement. de uerborum signif. cap. exiui de Paradiso,* & post multa. *Fratres Minores uiuentes in puritate Regulæ (sine priuilegijs, non possunt succedere in hæreditate, neque in mobilibus, non habere annuos redditus, &c.) ibidem exiui.* Si Clemens V. viuebat ante Martinum V, Coronam Pontificiam gerens in capite anno 1311. per sæculum, & lustra, igitur &c. Si declaratio Clementis V. fuit facta pro Patribus de Obseruantia, non pro illis, qui fruebantur priuilegijs, qui dubio procul erant Conuentuales, pro istis secundum Eminentissimum de Laurea existebant priuilegia ante Martinum V.; & hoc idem affirmauerat multo prius P. Rodericus nuncupatæ Obseruantię Scriptor tom. 2. quęst. reg. q. 78. art. p. his verbis. *Vtrum Fratribus Minoribus Regularis Obseruantiæ possit deferri hæreditas. Respondeo dicendo, quod Clemens Quintus explicans Regulam P. N. Francisci, ait, Quod Fratres Minores Obseruantiæ nullatenus sunt capaces successionum hæreditatum, ac etiam, quod non licet eisdem Fratribus ualorem talium hæreditatum, uel tantam eorum partem, quasi sub modo, & forma legati dimitti sibi facere, (quod præsumi posit hoc in fauorem fieri) uel sic dimissa recipere, quin potius ista sic fieri ab ipsis Fratribus simpliciter prohibuit; Vnde concesiones* (subdit Rodericus) *Clementis Quarti, & Sixti Quarti concedentes, ut possint succedere Parentibus, non de Fratribus Minoribus de Obseruantia, sed de Fratribus Conuentualibus sunt accipiendæ.*

Pater Magister Franciscus Bordonus Tertij Ordinis Sancti Francisci euulgauit tomum quartum suorum operum Lugduni anno 1665., & in eo Theatrum præcedentiæ, in quo q. 104. num. 248. scribit. *S. Franciscus tres instituit Ordines, quorum primus notatur de prima Regula, sub 2. continentur Moniales S. Claræ, sub 3. Tertiarij. Primum Ordinem instituit die 18. Octobris 1208., confirmatum sequenti anno oretenus ab*

Innocentio, per bullam uerò incip. Solet annuere, sub datum 29. Nouembris anno 1224. sub hoc primo Ordine continentur Conuentuales nuncupati, qui contra rigorosum paupertatis uotum obtinuerunt priuilegia ab Innocentio IV. acquirendi stabilia in communi. Idem scripserat tomo 3. ref. 86. num. 132. est tamen error in Pontifice; non enim Innocentius IV., sed Clemens IV. priuilegia mitigatiua ennarrata concessit, vt constans est Scriptorum, & aliorum auctoritas, vt diximus, & patebit ex adducendo breui.

Iuuant intento nostro non parum verba Patris Dominici de Gubernatis à Sospitello Ordinis Minorum strictioris Obseruantiæ tomo primo sui Orbis Seraphici, quem Romæ 1682. typis Stephani Caballi orbi donauit, historicè exarata; istamet sunt dictata lib. 3. fol. 178. num. 2. §. 32. *De Fratre Gulielmo de Casali Generali Ministro Ordinis Minorum: annis ferme tredecim Ordinem summa cum laude gubernauit, Obseruantia Regulari magnis fauoribus semper propitius, & ab Obseruantibus vicissim impense dilectus, donec aliquantum mutatus, suorum in Ordinis Communitate priuilegia iam abdicata, voluit recuperare, imò, & augere*; & ibidem num. 3. *Vt enim, & Fratrum de Ordinis Communitate, & Obseruantium per constitutiones Martinianas abdicatis priuilegijs maxime in facto paupertatis, & in cæteris relaxatius inita vnio firmius conseruaretur, Fratres vtriusque partis, præuio iuramento, constitutionum illarum promiserant obseruantiam*. Liquet autem Gulielmum de Casali anno 1430. Assisij in Capitulo generali fuisse ad Ministerium Generalatus euectum tempore Martini V. anno tertiodecimo sui Pontificatus, vt legi potest in Chronol. Seraphica sæpius citata fol. 90., & fatetur idem de Gubernatis tomo cit. & loco, & tomo 3. fol. 82. sect. 2. cap. 78: videantur alias dicta cap. p. §. pro coronide: Casalensis ergo iste Minister priuilegia per Martinianas constitutiones derogata maxime in voto paupertatis voluit reparare, recuperare, & abolita, vt reuiuiscerent operari pro Communitate sua, idest, suis Conuentualibus, imò, & augere; sed à quo obtinuit priuilegiorum resurre-

resurrectionem maxime in facto paupertatis? à Martino V., ab eodem videlicet Pontifice, qui iusserat edi constitutiones occidentes priuilegia mitigatiua paupertatis; Sed quando Martinum, suas derogantem in hoc constitutiones, inclinatum habuit? anno 1430. 10. kalend. Septembris anno 13. sui Pontificatus, eodem anno, quo fuerant in comitijs generalibus editæ, ac publicatæ constitutiones Martinianæ *derogantes* (vt ait Pater de Gubernatis) *priuilegia in facto paupertatis*, sed post vnum mensem, vel alterum à die publicationis earum, vt patebit ex breui adducendo in hoc capite non multo post; Si ergo è mortuis à Martino Quinto reuocata sunt ad vitam extincta priuilegia, non à se concessa, iam viuebant ante Martinum Quintum priuilegia, aliàs, nec obijssent, nec reuixissent; à positione enim posterioris sequitur positio prioris per locum à communiter accidentibus in ijs, quæ, vel semper, vel vt plurimum se inferunt, valebit igitur hæc illatio: priuilegia per Martinianas leges interempta sunt, ergo viuebant, reuixerunt, ergo vixerant, sed ante constitutiones præfatas non reuixerant, nec in sepulchro, vel loculo fuerant distenta, benè tamen secundum Patrem de Gubernatis per illas constitutiones spiritum emiserunt, viuebant ergo, non à Martino Quinto concessa, quia post constitutiones illa resuscitauit dumtaxat, igitur ante hunc Martinum vitam, ac alitum aliunde acceperant: non igitur primus omnium Martinus Quintus concessit priuilegia, &c. qui licet secundum dicta Patris de Gubernatis priuilegia in facto paupertatis deturbauerit, alij tamen, vt paulò post, aliter sentiunt.

Hanc veritatem, à veritate actus, sæpius Italico sermone confessus est Pater Marcus Vlyssiponensis, audio ipsum loquentem p. 2. Chron. lib. 8 fol. 482. cap. 33. agendo de Fratre Ioanne à Valle lit. B. *Da questo Beato Padre hebbe principio la Famiglia degl' Osseruanti, benche fosse molto trauagliata prima, che si potesse difendere dalla Communità della Religione, che voleua viuere non conforme alla Regola, mà à i priuilegi*. Initio autem capitis hęc accidisse narrat sub Ministro Generali Ghe-

rardo, anno 1334 idque confirmat lib. p. partis tertiæ cap. p. D. his lineis. *Hebbe da questo ammirabil Padre*, (ideſt B. Ioanne à Valle) *il ſuo comminciamento la Famiglia della Riforma, e dell' Oſſeruanza: che puoi crebbe tanto, e ſenza fine, à cui non mancarano ne primi tempi trauagli, eſſendo fieramente baleſtrata dalla Communità dell' Ordine, che laſciata la ſtretezza della Regola, haueua eletto di viuere ſecondo i priuilegi conceſſigli da Sommi Pontefici, i quali come pietoſi Padri condeſceſero all' infirmità de figliuoli, che così rigida, e ſeuera vita ſoſtentar non poteuano*, & iterum hoc eueniſſe aperit, ibi anno 1334 initio capitis, ſub Gherardo de Odonis: tunc ſic; de anno 1334. viuebat Communitas Ordinis cum ſuis priuilegijs, non ab vno ſed à pluribus Summis Pontificibus ſumma liberalitate motis ad miſericordiam erga filios, conceſſis, ergo ante Martinum Quintum, qui ferè poſt ſæculum ad Pontificatus apicem ſuffectus eſt, cum anno 1430 tredecim haberet annos ſui Pontificatus, in Ordine Minorum priuilegia circa paupertatem extabant. Aliàs p. 2. Chron. lib. 10. cap. 3. fol. 567, & 568. de Innocentio Quarto Summo Pontifice ſcribit. *Diede autorità al Generale, e Prouinciale d' inſtituire per ſe, ò per altri, Procuratori, i quali poſſino con autorità Apoſtolica, dimandare, e vendere le coſe conceſſe all' Ordine, ò che per tempo ſe li concederanno, e fare di quelle altre coſe ſimili, e che poſſino riuocare tali Procuratori così inſtituiti, e rimetterne altri in luogo loro ogni volta, che vorranno, ò le parerà*, & folio 57. à cap. 5. de Alexandro Quarto. *Conceſſe ancora*, (ideſt tertio anno ſui Pontificatus,) *che i Frati poteſſero diſpenſare nelle coſe incerte con certi modi, e riceuere le coſe laſciate per opere pie. Il ſimile dichiarò de Teſtamenti, concedendoli il medeſimo, che conceſſo haueа delle coſe incerte, e laſciate per opere pie*, & folio 589. cap. 7. de Clemente Quarto. *L' anno primo del ſuo Pontificato conceſſe à i Frati Minori, che poteſſero legitimamente ſuccedere nelli beni delli Parenti loro, pigliarne il poſſeſſo, e conuertirli in ſeruizio loro, come le pareſſe meglio, determinando, e dichiarando di neſſun valore tutte le cenſure, che per occaſione di tali heredità*

foſſero

fossero date. Papa Sisto Quarto dichiarò dipoi, questo non hauer luogo ne Frati Minori d' Osseruanza, mà solamente ne i Conuentuali. Innocentius Quartus rexit Ecclesiam ab anno 1243. vsque ad annum 1254., Alexander Quartus regnauit immediate post, ab anno 1254. vsque ad annum 1261., Clemens Quartus ab anno 1265. vsque ad annum 1268. vixit in Sede Petri; Martinus autem Quintus, vt aliàs dictum est, creatus Pastor Ecclesię Catholicę anno 1417, vsque ad annum 1431 illam fœliciter gubernauit, præcesserant igitur priuilegiorum concessiones paupertatem Minorum mulcentes, antequam Martinus Quintus mitigare valeret eandem.

Sixtus Quartus, quem Ordo Minorum Conuentualium, (vt diximus cap. 2. §. Sixtus Quintus) filium parturiuit, aluit, adolescentem, & virum in Ministrum Generalem habuit, Deus autem ad Pontificiam Coronam voluit assumptũ, anno 1471, de hac priuilegiorum vita ante Martinum Quintum in Minorum Ordine testis est super omnes testes in suis constitutionibus: *Dum fructus vberes, &c.* & *Licet nos dudum, &c.* allatis à Roderico tomo p. vbi de Sixto IV. bulla 2., & 13. In prima siquidem, non omnium primus dat facultatem Minoribus hæreditates adeundi, &c. sed declarat huiusmodi facultatem prodijsse à Martino Quarto, & Quinto, Eugenio Quarto, & alijs Romanis Pontificibus, confirmando etiam priuilegia huiusmodi olim donata à suis Prædecessoribus. Verba Pontificis, quæ mansa, & remansa id ad vnguem dumtaxat aperiunt, ista sunt, initio medio, & fine bullæ exarata. *Dudum siquidem, fælicis recordationis Martinus Papa Quartus Prædecessor noster, cupiens honesta adhibere remedia, quibus dicti Ordinis, pura obseruantia in suo rigore seruaretur, & vt Fratres eiusdem Ordinis, exclusis quibuscumque solicitudinibus, liberius, & quietius, Diuinis vacarent obsequijs, ac offerentium, ac donantium, aut in vltima voluntate relinquentium dicto Ordini, seù illius Fratribus, aliquid, propter Deum, pia intentio non fraudaretur, Romanaque Ecclesia, ad quam rerum omnium mobilium, & immobilium, quibus Fratres ipsi vti possunt, ius, &*

proprietas, & dominium, nullo medio pertinet; & ad quam Fratres ipsi, quoties necessitas ingruebat, vel vtilitas persuadebat, recurrere soliti erant, à cura, & solicitudine prouidendi eorundem Fratrum necessitatibus, releuaretur. Nec non hæredum, & executorum piarum voluntatum defunctorum, etiam negligentijs obuiaretur, ipsique Fratres secundum modos præmissos, & licitos, relictis sibi eleemosinis, gaudere valerent, per quasdam literas suas, Apostolica auctoritate, & de potestatis plenitudine, voluit, statuit, & decreuit, quod speciales personæ, per Generalem, ac Prouinciales Ministros, ac Custodes dicti Ordinis nominandæ, in præmissis, administrationem legitimam, generalem, & liberam, dicta auctoritate gererent, & veri legitimique administratores, æconomi, syndici, & actores essent, ac res ipsas, & eorum pretium, prædictasque eleemosinas, nomine ipsius Romanæ Ecclesiæ reciperent, & in ipsorum Fratrum vtilitates, prout eis liceret ex Regula, vel eius declaratione, sicut, & quando ab ijsdem Generali, & aliquando ex Prouincialibus Ministris, & Custodibus, in Prouincia, vel Custodia sibi decreta, uel ab ijsdem Fratribus, de ipsorum Generalis, seù Prouincialis Ministri, ac Custodis assensu, forent requisiti, conuertere possent, & deberent, cum plena, generali, & libera potestate, petendi, exigendi, recipiendi, alienandi, transigendi, paciscendi, concedendi, promittendi, renunciandi, refutandi, quietationem faciendi, comparendi, agendi, defendendi, ac in animam eorum, de calumnia uitanda, & ueritate dicenda, iurandi, & cuiuslibet alterius generis iuramentum præstandi, cum illis, & contra illos, qui huiusmodi res, mobiles, & immobiles, aut pretium earum, uel relictas eleemosinas Fratribus in testamentis occuparent, uel violenter auferrent, siuè contra voluntatem Fratrum, quomodolibet detinerent, & generalitèr in omnibus causis, pro rebus, & locis huiusmodi, ad ipsam Romanam Ecclesiam spectantibus, ipsorum Fratrum vsui concessis; nec non pro immunitatibus, libertatibus, iuribus, priuilegijs, & indulgentijs eorum, sine cuiuslibet dationis, aut cautionis onere, præfata auctoritate, in indicio, & extra, plenam, & generalem, & liberam potestatem haberent,

rent, &c. Et deindè piæ memoriæ Martinus Papa Quintus, etiam Prædecessor noster per alias literas suas, concessit præfato Generali (donec aliud per Sedem Apostolicam foret ordinatum) facultatem concedendi Procuratoribus domorum, & locorum dicti Ordinis, pro tempore existentibus, vt possessiones, & bona, quæcunque mobilia, & immobilia, ac annuos prouentus, hactenus præfato Ordini, & eius Conuentibus relicta, & inposterum relinquenda, aut aliis nominibus acquisita, vice, & nomine Romanæ Ecclesiæ, recipere, tenere, & possidere, ac ipsorum fructus, redditus, & prouentus petere, & exigere, & percipere, ipsosque in commodum, & vtilitatem ipsorum Fratrum, Conuentuum, & locorum eorundem, & aliàs in vsus eius, quibus relicta, & deputata forent dumtaxat, & de ipsorum Fratrum consilio, requisitione, & assensu conuertere, & exponere possent, & deberent prout in singulis dictorum prædecessorum literis huiusmodi, plenius continetur; cum autem sicut exhibita nobis nuper pro parte dilecti filij Zaneti de Vtino, dicti Ordinis Generalis Ministri, & Theologiæ professoris, petitio continebat, &c. Et à nonullis reuocetur in dubium, an persona per eosdem Generalem, & Prouinciales Ministros, ac Custodes, iuxta literas præfati Martini Quarti Prædecessoris nostri, pro tempore nominata, hæreditates, in quibus domus, seu Fratres dicti Ordinis, aut domorum eorumdem, Ecclesiæ, vel Capellæ, aut Pictura, seu Fabrica instituuntur, vel substituuntur, & quæ ad eos (si capaces forent) aliàs deuoluerentur, petere, consequi, & habere possent, nomine præfata Romana Ecclesia, & bona hæreditatum earundem vendere, & in vsus licitos eorundem Fratrum conuertere valeant, iuxta prædictarum literarum continentiam, fueritque propterea, pro parte dicti Zaneti de Vtino nobis humilitèr supplicatum, vt voluntatem, statutum, decretum, concessiones, ac in illis contenta dicta Prædecessorum, pro illorum subsistentia, firmiore nostræ approbationis munimine roborare, ac aliàs prædictorum Fratrum necessitatibus opportunè prouidere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur præfati Ordinis, qui omnium conditori gratissimus est, &c. Huiusmodi supplicationibus

incli-

inclinati prædictas, & quorumcumque aliorum Romanorum Pontificum etiam Prædecessorum nostrorum, & præsertim, recolendæ memoriæ, Eugenij Papæ Quarti, circa præmissa, dicto Ordini similitèr, concessas literas Apostolicas, & in eis contenta, dicta auctoritate Apostolica, & ex certa scientia, ac de plenitudine potestatis supradicta, præsentium tenore, approbamus, ac robur perpetuæ firmitatis, obtinere, & obseruari debere decernimus, &c. Quodque eadem Romana Ecclesia, & pro ea illius Syndici, iuxta literarum prædictarum, Martini Quarti Prædecessoris nostri præfati, tenorem, pro tempore nominati in substitionibus, relictis, legatis, donationibus, alijsque pijs, & non pijs dispositionibus prædictis, nec non, ex illis, quæ ab intestato, professoribus dicti Ordinis (si capaces forent) deferrentur; hæreditatibus, & bonis, quæ ingredientes Ordinem ipsum, sub conditione mortis eorum siue filijs, restituere grauati sunt; id totum petere, consequi, & habere possint, ac si institutiones, substitutiones, relicta, legata, donationes, aliaque dispositiones huiusmodi, in ipsius Romanæ Ecclesiæ vtilitatem, nominatim emanassent, vel emanarent, &c. Habeantque Syndici circa præmissa, parem, quam idem Martinus Quartus Prædecessor, eos habere voluit, circa, in eisdem literis suis contenta, facultatem, &c. in secunda etiam: *Licet nos dudum, &c.* Testatur, se per alias suas literas, quarundam aliarum Prædecessorum suorum confirmatorias, concessisse, vt generaliter Fratres Ordinis Minorum possint in hæreditate succedere Parentibus, &c. habet enim. *Licet nos dudum, ad importunam nonullorum instantiam concesserimus per certas literas nostras, & quarundam aliarum Prædecessorum nostrorum confirmatorias, vt generaliter Fratres Ordinis Minorum possint in hæreditate succedere Parentibus, & Consanguineis suis, mortuis, & morituris ab intestato, hæreditatemque illorum adire, & tenere, prout in eisdem literis nostris, &c.* Sixtus ergo Minoribus, & pro illis suis, ab ipsis electis Syndicis, facultatem confirmauit hæreditates relictas, & ab intestato obuenientes, &c. adeundi, capiendi, retinendi, vendendi, &c., quam Eugenius Quartus, Martinus Quintus, Martinus Quartus,

tus, & alij Romani Pontifices Prædecessores istis, iisdem Minoribus concesserant, igitur ante Martinum Quintum, ipso Sixto, qui optimè, ac superabundanter callebat priuilegia omnia, & præcipuè mulcentia paupertatem, suæ Religionis, cuius Minister generalis iam dudum extiterat, testante, alij Pontifices, Minorum paupertatem mitem fecerant suis dispensationibus; sed qui Pontifices fuerant hoc modo liberales? indubiè Martinus Quartus, cum quo omnino similia concessisse, testatur Sixtus, Martinum Quintum, imò Martinum Quintum, & Quartum cum omnibus alijs suis Prædecessoribus, qui hanc messem manu benigna messuerunt; imò ipsemet, confirmando suorum Prædecessorum priuilegia Minorum. Quinam autem sint prætacti alij Pontifices ab Eugenio Quarto, Martino Quinto, ac Martino Quarto, iam dictum est supra cum Scriptoribus, & inferius confirmabitur, adducendo ipsorum literas in hoc eodem capite: ex his autem manifestè clarescit Rodericum in summario bullæ. *Dum fructus vberes* inaduertenter errasse, dum scribit. *Approbat literas suorum Prædecessorum, de Procuratore instituendo per Prælatos Ordinis, & concedit Fratres succedere posse, ac si essent in sæculo*; hoc enim Sixtus non concedit, sed confirmat Prædecessorum suorum concessiones; quod videlicet Syndici adire possint, &c. nomine S. Romanæ Ecclesiæ.

Sixto Quarto testis supar additur, nepos ex fratre, Iulius secundus, qui Minorum Habitum induit Conuentualium, & annum probationis Perusij agens, rubeo galero, ac purpura à Patruo donatus est. Is ergo Pontifex bulla quarta allata à Roderico tom. p. bull. (cuius summarium defectuosum est, nedum enim Pontifex concedit Generali, Prouincialibus, & Custodibus respectiue in toto Orbe Prouincijs, ac Custodijs proprijs, posse instituere Syndicos, sed illos ante completum triennium ammouere, ac etiam posse institutos à Superioribus maioribus in casu necessitatis, ab inferioribus deponi, & principaliter prohibet ne isti agant vt Domini, circa bona, quæ administrant, & illos adstringit ad redditionem annuam suæ

admini-

adminiſtrationis, ac villicationis, ſiue ſint Fratrum, ſiue Monialium æconomi) hæc ad noſtrum intentum loquitur ad Reynaldum Gratianum Miniſtrum Generalem: *Exponi nobis nuper feciſti; quod cum in priuilegijs fælicis recordationis Martini Quarti, Eugenij Quarti, & Sixti etiam Quarti, ac forſan aliorum Romanorum Pontificum, Ordini Minorum, ac Domibus, & Fratribus eiuſdem Ordinis conceſſum exiſtat, quod omnium, quorumcumque bonorum immobilium, relictorum, donatorum, ſeù legatorum per Chriſti fideles, eiſdem, ſeù Monialibus Sanctæ Claræ, dominium ſit in diſpoſitione S. Romanæ Eccleſiæ, fructus verò, redditus, & prouentus dictorum bonorum, ſint, pro ſubueniendis neceſſitatibus Fratrum, & Monialium huiuſmodi, reſpectiuè in vſus, & vtilitatem ipſorum, ſeù domorum reparationem, vel alios, ad voluntatem Prælatorum, conuertendi, per probos viros, Laicos, Æconomos, Syndicos, aut Procuratores, &c.* Extant igitur ante Martinum Quintum eadem priuilegia paupertatem Minorum mitigantia, quæ conceſſit Martinus Quintus, Eugenius Quartus, & Sixtus Quartus, conceſſa a Martino Quarto videlicet, qui vt aliàs diximus, multo tempore præceſſit Martinum Quintum, & alijs Summis Pontificibus, de quibus licet apponatur aduerbium forſan, (ſi id non irrepſit mendosè ob voluntariam alicuius additionem, vel errorem Typographi, & hoc mihi haud facile ſuadeo,) id fit, non quia dubitandum ſit, cum Sixtus, in bulla iam reſcripta, abſolutè illos numeret, ſed quia tunc non occurrebant memoriæ, nec vacabat inquirere quinam eſſent, ad conceſſionem gratiæ petitæ, igitur, &c. nomen autem certum illorum Pontificum, qui ſub nomine aliorum continentur, ſicut, & earumdem literarum, mox ſubijciemus, & quod exiſtentiam huiuſmodi priuilegiorum approbet, vt veram, ac realem, non fictitiam Iulius ſecundus, patet ex verbis paulò poſt additis; *& alia facere, prout in dictis priuilegijs plenius continetur*, igitur ante Martinum Quintum exiſtebant priuilegia.

Conuertamur modo ad tabulas, ſeù literas authenticas, & Apoſtolicas ſanctiones ſingulas adducendo cum ſuis auctoribus.

Et

Et quidem, scribit P. de Gubernatis: primus omnium Romanos inter Pontifices, qui Ordini Minorum concesserit Syndicos, citra controuersiam fuit Innocentius Quartus, datis his literis.

INNOCENTIVS EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei. *Dilectis Filijs Generali, & Prouincialibus Ministris Fratrum Minorum, salutem, & Apostolicam benedictionem.*

Quanto studiosius Diuinæ contemplationi vacatis Domino famulando, tanto quieti vestræ libentius prouidemus, ne pedes, quos lauisse videmini, affectu, & effectu omnia relinquendo, cogamini (quod absit) iterum inquinare. Cum enim, sicut lecta à nobis petitio vestra continebat, de rebus omnibus Ordini vestro concessis, vel in posterum concedendis, per vos ipsos, prout exigit frequenter necessitas, iuxta Ordinis vestri instituta disponere nequeatis, nec velitis pro conscientiarum vestrarum puritate seruanda, ne vobis odiosa vagandi tribuatur materia, si oporteat nos propter hoc semper ad Sedem Apostolicam, ad quam rerum ipsarum spectat proprietas, habere recursum: Nos quieti dicti Ordinis, & necessitatibus vestris paterna volentes solicitudine prouidere, præsentium vobis auctoritate concedimus, vt singulis vestrum liceat in Prouincijs eis commissis per se, vel per alios Fratres suos, quibus id duxeritis committendum, constituere aliquos viros idoneos, Deum timentes, qui pro locorum indigentia singulorum, res huiusmodi, tam concessas, quam etiam concedendas, auctoritate nostra liberè petere, vendere, commutare, alienare, tractare, expendere, vel permutare, & in Fratrum vsum conuertere valeant, secundum dispositionem vestram pro necessitatibus, vel commodis Fratrum Ordinis memorati, sicut vobis pro loco, & tempore videbitur expedire, &c. Datum Lugduni 14. Kal. Septembris anno 5.

Hanc bullam adducit P. Vuading. tom. 3. in reg. fol. 164. bulla 54. & ex eo P. citatus de Gubernatis tomo p. Orbis Seraph. lib. 3. cap. 34. fol. 509. num. 5., & horum Scriptorum narrationem præierat Rodericus tom. p. bull. fol. mihi 15. bulla 6., qui tacet postrema verba, ab illis: secundum dispositionem,

sitionem, &c. vsque ad finem, concluditque his alijs. *Quodque nos liceat eosdem viros sic constitutos remouere, aliosque ad illa exequenda sine difficultate qualibet subrogare, quoties videbitur opportunum. Nulli ergo, &c.* Dat. Romæ tertiodecimo Kal. Septembris Pontificatus nostri, anno tertio, discrepans etiam ab illis in anno, loco, & die. Tiaram Pontificiam accepit Innocentius anno Domini 1243., & potitus eadem fuit vsque ad annum 1254, vt parum supra diximus, igitur multo tempore præcessit Martinum Quintum, qui imperare cœpit anno 1417., & Pontificio in subsellio vsque ad 1430. sedit, de his Syndicis paulò inferius erit sermo.

Huic Pontifici suffectus est Alexander Quartus ab anno 1254., ad annum 1261, vt diximus etiam supra, huius tabulæ sunt sequentes; & quidem primam rescribo ex libro Ioannis Baptistæ Confetij, cui titulus. *Priuilegiorum sacrorum Ordinum Fratrum Mendicantium, & non Mendicantium Collectio*, folio mihi nono, vbi de Alexandro Quarto, & Roderico tomo p. bullarij bulla sextadecima Alexandri Quarti fol. mihi 28.

Concedit Fratribus Minoribus, quod de malè acquisitis, & incertis relictis, possint quacumque sibi donantur licitè recipere.

Huic summario concordat Roderici summarium, vtrunque tamen deficit in hoc, quod Pontifex, vltra expressa in his summarijs, concedit Minores posse recipere, quæ ipsis indiuidualiter, & expresè legantur à testatoribus.

ALEXANDER EPISCOPVS, &c. *Generali, & Prouincialibus Ministris, ac Fratribus Ordinis Fratrum Minorum: Fælicis recordationis. N. (idest Innocentius, scribit Rodericus) Papa Prædecessor noster, & nos post modum ad instar ipsius, dilectis filijs Magistro, & Fratribus Militiæ Templi Hierosolymitani, pro exoneratione debitorum, quibus teneri dicuntur, vt de vsuris, rapinis, & aliàs quocunque modo illicitè acquisitis, quæ Christi fideles mandant restitui in vltima voluntate, vel dum viuunt, etiam si sospitate fruuntur restituere sunt parati, & quibus ipsorum restitutio fieri debeat omnino inuenire non possunt;*

sunt; nec non de legatis indistinctè in pios vsus relictis, non expressis locis aliquibus, vel personis vsque ad decem m l'ia Marcarum argenti, vbique locorum extra Regnum Alemaniæ recipere valeant, per Apostolicas, sub certa forma, literas, dicimur concessisse, diuersis super de hoc eis executoribus deputatis. Verum, quia, sicut intelleximus, dicti Magistri, & Fratres, super præmissis, quæ siuè vobis, siuè dispositioni, vel ordinationi alicuius, vel aliquorum ex vobis quomodolibet relinquuntur, seù, si executores decedentium de talibus eorum dispositioni relictis, vobis velint aliqua elargiri, vos, occasione concessionis huiusmodi, inquietant multipliciter, & molestant: Nos; & volentes paci, & tranquillitati vestræ paterna super hoc solicitudine prouidere, vobis vniuersis, & singulis, ut per tales literas prædictis Magistro, & Fratribus ab Apostolica Sede concessas, nullum uobis, uestroque Ordini præiudicium generetur, quin eisdem literis nequaquam obstantibus, ea quæ de præmissis uobis, & ipsi Ordini relinquuntur, & ab executoribus decedentium exhibentur, recipere, ac de ijs, quæ uestræ committuntur dispositioni, ordinare, ac disponere liberè ualeatis, auctoritate præsentium indulgemus, prædictis Magistro, & Fratribus, ac etiam executoribus eorumdem in uirtute obedientiæ districtius inhibentes, ne uos, uel uestrum aliquos, prædictarum literarum prætextu molestare, contra huiusmodi tenorem inquietare, seù quomodolibet perturbare præsumant: Nos enim nihilominus, omnes excommunicationis, suspensionis, interdictique sententias, quas per eosdem executores in uestros, uel uestrum aliquem occasione huius promulgari contigerit, decernimus irritas, & inanes. Nulli ergo, &c Dat. Viterbij Kal. Nouembris, Pontificatus nostri anno tertio.

In hac constitutione lata 1257. qui fuit annus tertius Pontificatus Alexandri Quarti; & D. Bonauenturæ Generalatus secundus, ex his quæ capite præcedenti notauimus §. Placuit hoc breue, fine, Pontifex concedit Minoribus posse recipere legata ipsis singulariter relicta, & pecuniam ab executoribus vltimarum voluntatum tam in male ablatis, quam in legatis pijs sine nominatione personarum, quibus sint distribuenda:

ibi.

ibi: *Quin eisdem literis nequaquam obstantibus, ea qua de pramissis, nobis, & ipsi Ordini relinquuntur, & ab executoribus decedentium exhibentur, recipere, ac de ijs, qua uestra committuntur dispositioni, ordinare, at disponere liberè ualeatis, auctoritate prasentium indulgemus*; & tamen in Regula S. Patris Francisci cap. 4. mandatur. *Pracipio firmitèr Fratribus uniuersis, ut nullo modo denarios, uel pecuniam recipiant per se, uel per interpositam personam*, & in calce: *eo semper saluo, ut (sicut dictum est) denarios, uel pecuniam non recipiant*. Igitur Alexander leniuit hoc præceptum suo diplomate, concedendo Minoribus facultatem recipiendi pecuniam, & legata.

Aliud breue eiusdem Pontificis, quod in Conuentu Sancti Francisci Minorum Conuentualium ab anno 1259., qui fuit annus quintus præfati Summi Pastoris, vsque ad annum currentem 1687., Arimini custoditum, ac seruatum reperi, in quo ratam habet concessionem factam ab Abbate, & Conuentu Monasterij Pomposianensis Ordinis Sancti Benedicti (Religio hæc beneuolentissima fuit Minoribus, ipsa siquidem, primam etiam Ecclesiam, qua potitus est Ordo Minorum Sospite adhuc S. Patre Francisco, quæ fuit Sanctæ Mariæ Angelorum penes Assisium, liberaliter concessit, renuentibus alijs Ecclesiam elargiri, ac locellum, flagitante eodem S. Patre, vt in Chron. Vlysip. p. p. lib. p. cap. 15. Vuading. & alijs,) Ecclesiæ S. Mariæ in Triuio nuncupatæ, ac domus, & horti eidem annexis, soluto pretio pro his, donata Ecclesia liberali munificentia, subdo: audiatur diploma, quod omnibus, si libebit, ostendere parati erunt eiusdem cœnobij Patres.

ALEXANDER EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei.

Dilectis Filijs Ministro, & Conuentui Fratrum de Ordine Minorum Ariminensium. Salutem, & Apostolicam Benedictionem. Solet annuere Sedes Apostolica pijs uotis, & honestis petentium precibus fauorem beneuolum impertiri. Exhibita siquidem nobis uestra petitio continebat, quod cum nos dilectis filijs, Abbati, & Conuentui Monasterij Pomposianensis Ordinis Sancti Benedicti Comaclensis Diœcesis olim per nostras literas preces direxerimus, & man-

& mandata, ut Ecclesiam Sanctæ Mariæ in Triuio Ariminen. spectantem ad dictum Monasterium, cum domo, & horto ipsius Ecclesiæ iuxta eam positis, nobis concederent; ijdem Abbas, & Conuentus, dictam Ecclesiam iuxta tenorem literarum ipsarum liberalitèr, atque gratis, domos uerò, & hortum prædictos, uobis pro certa summa pecuniæ, diligenti deliberatione præhabita, concesserunt, prout in publico Instrumento confecto exindè plenius dicitur contineri. Nos itaque uestris supplicationibus inclinati, quod ab eisdem Abbate, & Conuentu in hac parte prouidè factum est, ratum, & firmum habentes; id auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, &c. Dat. Anagniæ duodecimo Kal. Octobris Pontificatus nostri anno quinto.

His in literis Pontifex nedum non repræhendit, sed approbat, ac confirmat deliberationem præhabitam de certa summa pecuniæ tradenda pro emptione domus, & horti vendendi ab Abbate, & Conuentu Pomposæ Fratribus Minoribus Ariminensibus, ratumque habet editum instrumentum de hac venditione, ac emptione, & de soluta à Minoribus pecunia Patribus S. Benedicti; igitur à tempore huius Pontificis mitigatus erat rigor Minoriticæ paupertatis, sicque breue hoc consequitur indulgentiam prioris, & exercitum priuilegium in eo contentum, roborat, & confirmat.

Sed quia, qui quærit, inuenit, vt ait Seruator humani generis d. Matt. 7. 8. allectus desiderio in vetustis Religionis monimentis curiosum, ac vtile aliquid inuenire, antiqua Cœnobij Ariminensis seruata scripta, reuoluens, alteram Alexandri Quarti constitutionem reperi anteriorem prioribus exaratis, latam anno primo sui Pontificatus, qui fuit nostræ redemptionis 1254., in qua Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, &c. præcipit, ne deinceps præsumant extorquere, ac exigere aliquid omninò, sicut antea, de relictis Fratribus Minoribus pro ædificijs, domibus, Ecclesijs, ac eorum necessitatibus: est autem fidele transumatum ex originali, vt patet ex subsi-

gnationibus, & subscriptionibus, & hoc est, quod subijcio.

ALEXANDER EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei. *Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, & Episcopis, & dilectis filijs Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Decanis, Archidiaconis, Rectoribus, & alijs Ecclesiæ Prælatis, per Lombardiam, & Romandiolam constitutis, ad quos literæ istæ peruenerint. Salutem, & Apostolicam benedictionem. De pia, & Sancta conuersatione dilectorum filiorum Fratrum de Ordine Minorum, qui sunt in vestris partibus constituti, frequentèr euenire percepimus, quod quando aliqui fideles partium earumdem, sæculum relinquentes bona sua prædictis locis, & pauperibus deputata, aliqua de bonis ipsis prædictis Fratribus pro ædificijs .... & alijs eorum necessitatibus largiuntur. Nonulli verò aliqua bona ad se spectantia Fratribus eisdem pro similibus rebus, & necessitatibus, diuinæ retributionis intuitu in vltima voluntate relinquunt, conantibus vobis aliquando mediam, quandoque tertiam, seù quartam partem de bonis ipsis prætextu portionis canonicæ ab ijsdem Fratribus extorquere, in graue ipsorum præiudicium, & scandalum fidelium .... Nos itaque misericorcorditèr attendentes, quod non solum indecens, & indignum, imò est penitus ab omni humanitate remotum, aliquid de præmissis ab eisdem Fratribus exigi .... sub extrem... paupertas.... prælatorum, & Ecclesiarum eleemosinis deberent potius sustentari, ac etiam uolentes, quod nihil ab eis occasione prædictæ canonicæ portionis de his, vlterius auferatur, vniuersitatem vestram per Dei misericordiam obsecramus, & in remissionem vobis iniungimus peccatorum, ac per Apostolica scripta districtè præcipiendo mandamus, quatenus circa personas dictorum Fratrum affectum beneuolum pro diuina, & nostra reuerentia dirigentes, nihil ab eis de bonis huiusmodi vlterius exigatis, sed onera paupertatis eorum de bonorum vestrorum subsidijs potius releuetis. Itaquod exindè apud nos gratiosi fauoris augmentum vobis proueniat, & nulla super hoc coactionis necessitas intercedat. Dat. Laterani 11. Kal. Decembris Pontificatus nostri anno primo.*

Ego

Ego Benius Imperialis aulæ iudex authenticum, à quo iſtud ſumptum eſt, vidi, & legi, & publicari iuſſi, & ego ſubſcripſi.

Et ego Michael Notarius, filius Bartolini Notarij, viſo, & auſcultato hoc exemplo cum originario concordante, me ſubſcripſi, mandato ſupradicti Iudicis.

Et ego Salimbene, filius quondam Tornambene Imperiali auctoritate, & Arimini Notarius, viſo, & auſcultato hoc exemplo cum originario concordante, me ſubſcripſi, mandato ſupradicti Iudicis.

Et ego Nicolaus, quondam Iacobi Notarius Imperiali auctoritate, & Arimini Notarius, hoc priuilegium exemplaui, prout inueni in originario bullato ſigillo Domini Papæ, & mandato ſupradicti Iudicis ſubſcripſi, & publicaui.

In his literis latis ad fauorem Minorum commorantium in partibus Lombardiæ, & Romandiolæ contra Archiepiſcopos, Epiſcopos, &c. vt patet ex illis verbis: conantibus vobis, aliquando mediam, &c. anno primo Pontificatus Alexandri Quarti, qui fuit annus ſalutis, vt diximus 1254, & Religionis quadrageſimus ſextus, Miniſterio totius Ordinis tenente B. Ioanne Parmenſi, meditanda ſunt illa verba præcipuè. *Nonulli verò aliqua bona ad ſe ſpectantia Fratribus eiſdem pro ſimilibus rebus, & neceſſitatibus diuinæ retributionis intuitu in vltima voluntate relinquunt*; ex ipſis enim manifeſte clareſcit tunc temporis Fratres Minores factos capaces fuiſſe bonorum in vltimis teſtamentis à fidelibus relictorum, tam pro Eccleſijs eorum, quam pro domibus, & Conuentibus, & tandem pro alijs eorum neceſſitatibus, hoc autem cum illis prohibitum ſit à Regula, conficitur fuiſſe in hoc diſpenſatos, imò hunc Pontificem facto ſuo prohibendo, ne ex relictis portionem canonicam vllus extorqueret, & exigeret, diſpenſaſſe nouiter, quod, & poſtea præſtitit, vt vidimus.

Quod etiam multa, ac ſolerti animaduerſione dignum in his Alexandri conſtitutionibus, ac literis iudico, eſt, nec vſum Syndicorum peti, & pręcipi, nec limitationem vllam haberi ad neceſſitates imminentes, vel proximas, & pręſentes,

seù ad res, quibus vti necesse est propter victum, vestitum, ac habitationem; extenditur enim facultas etiam ad pecunias, & ad legata indifferenter, &c. quod totum negari nequit dispensationem esse in voto paupertatis, vt paulò post videbitur agendo de Syndicis.

Non post multos annos subsecutus est Alexandrum, Vrbano Quarto dumtaxat intermedio, Clemens Quartus concessus à Deo suæ Sponsæ anno 1265. nondum fluxerat integer annus suæ creationis, exoratus à Magistro, & Ministro Generalibus, Prædicatorum, ac Minorum, hoc breue illis vnà simul concessit.

CLEMENS EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei.

Dilectis filijs Magistro, & Fratribus Ordinis Prædicatorum, nec non Ministro Generali Ordinis Fratrum Minorum, Salutem, & Apostolicam benedictionem.

Obtentu Diuini nominis, cuius cultui sub sacra vestræ Religionis Obseruantia studetis mente deuotissima deseruire, votis vestris libentèr annuimus, & petitiones vestras in his quæ dignè deposcitis fauorabilitèr exaudimus. Ex parte siquidem vestra fuit propositum coram nobis, quod nonulli Prælati, Clerici, & Laici in diuersis Mundi partibus constituti asserentes vos Mundo fore mortuos: nec valentes proprium possidere, vos occasione huiusmodi à quibuslibet successionibus excludere moliuntur. Quare pro parte vestra fuit nobis humilitèr supplicatum, vt ne contingat vos proptèr huiusmodi præsumptionem talium aliquod incurrere nocumentum, congruum remedium adhibere paterna diligentia curaremus. Nos itaque vestris petitionibus benignius attendentes, auctoritate Apostolica declaramus, quod uos in temporalibus bonis, in quibus succederetis in sæculo existentes, licitè possitis succedere, bonorum ipsorum possessionem apprahendere, ac vendere liberè bona ipsa, eorumque pretium in vtilitatem uestram conuertere, prout uobis melius uidebitur expedire. Vniuersas autem interdicti, suspensionis, & excommunicationis sententias, quas contra præsentes declarationis tenorem per quemcumque fieri contingerit, decernimus irritas, & inanes.

Nulli

Nulli ergo, &c. Dat. Perusij 2. Idus Februarij, Pontificatus nostri anno primo.

Consonat huic constitutioni, altera, quam paucis post mensibus edidit idem Pontifex, & nos rescripsimus cap. 3. §. probatur septimo, in qua dat facultatem Syndicis Prouinciæ S. Francisci, omnia mobilia, & immobilia recipiendi, petendi in iudicio, defendendi, &c. administrandi, donandi, vendendi, &c., quæ ad Fratres ipsos vsque ad illud tempus pertinebant, & in futurum erant obuentura; constat autem in his literis manifesta dispensatio rigorosæ paupertatis Minoriticæ, igitur, ante Martinum Quintum, qui ab anno 1417. ad annum 1430. Ecclesiam Catholicam rexit, ac sanctissime gubernauit, priuilegia vigebant in Ordine Minorum, quorum, quia non erant capaces Patres, quicunque sint de Obseruantia, vel tunc non erant, vti fatendum est, dictum est, & probabitur latius in proprio capite inferius, pro Conuentualibus dumtaxat fuerunt edita; quod firmatur testimonio Ioannis Baptistæ Consetij folio decimo tertio Priuilegiorum Mendicantium, quo ex loco rescriptum est primum breue; aduertens enim hanc veritatem, summarium hoc eidem breui inscripsit. *Concedit Fratribus Minoribus Conuentualibus posse in bonis succedere, ac si essent in saculo, & de eis disponere.*

Hoc idem breue affertur à Vuadingo tomo 2. annal. ad annum 1265. Pontif. Clement. IV. anno primo bulla prima in Regesto. ex speculo Minorum tract. 2. de quo etiam supradicti Scriptores à principio capitis huius à nobis allati fidem indubiam, ac plenam faciunt: quibus tamen non obstantibus P. Fortunatus num. 150., & 151. negat præfatam bullam editam pro Minoribus fuisse, sed pro Patribus Prædicatoribus solummodo emanasse scribit.

Eiusdem Patris motiua negandi hæc sunt. Primò. Impossibile est D. Bonauenturam, qui fuit acerrimus propugnator paupertatis, nec admisit Innocentij Quarti declarationem editam super Regulam, eiusdem postea paupertatis petijsse, & obtinuisse dispensationem; Secundò. Quia, nec

Clemens Quintus in Concilio Viennensi, quando ad ipsum delatę sunt discordię inter Minores exortę propter innobseruantiam paupertatis, Communitate Ordinis ex vna parte se defendente, oppugnantibus ex altera Zelatoribus, huius priuilegij meminit in sua decretali: *Exiui de Paradiso*, cum mentionem habeat de alijs, vt Nicolaij Tertij; neque tunc Communitas Ordinis se defendit hoc priuilegio, satis opportuno loco, & tempore; quod nec præstitit anno 1430., quando conuocato Capitulo Assisiensi de mandato Martini V. agebatur de vnione peragenda inter Conuentuales, & Obseruantes, & de eliminandis abusibus præcipuè contra paupertatem, similiter, nec Martinus Quartus in sua constitutione *Exultantes*, nec Sixtus Quartus in altera. *Dum vberes*: illius Clementinæ meminerunt; & quod plus est; Nicolaus Tertius, anno 1277. ad Petri Cathedram euectus diu post Innocentium IV, & Clementem IV. rigorosissimam edidit in Regula Minorum expositionem. *Exijt, qui seminat, &c.* in qua, vel minimos abusus altè castigans, etiam necessitatis terminos in recipiendis eleemosinis obseruari mandauit, nec tamen illius Clementini priuilegij vnicum verbum facit. Tertiò. Quia solent Pontifices posteriores in suis concessionibus Antecessorum suorum similia in exemplum adducere indulta, vt eo magis rationabiliter operari dignoscatur, cum igitur Pontifices posteriores Clemente Quarto, prememorati indulti, nec verbum inferant in suis literis, signum est non fuisse latum. Quartò. Monumenta de prædicto priuilegio meminisse non constat, nec in Ordine Minorum vllibi reperitur nominatum, Religio autem Patrum Predicatorum nunquam illud dissimulauit, & Rodericus solertissimus indagator iurium Regularium, & maximè pro sua Religione tom. 3. q. q. regul. q. 30. art. 4. refert Sixtum Quartum, & alios Pontifices dispensasse Minores, huius autem Pontificis non meminit, quinimò, vt aduertit Vuading. tom. 2. anno 1265. in regest. bulla prima Clementis Quarti, Rodericus describens in suo bullario hanc concessionem, ipsam pro solis Dominicanis, omissa additione pro

ne pro Ministro Generali Ordinis Minorum, inscribit, igitur, &c. hæc omnia Aduersarius à numero 150. ad 166. ad prosternendas præfatas literas Clementis Quarti,& ad eliminanda priuilegia Minorum in voto paupertatis ante Martinum V. maximo ardore profert, & obijcit.

Sed singulis singula reddendo responsa, incipiamus à S. Doctore Bonauentura; & quidem certum est S. Bonauenturam fortiter pugnasse pro destruendis in Religione sua abusibus, qui iam dudum irrepserant, qua de causa videns B. Ioannes Parmensis illos oppugnare, & eradicare non posse, cessit post annos octo sui gubernij defecati Generali Præfecturæ Romæ coram Alexandro Quarto, qui rogatus à Fratribus, cui post ipsum onus Religionis esset imponendnm, eorum postulationibus annuendo, non alium indicauit præponendum, ac assumendum, quam D. Bonauenturam, quem, & sanctitate, prudentia, ac literis nouerat cæteris eminentiorem, & in gradu heroico pollentem (tarde tamen B. Ioannes suffectus est gubernio, testante id Beato Egidio D. Patris Francisci socio, vt refert Rodulph. lib. 2. histor. folio 179. *Opportune quidem, sed tarde aduenisti mi Pater)* Vnde de eodem Sancto, ac Seraphico Doctore legimus in eius vita. *Hic vir Sanctus* (quarta die infra octauam festiuitatis eius) *accingens se grauioribus actionibus, cum iam Religiosi cœpissent à Fundatoris disciplina paululum declinare, vbi monendo, instando, castigando, ac operosius laborando, ad meliorem vitæ frugem reduxit*; & in bulla Leonis X., sæpius citata: *Ite vos in vineam*, initio. *His successerunt viri Religiosi, qui duce B. Bonauentura muros huius vineæ, iam vtique ruinam minantes, hora tertia, Trinitatis Sanctæ virtute, & adiutorio, reparauerunt*. Quia tamen ipsi quoque quadrat dictum B. Ægidij. Tarde, licet opportunè, aduenisti mi Pater; factum est, vt non potuerit radices malorum ita conuellere,vt matrix,ac seminarium eorum extirpata fuerint, adeo enim hæc delitescunt, vt dato tempore reuiuiscant, ac pessimos edant de die in diem fructus. Censuit ergo Sanctus vir opportunius, pro salute animarum aliud

adhibere remedium, & implorata Sedis Apostolicæ auctoritate, diploma obtinere vna simul cum Magistro Generali Patrum Prædicatorum, vt possent deinceps succedere in hæreditatibus Parentum ab intestato decedentium, illasque apprehendere, ac vendere, & eorum pretium in vsus necessarios conuertere. Annuit Pontifex, cui plurimum displicebat Fratres Minores intentos esse circa testamenta decedentium sæcularium, & eorum sepulturas; vnde D. Bonauenturæ imperauerat, vt commoneret Fratres de præcauendis huiusmodi piaculis: refert id S. Doctor in Epistola, quam scripsit Ministro Iaucelis Prouinciæ, quæ inserta est in eius opusculis. *Sed, & sepulturarum, ac testamentorum litigiosa, & auida quædam inuasio, cum exclusione illorum, ad quos animarum cura spectare dignoscitur, non modicum nos clero toti fecit exosos: sicut experientia docente percepimus, & ipse Sanctissimus Pater Pontifex Summus Dominus Clemens, Fratres omnes ad cauendum huiusmodi, pia prouidentia per me voluit commonere*, scribit ibi S. Generalis; concedendo enim successionem ab intestato, iudicauit faciliter obtundi posse auiditatem in lucrando testantium bona, ac in eorum funeribus fenerationem, reducendo illos ad medium.

Quod autem D. Bonauentura resistente Diabolo non potuerit per multos annos sui moderaminis extirpare abusus in sua Religione, constat ex hoc, quod cum electus fuerit Generalis anno 1256., anno 1260. adhuc vigebat inobseruantia, coactus proinde hac de causa in Capitulo generali Narbonæ celebrato inter alia decreta, hoc etiam statuere. *Neminem ex Fratribus posse bonorum possessores hortari, vel inducere, vt aut testamento, vel donatione, annuas eleemosinas pro ipsorum substentatione relinquerent, neque huiusmodi legata liberè patrata posse apud Iudices petere*. Aduertens tandem omnia extirpare, ac eradicare, non posse, satius iudicauit dispensationem obtinere, ne animæ sibi commissæ, pusillorum videlicet, non valentium onus Religionis subire, ac iugiter ferre, desperando perirent. Qua etiam methodo vtuntur suo modo

Phisici

Physici cum infirmis, multa illis indulgendo, quæ aliàs non decerent,& ne fine medicamine finant ad læthum properare; ità rectè iudicauit S. Doctor cum languentibus suis Fratribus operari, indulgendo eorum pusillitati, ne austeritate territi desperarent, & tandem perirent. Iuuat hoc assertum, quia ipso etiam Ordinem regente,idem Clemens alias literas memoratas benignè concessit de Syndico satis amplas, magisque paupertatem lenientes, quam prædictum breue, vt benè reflectenti, ac non distortè iudicanti, patere potest; & quidem si admittuntur hæ posteriores literæ à Patribus Obseruantibus, & præcipuè à Patre de Gubernatis ex Vuadingo, vt innuimus cap. 3. vbi de hoc diplomate, & à nullo auctore negantur, causam edisserant exposco, cur negent primas minus amplas, nam si de quo minus conceditur, igitur, & de quo magis; & quidem plura, & laxiora concedi in secundo breui, quam in primo videbitur etiam inferius agendo de Syndico. Ex altera parte Clemens Quartus callens errores Fratrum circa paupertatem, nec durus, nec austerus esse voluit circa dispensationem, sed ne in laqueum desperationis properarent,ad Sancti viri petitionem benignè cessit, & votis eius annuit vtrasque literas concedendo. Ex his vrgeri potest in Aduersarium pro validitate, & certitudine præfatæ constitutionis; *Obtentu:* Patres Vuadingus, & de Gubernatis (& cum hoc stare debet P. Lector,quia conterraneus, consodalis, discipulus, sospitator eius doctrinæ, & fidus Latero) sunt propugnatores secundarum literarum Clementis Quarti de Syndicis Perusinis pro Prouincia S. P. Francisci, in quibus maxima continetur dispensatio paupertatis, imò latior, & amplior, quam habeatur in primis literis: *Obtentu*, vt inferius ostendemus, agendo de Syndico, ergo oppugnare nequeunt primas literas minus longè dispensatiuas paupertatis; non enim alia de causa illas negare valet P. Lector, saltem primaria, nisi quia est voti paupertatis dispensatiua, vt inquit, plus quam reliquæ attemperantes paupertatem; & quidem Vuadingus admittit, vt vidimus, igitur, & illas propugnare tenetur

netur

netur aduerſarius. S. Doctor igitur, & fuit paupertatis defenſor, & ne totaliter periret eius ardoris vim, ſtuduit temperare, ſic quoque illam propugnando, vt ſtaret; ſenſim tamen adhuc declinabat, vt non poſt multum clamores paupertatis aſſeclarum rigoroſæ, penetrauerint D. Clementis Quinti conſpectum in Concilio Viennenſi, vt legitur in eius conſtitutione. *Exiui de Paradiſo*; qua etiam de cauſa concluditur non potuiſſe Religionem vniuerſam ad priſtinæ ſanctitatis decorem reuocare, & languentem paupertatis florem ab æſtu inceſſus delicatorum, priſco donare colore, ac originario odori reſtituere, oppoſitum licet afferat Pater de Gubernatis aliàs citatus cap. p. §. primo conficitur; nam, & Cæſarenorum prima Ordinis reformatio, quæ de anno 1236. incœperat, antequam Seraphicus Doctor Ordinem moderaretur annis poſt eius obitum, qui anno 1274. euenit, vigintiquinque durauit: pallebat igitur paupertatis decor tunc temporis etiam.

Ad ſecundum motiuum, quod poſteriores Pontifices verba non fecerint de illis Clementinis literis: *Obtentu*. Primò reſpondetur ab auctoritate negatiue nihil concludi. Secundò non teneri poſteriores Pontifices prædeceſſorum literas commemorare, etenim in caſu noſtro, nec recenſent literas Innocentij Quarti, nec Clementis eiuſdem de Syndico, quas nemo Scriptorum vnquam oppugnauit, verum propugnarunt, & præcipue P. de Gubernatis, vt ſuperius oſtenſum eſt, adducendo ex ipſius ſcriptis eaſdem literas. Tertiò falſum eſt Communitatem in Concilio Viennenſi coram Clemente V. non ſe defendiſſe priuilegijs; Siquidem, vt legitur in citata decretali, poſt medium, enumeratis omnibus, *quæ fieri dicebantur in Ordine, & videbantur prædicto voto, & puritati Ordinis repugnare*, (ibidem vt dicitur.) *Tamen Communitas Fratrum, & ſpecialitèr Rectores ipſius Ordinis aſſerebant, quod prædicta, ſeù plura ex ipſis in Ordine non fiebant*; dum dicitur: *plura ex ipſis in Ordine non fiebant*; aliqua igitur fiebant, ſed non niſi munimine priuilegiorum allatorum; de ijs verò, quę ſine huiuſmodi ſubſtentaculo patrabantur; ſubditur ibi à Rectoribus:

ctoribus: *Quod & si qui reperiuntur rei in talibus rigidè puniuntur: nec non contra talia, ne fiant, sunt facta pluries ab antiquo statuta in Ordine multum stricta.* Falsum est autem Clementem Quintum in eadem constitutione asseruisse vsque ad illud tempus nullam extitisse Apostolicam dispensationem super Regulæ rigores, vt contendit aduersarius num. 147.; etenim verba, quæ ab eodem Pontifice, post allata, subijciuntur, videlicet: *Cumque annui redditus intra immobilia censeantur à iure, ac huiusmodi redditus obtinere paupertati, ac mendicitati repugnet; nulla dubitatio est, quod prædictis Fratribus redditus quoscunque, sicut, & possessiones, vel eorum etiam vsum, cum eis non reperiatur concessus, recipere, vel habere (conditione considerata ipsorum) non licet amplius: cum non solum quod malum esse dignoscitur, sed, & omne quod speciem habet mali sit à viris perfectis specialitèr vitandum:* vniuersaliter non excludunt priuilegia, sed dumtaxat circa redditus, possessiones, & earum vsus; si enim omne, & quodcumque negarent priuilegium, quomodo starent literæ Innocentij Quarti, & Clementis Quarti superius allatæ, & à Patre de Gubernatis, ab aduersario propugnato, ac in omnibus defenso, vt reales, ac legitime rescriptæ in suo Orbe Seraphico? nec veritatis odorem halarent aliæ Nicolai Quarti inferius rescribendæ ex de Gubernatis tom. p. cit. lib. 3. cap. 34. folio 512. num. 13., ab eodem à Vuadingo reassumptæ tomo 2. folio 198. bulla 50. attenta item animaduersione veniunt consideranda verba illa, quæ initio eiusdem Clementinæ proponuntur: integer periodus hic est. *Horum autem pijs, ac iustis supplicationibus, plures prædecessores nostri Romani Pontifices successiuè, (sicut dignum erat) applicantes aures, & animum: declarauerunt ea, quæ dubia videbantur, ediderunt nonulla, & aliqua concesserunt, sicut expedire videbant Fratrum conscientijs, ac puræ Obseruantiæ status:* non sunt lineæ hæ paucæ perfunctoriè, ac volantibus oculis inspiciendæ, sed serio, & ex animo, conceptus, non earum cortex, ponderandi, ac mandendi, vt enutriant efficacius, ac salubrius. Tria patrata à prædecessoribus

ribus

ribus suis Clemens affirmat pro Minoribus, videlicet. Primum. *Declarauerunt ea, quæ dubia videbantur*. 2. *Ediderunt nonulla*. 3. *Et aliqua concesserunt, sicut expedire videbant Fratrum conscientijs, ac puræ Obseruantiæ status*, dum dicitur: *declarauerunt ea, quæ dubia videbantur*, hoc spectat ad intelligentiam perfectam Regulæ, quæ dum abest, haud difficile est errare, dum adest, securitati consulitur in operando, & per hoc dicitur post; *sicut expedire videbant puræ Obseruantiæ statui*, dum dicitur etiam *ediderunt nonulla*, hoc attinet ad prohibitionem eorum, quæ non choerent puræ Obseruantiæ Regulæ; dum tandem additur, *& aliqua concesserunt, sicut expedire videbant Fratrum conscientijs*, hoc appellat priuilegia edita pro illis, quibus non erat animus rigorem Regulæ in omnibus ferre, & ex his patet Pontificem hic locutum de Minoribus tam sequentibus priuilegia, quam puritati, ac rigori Regulæ incumbentibus; de quibus, quia discreti erant à Communitate Fratrum, quæ sequebatur priuilegia (vnde post medium ibi legitur, vt diximus paulò superius: *Tamen Communitas Fratrum, & specialitèr Rectores ipsius Ordinis asserebant, quod prædicta, seù plura ex ipsis in Ordine non fiunt*; dicitur plura, quia aliqua iuxta priuilegia à Communitate Fratrum fiebant) dicitur §. *Cumque annui redditus: Nulla dubitatio est, quod prædictis Fratribus redditus quoscumque: sicut, & possessiones, vel eorum etiam vsum, cum eis non reperiatur concessus, recipere, vel habere (conditione considerata ipsorum) non licet amplius*: dum dicitur: *amplius*, excluditur ab ipsis facultas priuilegijs vtendi, quod licebat eis, quando non se discreuerant à Communitate, & quare? subdit Pontifex: *Cum non solum, quod malum esse dignoscitur, sed, & omne quod speciem habet mali sit à viris perfectis specialitèr uitandum*: quibus Pontifex manifestè ostendit se loqui de illis, qui coram ipso profitebantur se velle ad plenum Regulam obseruare; suntq; illi, qui ftiterant se contra Rectores Ordinis, & Communitatem, opponentes illis, quæ illis displicebant fieri in Religione. Ex quibus conficitur, quod prohibitiones in eadem Clementina

mentina factæ contra priuilegia, totæ, & totaliter latæ fuerunt pro Patribus de Obseruantia, qui, paucis annis elapsis, initium dederant reformationi duce B. Paulucio, & tertio, vel quarto post anno, non contenti decretalis huius intra Ordinem, & Communitatem, esse obseruatores sub Ministris Religionis, petierunt à Concilio Constantiensi, vt sæpius dictum est supra, præcipuè cap. p., proprios Rectores, ac Vicarios, & petitioni eorum inclinatum est; vnde euidenter etiam constat Eminentissimum de Laurea, ac Rodericum, à nobis initio huius capitis citatos, recte fuisse locutos, dum asseruerunt, declarationem Regulæ in Constitutionibus Nicolai Tertij *Exijt*, & Clementis V. *Exiui*, *&c.*, cum prohibitionibus priuilegiorum, editam fuisse pro sequentibus rigorem Regulæ, non pro Conuentualibus; & re vera Clemens V. ligauit Obseruantes, qui tunc existebant, & ad ipsum confugerant contra Ordinis Communitatem, falsum item esse, ex præhabito discursu, accipimus: Communitatem Ordinis non se defendisse priuilegio Clementino, sed hoc, & alijs restitit aduersarijs, nec ablata sunt à Clemente Quinto pro ipsa Communitate, sed extincta pro Obseruantibus. Anno item 1430 quando consultatio facta est de vnione Conuentualium, & Obseruantium, præcipuè tractatum est de destructione priuilegiorum, quia horum de causa facta fuerat inter ipsos separatio, non enim Communitas munita priuilegijs subdere se volebat rigoribus paupertatis, quibus tenebantur Obseruantes, iuxta sancita in decretis *Exijt*, & *Exiui*; vt igitur tolleretur separatio, & vnio constitueretur, actum est primò, & principaliter de priuilegiorum eliminatione, & recto Ordine, quia sicut affirmatio est causa affirmationis, ita negatio est causa negationis in causis præcisis teste Aristotele p. de interp. c. 5., & causa præcisa separationis erat existentia priuilegiorum, negatio igitur priuilegiorum erat causa vnionis, seu negationis separationis. Præs meus erit P. de Gubernatis tomo primo sui Orbis lib. 3. folio 178. num. 2. §. 32., vbi hæc de Gulielmo Casalensi Ministro Generali Ordinis recenset.

Annis

Annis fermè tredecim Ordinem summa cum laude gubernauit, Obseruantiæ Regulari magnis fauoribus semper propitius, & ab Obseruantibus vicissim impensè dilectus, donec aliquantum mutatus, suorum in Ordinis Communitate priuilegia iam abdicata, noluit recuperare, imò, & augere, & num. 3. sequenti. *Vt enim, & Fratrum de Ordinis Communitate, & Obseruantium per Constitutiones Martinianas, abdicatis priuilegijs maximè in facto paupertatis, & in cæteris relaxationis inita vnio firmius conseruaretur, Fratres vtriusque partis prauio iuramento constitutionum illarum promiserant Obseruantiam*; extabant igitur in Ordine ante Martinum Quintum, eiusque constitutiones, priuilegia eorumque constantia fuerat voluntaria causa Obseruantibus segregandi se ab Ordinis Communitate, & eorum extinctio fuit causa nouæ vnionis; vt quæ benè succederet, prius actum est de illorum abdicatione, qua secuta, vt robustius staret, ac in Religione perennaret, iuramento vtriusque partis promissa est inuiolabilis Obseruantia Martinianis Constitutionibus. Anno igitur 1430. sub Martino V. in Assisiensi Capitulo habitus est sermo de priuilegijs pręcipuus, Communitas Ordinis illa proposuit, nec recusauit illis cedere pro bono pacis (loquor secundum mentem de Gubernatis) vtque concordia, & vnio cum filijs suis stabiliretur sempiterna, quæ tamen vix orta expirauit. Aduersarius etiam noster dum nu. 169. concedit Franchino sect. 10. nu. p. reformationem Obseruantium insurrexisse propter etiam introducta priuilegia, vltra inconstantiam dictorum, cum modo neget priuilegiorum existentiam ante Martinum Quintum, modo fateatur, affirmare tenetur, & in Concilio Viennensi, & in Assisiensibus Comitijs potuisse Communitatem se munire priuilegijs concessis, illisque se defendisse.

Sed antequam vlterius progrediar dignetur lector moneri, me comperisse auctorem opusculi titulo notati, Antiquioritas, &c. re ipsa extitisse Patrem Fortunatum Lectorem Sacræ Theologiæ à Sospitello strictioris Obseruantiæ Ascetam, non autem Patrem Dominicum de Gubernatis à Sospitello

eiusdem

eiusdem Religionis, Patrem, ac Chronologum, licet in eius tomo secundo Orb. Seraph. edito Lugduni 1685. lib. 6. cap. 16. per quatuor integros paragraphos à folio 204 ad paginam 267. vsque ad finem eiusdem libri sexti, vsque ad apices, & comas sit insertum, vt à se conceptum, & partum; codex enim iste secundus licet publicam lucem viderit anno 1685. Lugduni, conceptus tamen fuerat, & partus, & priuatis manibus, iam absolutus, commissus, anno 1681., quo P. Franchinus opusculum secundum de antiquioritate Franciscana nondum meditauerat, anno enim sequenti compositum, brumali tempore, Roncilioni primam vidit auram. Rem sic euidentius denoctabo. P. Dominicus pro secundo præmorato tomo reuisionem, & approbationem à duobus candidatis suę Religionis accepit quarta Octobris 1681. hi fuerunt P. Petrus Esporrin Procurator generalis Ordinis, & P. Laurentius à S. Paulo de Sueria, ambo Romæ commorantes, de mandato Ministri Generalis tunc temporis Ioseph Ximenes Sarmaniego, licentia prælo illum committendi donatus est à Reuerendissimo P. Ministro generali Ordinis sui P. Marino Sormanni à Mediolano Romæ ex Ara Cœli die quarta Octobris 1684., & quo ad Religionis censores, nulli alij comparent, vt videre est initio tomi, & cum in eadem facultate afferat Minister generalis Sormannus, tomum approbatum à Theologis eiusdem Religionis, innominatis, hoc nequit referri ad alios Theologos, quam ad duos censores à Ximenes deputatos, qui anno 1681. approbationem tomi dederunt, nondum edito Franchini opusculo, nec forsan meditato, alias nullos Religionis censores habuisset, P. Franchinus ergo, vt dicebamus, anno dumtaxat cadente 1682. publici iuris fecit opusculum de antiquioritate, oppugnatum, reiectum, condemnatum ipso indiuidualiter nominato, à P. de Gubernatis cap. 17 per totum eiusdem tomi; nunquid ergo de Gubernatis inter Prophetas, qui futura meditanda, concipienda, parienda, edenda præuiderit à Patre Franchino, antequam ediderit, conceperit, meditatus sit? Si res Deo inspirante euenit, sit

laus

constitutione. *Exultantes*, *&c.* non meminerit priuilegij Clementis IV. adducti. Respondetur vt supra, non concludi ab auctoritate negatiuè, nec tamen Pontifices immemores esse concessionum prædecessorum, hoc autem sæpè agunt, quia, vt plurimum petitur confirmatio priuilegiorum, quæ petitio, quando non interuenit, licet aliàs indultum concedant, non semper fit recordatio prædecessorum, qui autem attentè legerit Sixti Quarti constitutiones; *Dum fructus vberes*, & *Licet dudum*, à nobis in hoc capite allatas §. Sixtus Quartus, comprændet falsum esse non fieri in illis mentionem priuilegij: *Obtentu*, & aliorum, dum enim Pontifex vtitur illis verbis, *Quorumcumque aliorum Romanorum Pontificum etiam prædecessorum nostrorum*; quid aliud indicare prætendit, quam Innocentij Quarti, Clementis Quarti, Nicolai Quarti, &c. concessiones priuilegiatas? qua etiam methodo vsus fuerat Clemens Quintus in sua *Exiui*, initio, licet posteà Nicolai Tertij dumtaxat memoriam fecerit inferius, quia tunc agebatur de articulo, quem aliàs ipse Nicolaus in sua *Exijt* satis dilucide, & sufficienter præ alijs declarauerat, an scilicet Fratres tenerentur ex vi Regulæ ad omnia consilia Euangelica, vel solum ad ea, quæ in Regula exprimuntur. Ad id quod subditur de Nicolao Tertio, per idem respondetur, quod dictum est de alijs Pontificibus; Imò cum totus fuerit in illa constitutione *Exijt* in explanandis nodosis quæstionibus circa difficultatem quę emerserat in Regula inter illos Minores, qui eandem obseruare auebant in toto suo rigore, dimissa quacumque dispensatione, & ad prosternendos temerarios ausus aliquorum, qui insanis rictibus mordebant S. Patris Francisci sanctam, & immaculatam Regulam, sibi non erat locus memorandi, vel priuilegia, vel auctores priuilegiorum, adducit tamen declarationem aliàs factam, à Gregorio Nono in Concilio Lugdunensi, & constitutionem Innocentij Quarti de dominio Ecclesiæ Romanæ super relicta Minoribus, quia de his isti Pontifices specialius tractauerunt, & ordinauerunt; non eo quod non potuerit illos silentio pręterire, si sibi libuisset.

Tertium motiuum eadem responsione atterritur,& si quid probaret, tollendæ essent Innocentij Quarti, Clementis Quarti, & Nicolai Quarti literæ de Syndicis, quarum non fit memoria ab illis Pontificibus, vel aliquo ex ipsis.

Tandem cuius roboris sit vltimum motiuum conuincitur per Scriptores initio capitis adductos, qui illius priuilegij explicite meminerunt ab antiquo. Qua autem de causa Rodericus in suo Bullario priuilegium illud ad solos Patres Prædicatores directum fecerit deletis Minoribus (si id casu non euenerit, & sine sui mandato) Respondeat sibi idem Rodericus (vel pro eo Aduersarij) hæc scribenti tomo 2. quæst. canon. & Regul. q. 78. art. 6. vbi quærit. *An Fratres Ordinis Prædicatorum possint succedere ab intestato: ego autem inuenio*, inquit, *in monumentis Ordinum* (monumenta igitur Ordinis de hoc priuilegio loquuntur) *Clementem Quartum concessisse, quod Fratres Ordinis Prædicatorum, & Minorum possint liberè succedere in bonis temporalibus, in quibus succederent in sæculo existentes, ac bonorum ipsorum possessionem apprahendere, & vendere liberè bona ipsa, eorumque pretium in vtilitatem suam conuertere, prout prælatis dictorum Ordinum melius visum fuerit expedire*: Subdit ad hæc Rodericus. *Quæ concessio quo ad Fratres Minores regularis Obseruantiæ non habet locum, sed tantum quo ad Fratres Minores Conuentuales, &c.* Cur igitur scribit Rodericus aliquando editum pro Prædicatoribus, & Minoribus illud priuilegium Clementinum, aliàs verò, nulla causa producta obliterationis, pro solis Prædicatoribus? fortasis indicare tunc voluit hoc priuilegio non valere potiri obseruantes. Tomo autem 3. quæst. reg. q. 30. art. 4. adducendo formulam professionis Minorum Conuentualium priscam, loco Clementis Quarti, posuit transcriptor, vel Typographus Clementis Secundi, vt diximus initio huius capitis §. historiam seraphicam; recedat ergo omnis dubitatio de Roderico, cum totus pro priuilegio Clementino probetur.

Post Clementem Quartum,& quinque Successorum eius, sedit in Trono Pontificio Martinus Quartus ab anno 1281 ad

annum

annum 1285, qui rigorem Minoriticę paupertatis non parum dispensauit, vel mitigauit; audiatur eius constitutio, pro vt iacet allata à Roderico tom. p. bull. bulla prima fol. 44. Vuadingo tom. 2. in reg. Pont. fol. 155. & tom. 5. in reg. bulla 109. fol. 165. tomo p. Orb. Seraph. fol. 513. vna cum altera Martini Quinti *Amabiles, &c.*

MARTINVS EPISCOPVS, &c. *Exultantes in Domino, quod Sacri vestri Ordinis professores in Dei beneplacitis conformari prompitudinem deuotionis, & operis illius student imitari vestigia, eiusque vias custodire, qui descendens à Patre luminum, & serui formam accipiens, se in laudis Sacrificium placabilem Hostiam imolauit. Cogitare inducimur honesta remedia, quibus dicti Ordinis pura Obseruantia in sui vigore seruetur, ijdemque Fratres, qui pro nulla re temporali possunt in iudicio experiri (exclusis quibusdam solicitudinibus) liberius, & quietius diuinis vacent obsequijs, & offerentium, donantium, aut in vltima voluntate relinquentium, Ordini prædicto, vel Fratribus eiusdem Ordinis, aliquid propter Deum pia intentio non fraudetur, sitque nobis solicitudini, quod prædictus Ordo pro suis necessitatibus, quoties ingrueret necessitas, vel vtilitas suaderet recurrere ad Romanam Ecclesiam cogeret, ad quam omnium rerum mobilium, & immobilium, quibus Fratres vti possunt, ius proprietas, & dominium nullo medio spectat pensata incommoditate, vel difficultate potius, quæ per hoc ingeri posset Fratribus supradictis benigne indulgentes. Volentesque hæredum, & executorum negligentijs obuiare, vt Fratres secundum modos licitos, & congruos ipsi Ordini relictis sibi in testamentis eleemosinis non fraudentur, ac sperantes, quod his, qui pro statu prospero dicti Ordinis agenda fuerint, per vos, eo salubrius, & vtilius consulatur, quo maiori fueritis in hac parte auctoritate muniti, Discretioni vestræ, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, personas speciales, quæ non sint de ipso Ordine, nominandi pro locorum indigentia singulorum, quas personas per vos totaliter nominatas, in his administrationem legitimam, & generalem gerere, & ipsos veros, & legitimos administratores, æconomos,*

syndicos, & actores esse, de plenitudine potestatis, præsentium auctoritate constituendo decernimus, quæ res ipsas, & rerum prædictarum pretium, & dictas eleemosinas nomine dictæ Ecclesiæ recipiant per eosdem in Fratrum ipsorum vtilitate (prout eis licet ex Regula, vel ex declaratione Regulæ) conuertenda: sicut, & quando à te fili Generali, vel singulis alijs vestrum in Prouincia, vel custodia, sibi decreta ab ijsdem Fratribus, de assensu vestro extiterint requisiti, ac eadem personæ petendi, exigendi, recipiendi, alienandi, prædicta transigendi, quam, & paciscendi, conueniendi, compromittendi, remittendi, refutandi, quietationem faciendi, agendi, defendendi, ac in animas eorum de calumnia, & veritate dicenda iurandi, & cuiuslibet alterius iuramentum præstandi, cum illis, & contra illos, qui huiusmodi res mobiles, & immobiles, aut pretium earum, vel relictas eleemosinas Fratribus in testamento occuparent, vel uiolenter auferrent, siue qui contra uoluntatem Fratrum quomodolibet retinerent, & generaliter in omnibus causis, pro rebus, & locis huiusmodi ad ipsam Ecclesiam spectantibus ipsorum Fratrum usibus concessis. Nec non pro immunitatibus, libertatibus, & iuribus, ac priuilegijs eorumdem, siue cuiuslibet satisdationis, & cautionis onere, plenam, & generalem, & liberam habeant auctoritate Apostolica in iudicio, & extra iudicium, potestatem, reuocandique personas easdem, & earum quamlibet, & alias eis subrogandi, uel nominandi per supradictum modum nominationis, quoties opportunum fuerit, qui eandem in prædictis, uel similem habeant potestatem, plenam, & liberam concedimus, auctoritate præsentium, facultatem. Nulli ergo omnino hominum liceat, &c. Dat. apud Vrbem Veterem quintadecima Kalendarum Februarij Pontificatus nostri anno secundo, qui fuit metiendo ab eius assumptione ad Galerum Papalem annus 1283.

Eadem omninò inuariata concessit, post Martinum Quartum, Nicolaus Quartus, qui fuit Minister Generalis Ordinis Minorum, & à Purpurea Thiara ad Pontificiam Infulam euectus anno Domini 1288., vt nec verbum prædictæ, ac rescriptæ constitutioni Martinianæ, vel minuerit, vel addiderit referen-

referentibus Vuading. tom. 2. fol. 198. bulla 50. & ex eodem, de Gubernatis tom. p. Orb. lib. 3. cap. 34. fol. 512. nu. 13., & (quod mirabile eſt) nulla facta per vmbram mentione Martini Quarti.

NICOLAVS PAPA QVARTVS.

Dilectis Filijs Generali, & Prouincialibus Miniſtris, & Cuſtodibus vniuerſis Ordinis Fratrum Minorum.

Religionis fauor ſub qua virtutum Domino deſeruitis, & fructus vberes, qui ex veſtris laboribus in Eccleſia vniuerſali, Diuina gratia cooperante, proueniunt, nos inducunt, ut illa uobis fauorabiliter concedamus, per qua ueſtri Ordinis pura Obſeruantia in ſui uigore obſeruetur, dictique Ordinis Profeſſores, qui pro nulla re temporali poſſunt in iudicio experiri excluſis, &c. ut ſupra in bulla Martini Quarti, vſque ad totam ad finem vſque. *Dat. apud Vrbem Veterem decimo Kal. Decemb. Pontificatus noſtri anno tertio*, qui fuit conformiter ad dicta 1291.

Anno 1417. regnare cœpit, in ſolio Petri ſedens Martinus Quintus, & gubernauit Eccleſiam annis tredecim; anno tertiodecimo ſui Pontificatus dedit Minoribus bullam, quam Aduerſarij prædicant primum omnino paupertatem diſpenſantem, quam habes tom. 5. annal. Vuadingi fol. 221. n. 62. incip. *Ad ſtatum, &c.* Martinus IV. gubernio Eccleſiæ Romanæ datus eſt anno 1281. vſque ad annum 1285., Nicolaus Quartus anno 1288. ad annum 1292., igitur Martinus Quintus inuenitur diſpenſans poſt Martinum Quartum annis centum quadraginta ſeptem, poſt Nicolaum Quartum annis centum triginta nouem.

Verum parum negotij faceſſunt Martini Quarti, & conſequenter aliorum Pontificum ſanctiones de ſyndicis à nobis allatæ, ante Sixtum Quartum editæ, Aduerſarijs, negant enim quæcumque de ſyndicis decreta præcedentia conſtitutionem Sixti Quarti, de qua vide ſuperius hoc in capite §. Sixtus Quartus, eſſe diſpenſatiua paupertatis; ſed in illis, inquiunt, traditur facilior modus per quem conſeruata arctiſſima paupertate, Miniſtri prouidere queunt Fratrum neceſſitatibus,

vt post Clementem Septimum declarauit Innocentius Vndecimus feliciter regnans, (& vtinam ad multos annos, & ad tot saltem, quot necessarij sunt, Deo iustissimo vindice hostium sui Sanctissimi Nominis, vt valeat Turcarum sectam iniquissimam ab Orbe toto, & eius omnibus latebris propulsare, atterrere, euellere, ac penitus eradicare, vt omnes eius asseclę (veritatem Catholicæ fidei agnoscentes) illam relinquant, abhorreant, ac stomacentur, amplexata sanctissima, ac intemerata Christi Sanctissimi, ac Castissimi Regis, virginali lege) ita num. 152., & 159. cuius responsionis anchoram, vt facilius intelligamus an veritatem, vel falsitatem sonet, sitque ex luto, vel saltem ferro composita, dicta de Syndicis à Patre de Gubernatis prius audienda sunt.

Pater igitur Dominicus de Gubernatis tomo p. sui Orbis Seraph. lib. 3. cap. 34. fol. 510., & vltra à num. 7. de Syndico agens hæc scribit, num. 7. *Nicolaus Tertius in sua decretali: Exijt, qui seminat, &c. & Clemens Quintus in sua Exiui de Paradiso, &c. Regulam Minorum cum omnimodo rigore, & ad verissimam legislatoris mentem integerrimè, atque sine vllo priuilegio declararunt. Necessitates Fratrum, eleemosinas ipsis attributas, & legata à Fidelibus pro ipsis facta, sub duplici classe repartita volentes. Necessitates diuiserunt, in veras, præsentes, aut actu imminentes ex vna parte, & in possibiles, aut quomodocumque futuras ex altera: similiter de eleemosinis pecunias, & res quascumque principaliter pretio, & pecunia distrahibiles à rebus alijs, quæ in propria specie, & indiuidualiter exercentur, & salua Fratrum Minorum paupertate consumuntur, contradistinxerunt; legata itidem Fratribus relicta subdiuiserunt, alia recensentes, quæ modo Fratribus illicito legantur, vt hæreditas, annuique prouentus, quos nomine proprio possidere debeant, aliaque suo modo licito, vel indifferenti (& ideò licito comprahensa) exprimuntur, illa scilicet, quæ Fratribus in propria specie consumere licet, aut ut per legitimos actores distracta in res Fratribus necessarias, & permissas conuertantur*, num. 8. *His suppositis declararunt, & diffinierunt nullo modo licere Fratribus*

eleemosi-

eleemosinas superfluas, siuè ad possibiles, & quomodocumque futuras necessitates recipere, multò minus procurare illaso paupertatis altissimo voto, quia hoc sapiat thesaurizationem, & paupertati nimium derrogare videatur; sed tanquam pro veris, præsentibus, aut actu imminentibus necessitatibus, salua, & tuta conscientia valeant mendicare: De eleemosinis etiam licitè, atque ad legislatoris mentem possint Conuentus, vtensilia, ac Sacra paramenta, & cætera, pro veris, vt dictum est necessitatibus recipere, & procurare, quæ in propria specie pro vitæ sustentatione, nec non officiorum suorum exercitio adhibere possunt, & consumare, quæ omnia in Sedis Apostolicæ proprietatem, & dominium, si offerens à se ipso abdicare velit, se se recipere declarant; de pecunijs autem, rebusque principalitèr pretio, & pecunia distrahendis, dicunt omninò Fratribus esse illicitum, vt quouis modo Fratres ipsi nomine proprio se se ingerant, sed pecuniæ dominis, ipsorumque substitutis voluit in proprietatem reseruari, nec vllo modo ad Sedem Apostolicam deuolui, tales enim substitutos, quamuis rogante domino à Fratribus nominatos, determinant nomine principalis dantis semper agere, non verò Sedis Apostolicæ; similitèr, & legata modo licito, vel indifferenti assignata, in casibus, & modis supra declaratis legitimè recipi posse, non autem, quæ modo illicito, aut ad superfluitatem assignantur eadem auctoritate determinant. Tandem ad recipiendas eleemosinas in essentia, & modo prænarratis Fratribus licitas; easque possidendas, & Fratrum necessitatibus applicandas, insuper ad illa distrahenda, & in Fratrum necessitates conuertenda, quæ licitè Fratres habebant, sed amplius necessaria, vel vtilia non esse probantur Syndicos, seù Procuratores haberi concedunt, qui Sedis Apostolicæ nomine hæc omnia peragere debeant. Syndicos itaque Nicolai Tertij, & Clementis Quinti iuxta Regulæ rigorem ad duo præcisè puncta coarctatos inuenimus, nimirum, vt nomine Sedis Apostolicæ illarum possessionem, dominiumque recipiant, quæ Fratribus in propria specie licet habere, atque vt hæc eadem iam facta, vel inutilia, vel non necessaria Fratribus, vendere possint, vel commutare, earumque pretium in alia Fratribus

necessaria, & licita conuertere: de legatis autem illicito modo relictis, de hæreditatibus, annuisque prouentibus, nullo modo se se ingerere, quia statui Minoritico simpliciter repugnant, &c. numero autem nono sequitur. *Martinus Quartus, & Martinus Quintus, aliïque infracitandi Syndicorum huiusmodi facultatem extendentes, concesserunt, vt quà tales, idest, Apostolicæ Sedis nomine, eleemosinas quascumque sine prædictis restrictionibus Fratribus oblatas, seù testamento legatas recipere, & in iudicio repetere, vel defendere, Fratrumque necessitatibus (nulla facta necessitatis distinctione) applicare valerent: Vndè in statutis Martinianis, quæ scilicet, in Generalissimo Assisiensi Capitulo per legatum Apostolicum publicata, atque à Conuentualibus, & Obseruantibus (erant igitur,* Conuentuales ante Leonem, & Martinum Quintum, sub hoc nomine Conuentualium, quod negant Aduersarij, vt vidimus supra, præcipuè cap. 3.) *pari consensu recepta, & à Martino Quinto confirmata fuerunt (vndè, & Martiniana dicta sunt) sic legimus. Quo ad quartum capitulum Regulæ, statuimus, & ordinamus iuxtà declarationem Nicolai Tertij, & Clementis Quinti, & Martini Quarti, quod quilibet Conuentus, seù locus habeat suum Procuratorem, Æconomum, Syndicum, & Actorem, cui omnis eleemosina pecuniaria, & alia, quæ ad pecuniam reduci possunt integraliter assignentur, qui eadem dispensare debeat legaliter, & fideliter pro reparatione Conuentuum, & locorum, & ad alias quoque necessitates Fratrum occurrentes, sicque Fratres nullo modo denarios, vel pecuniam recipiant, &c. In omnibus autem, quæ vltra hoc magis videntur arctare Fratres, siuè ex declaratione Clementis, siuè quacumque alia declaratione Summorum Pontificum, vel aliorum quorumcumque, Apostolica nobis auctoritate commissa, misericorditer dispensamus; Non obstringentes eos propterea, qui voluerint prædictas declarationes seruare, quod suo voto satisfacientes, seruare valeant, & tenere,* numero verò decimo fol. 511. *Eugenius Quartus in decretali: Prouisionis nostræ, confirmauit prædictas literas Martini Quinti, & reuocauit extrauagantem Ioannis ad conditorem,* & post. *Similiter fecerunt Calixtus*

lixtus Tertius, Nicolaus Quintus, Pius Secundus, Paulus Secundus, & Sixtus Quartus in bulla. Dum vberes fructus, approbarunt constitutionem supradictam Martini Quinti, & determinarunt ius omne, proprietatem, & dominium rerum oblatarum Minoribus, spectare ad Sedem Apostolicam. Deinde Clemens Septimus anno 1530. *data bulla, Vacantibus, &c. præfatos Nicolaij Tertij, Clementis Quinti, Innocentij Quarti, & Martini Quinti Syndicos Apostolicos non esse contra Regulæ puritatem Apostolica auctoritate definiuit. Vnde in generalibus Ordinis statutis dicitur Syndicos huiusmodi non esse contra Regulæ puram obseruantiam, aut in Regula dispensationem, & in motu proprio Innocentij Vndecimi. Solicitudo Pastoralis officij, &c. quam infra dabimus libro 6. per extensum, quam pro sustinenda pura Regulæ obseruantia edidit, sic habetur: Declarantes tamen pariter, quod per præmissa non prohibentur in dicto Ordine Syndici Apostolici, cum eorum vsus non sit dispensatio in Regula, sed modus à Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris prouisus, pro puriori illius obseruatione, siuè eiusmodi Syndici assumantur ad præscriptum constitutionum Nicolai Tertij, & Clementis Quinti prædecessorum prædictorum, siuè secundum dispositionem constitutionum recor. memor. Martini Quarti, & Martini Quinti, ac Pauli Quarti prædecessorum pariter nostrorum, prout illorum vsus in singulis Familijs, Congregationibus, Reformationibus, aut Prouincijs Ordinis prædictis respectiuè fuerit receptus. Quod iam* (Subdit P. Chronologus) *à Paulo Quarto in bulla: ex Clementi Sedis Apostolicæ, &c. apud Rodriquez bulla prima, diffinitum fuisse legimus.*

Numero vndecimo. *Alexander Sextus in bulla vberes fructus confirmat decretales prædictas vtriusque Martini Quarti, & Quinti, Eugenij, & Sixti Quarti, Calixti Tertij, & Pauli II., per quas rerum vsus dumtaxat Fratribus permisso,* (quem inquit cum puritate Regulæ percipere, & habere possunt) *dominium, & proprietatem apud Ecclesiam Romanam remanere decreuit: Iulius Secundus simili constitutione hoc idem declarauit. Demum Leo Decimus in bulla merentur vestræ deuotionis, &c.*

&c. hæc omnia amplissimè voluit esse de nouo confirmata. Numero duodecimo. Epilogando scribit: *Syndicos itaque in prima, & magis rigorosa Nicolai Tertij, & Clementis V. acceptione primo habemus, deindè per Martinum Quartum & Quintum citra huiusmodi rigoris apices, sed non contra Regulæ puritatem. 3. Tandem cum dispensatiua ampliatione per Sixtum IV., & alios legimus Apostolica auctoritate constitutos.*

Tandem nu. 17. fol. 518. inquit. *Omnia itaque in compendium redigendo, Apostolicos huiusmodi Syndicos in triplici differentia ex communi Doctorum consensu reperiri confitemur, quorum primus in maximo rigore, vt supra declaratum est, à Nicolao Tertio, & Clemente Quinto fuit dessignatus, ad quem strictioris Obseruantiæ professores ex ipsa sua institutione per Clementem Septimum, & Octauum, aliorumque Pontificum decretales simpliciter obligantur. Ad ampliora se se protendit secundus per Martinum IV., & V. institutus, saluo tamen, vt census, prouentus, & hæreditates nomine proprio iuridicè possidere non valeant, qui Obseruantibus etiam in puritate Regulæ viuentibus per Vrbani Octaui, & Innocentij Vndecimi constitutiones expressè conceditur. Tertius omninò amplissimus, nec non cum inexcusabili super Regulam dispensatione, ad possidendas hæreditates, & prouentus nomine proprio iuridicè se ipsum extendens, à Sixto Quarto, & Iulio Secundo stabilitus.*

Aduersarij igitur ex his transcriptis putant se fortitèr patrare, ac sine vlla discrepantia, septi Apostolicis dictis, negant Martini Quarti adductam constitutionem de Syndico vllam præ se ferre in Minorum Regula dispensationem, idem asserunt de Martini Quinti, ac aliorum, ante Sixtum Quartum, confirmationibus, vel diplomatibus; affirmantes Sixti Quarti, & Iulij Secundi, literas in hac eadem re latas, esse citra difficultatem veras, ac reales dispensationes. Sed meum est illis opponere quæ sentio.

Offendi quadam die in sextum decretalium, & in titulum duodecimum, qui est, *de uerborum significatione*; cœpique oculis excurrere cap. 3., in quo habetur constitutio Nicolai Tertij:

Tertij: *Exijt, qui ſeminat ſeminare, &c.* placuit hanc pacato animo legere ſecunda vice, quia de Regula Minorum, funditus, ac ex profeſſo tractantem comperi. Inter alia, quæ hic reſcribo notaui poſt medium: *Inſuper nec vtenſilia, nec alia præter eorum vſum ad neceſsitatem, & officiorum ſui ſtatus executionem (non enim omnium rerum vſum habere debent, vt dictum eſt) ad vllam ſuperfluitatem, diuitias, ſeù copiam, quæ deroget paupertati: vel ad theſaurizationem, vel eo animo, vt ea diſtrahant, ſiuè vendant, recipiant, nec ſub colore prouidentiæ in futurum, nec alia occaſione: quinimò in omnibus appareat in eis, quo ad dominium omnimoda abdicatio, & in vſu neceſsitas.* Hæc Pontifex declarando illud Regulæ. *Fratres nihil ſibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem,* quibus vetat Fratribus vtenſilia recipere eo animo, vt vendant, diſtrahant, & ſub colore prouidentiæ in futurum, vel alia occaſione, & de pecunia inferius ſtatuit pariter, quod illam tantum ſinant deputatis ad illam expendendam tradi, quæ pro præteritis, & ingruentibus neceſſitatibus nouerint neceſſarium; vnde poſt multa præcipiendo ait. *Caueant tamen Fratres, quod ſollicitè ſe coaptent, vt non plus ſcientèr concedi conſentiant, quam veriſimilitèr extimari poſsit rem neceſſariam pro qua pecunia ipſa conceditur valituram;* & paulò poſt de legatis in vltimis voluntatibus modo licito Fratribus relictis, hæc decernit. *Si uerò modum licitum Fratribus in legando Teſtator expreſſerit, ut ſi diceret: lego pecuniam pro Fratrum neceſsitatibus expendendam, uel domum, agrum, uineam, & ſimilia, ad hoc quod per certam perſonam, uel perſonas idoneas diſtrahantur, & pecunia de rebus ipſis accepta in ædificia, uel alia Fratrum neceſſaria conuertatur; aut in legando ſimilibus modis, uel uerbis utatur: In hoc caſu illud in omnibus, & per omnia (conſideratis eorum neceſsitatibus, & moderaminibus ſupradictis) quantum ad Fratres ſeruari decernimus, quod per nos eſt ſuperius in conceſsis pecuniarijs eleemoſinis declaratum. Ad quæ legata ſoluenda tam hæredes teſtatorum, quam executores ſe liberales exhibeant, & etiam Prælati, & Seculares, quibus de iure,*

iure, uel consuetudine prouisio ista competeret (cum expediret) se ex officio suo promptos exhibeant ad pias uoluntates deficientium adimplendas. Prohibet ergo Pontifex vltra præteritas, vel ingruentes necessitates legata etiam licita à Fratribus per deputatos actores recipi, &c. Et quidem præcepta huiusmodi omninò vniformia circa res mobiles, pecuniam, & legata licita, non sunt lata à Pontifice arbitrarie, motu proprio extra medullam Regulæ Minoriticæ, sed iuxta eiusdem intelligentiam rectam, ità vt non sint censenda mandata ob seruandos apices rigoris Regulæ iuxta dicta à Patre de Gubernatis supra citato numero 12. de Syndico, sed vt sine piaculo seruetur purus candor Regulæ, ita vt qui fecerit (non munitus priuilegio) aduersus illa in re graui, mortali culpa ligetur, imò vt fatentur Aduersarij num. *166.* antiquioritatis, Nicolaus Tertius rigorosissimam edidit in Regula Minorum expositionem: *Exijt, &c.* in qua vel minimos abusus altè castigans, etiam necessitatis terminos in recipiendis eleemosinis obseruari mandauit, &c. quam extrauagantem, inquiunt, hucusque Obseruantes,& Capuccini tota reuerentia custodiunt; quare? quia, vt ait Pater de Gubernatis supracitatus de Syndico nu. 7. *Nicolaus Tertius in sua decretali Exijt, qui seminat, &c. & Clemens Quintus in sua Exiui de Paradiso, &c. Regulam Minorum cum omnimodo rigore (*hoc gratis dicitur,*) & ad uerissimam legislatoris mentem, (* & hoc meritò asseritur) igitur non cum omnimodo rigore, sed iuxta æquitatem, sine excessu, & superantia editæ Regulæ, ac intentionis illam proponentis,) integerrime, atque sine vllo priuilegio declararunt.

Aliàs curiositate victus, eundem sextum decretalium iterum percurrere statui; incidi in Clementinam: *Exiui de Paradiso, de Verborum significatione tit.* 11., hanc quoque ex integro, corde quieto, (quia de Regula Minorum tractantem intellexi) legi; dum studio eiusdem vacarem, ad hæc, quæ subijcio, oculos, mentemque direxi medio constitutionis: *Denique cum idem Confessor summè affectauerit sua Regula professores totalitèr esse abstractos ab affectu, & desiderio terrenorum,*

rum, & specialitèr à pecunia, & eius vsu totalitèr inexpertos, sicut probat prohibitio de recipienda pecunia in Regula sæpius repetita: curare Fratres vigilantèr necesse est, quod eum ex causis prædictis, & modis habentes pecunias deputatas pro ipsorum necessitatibus recurrere opportebit, ad tenentes ipsas, quicunque hi fuerint principales, vel nuncij, in omnibus sic se gerant, quod se cunctis ostendant in dictis pecunijs (sicut nec habent) penitus nil habere. Quapropter præcipere quomodo, & qualitèr pecunia expendatur, computumque exigere de expensa, eum quoque repetere, siuè deponere, aut deponi facere, capsulam pecuniæ, vel eius clauem deferre, hos actus, & consimiles, sibi Fratres illicitos esse sciant, prædicta enim facere ad solos Dominos pertinet, qui dederunt, & eos quos ipsi deputauerunt ad hoc ipsum. Cum autem multa obijcerentur à Fratribus Spiritualibus contra Ordinis Communitatem, vt ibi subditur, vnum ex præcipuis obiectis hoc fuit. *Item quod cum ipsorum negotia etiam pro rebus temporalibus in curijs agitantur, assistunt Aduocatis, & Procuratoribus, & ad instigandum eosdem, se ibidem personalitèr repræsentant:* alterum verò est. *Item, quod executiones vltimarum voluntatum suscipiunt, & gerunt, seque intromittunt, quandoque de vsurarum, vel male ablatorum dispositionibus, seù restitutionibus faciendis.* Ad quæ Pontifex ibi resoluendo ità respondit: *Ex talibus autem assistentijs in curijs, & instigationibus, cum de rebus agitur in ipsorum commoda conuertendis, creduntur verisimilitèr ex his, quæ foris parent (de quibus habent homines iudicare) in ipsis rebus Fratres, & assistentes aliquid quærere tanquam suum, nullo modo debent huiusmodi voti, & Regulæ Professores se talibus curijs, & litigiosis actibus immiscere, vt & testimonium habeant ab his, qui foris sunt, & puritati satisfaciant voti sui, ac euitetur per hoc scandalum proximorum. Verum etiam cum dicti Ordinis Fratres non solum à receptione, proprietate, dominio, siuè vsu ipsius pecuniæ, verum etiam à contractatione qualibet ipsius, & ab ea sint pœnitus alieni, quemadmodum sæpè dictus Prædecessor noster in declaratione huiusmodi Regulæ planè dixit: Cumque dicti Ordinis professores,*

qui

qui pro nulla re temporali possunt in iudicio experiri, prædictis Fratribus, non licet, nec competit: quin potius (considerata sui puritate status) debent sibi scire interdictum, quod huiusmodi executionibus, & dispositionibus se exponant: cum hoc igitur sæpius absque litigio, & contractatione, vel administratione pecuniæ nequeant expediri: Veruntamen in his exequendis dari consilium, ipsorum statui non obsistit; cum ex hoc, ipsis circa bona temporalia nulla iurisdictio, siuè actio in iudicio, siuè dispensatio tribuatur.

Pontifices igitur isti hęc dicunt Minoribus in puritate Regulæ viuentibus esse prohibita, vsus superfluus mobilium, seù copia eorum, receptio eorundem, vt distrahantur, siuè vendantur, vel vt conseruentur pro futuris necessitatibus, vel alia occasione præter necessitates vrgentes; idem omninò conformiter iubetur de pecunia, & licitis legatis, accipiendis per actores, & æconomos. Nequeunt præcipere actoribus suis, quomodo, & qualiter pecunia expendatur, computus exigere de pecunia expensa, eam deponere, vel deponi facere, capsulam pecuniæ tenere, vel clauem eius deferre contra illos in iudicio, vel extra, vel alio modo agere. Non possunt se in curijs ingerere, assistendo, & instigando Procuratores, cum de rebus agitur in ipsorum commoda conuertendis, non se in actibus litigiosis immiscere, non esse testamentorum executores, nec disponere de vsuris, male ablatis, & restitutionibus, cum hæc sæpius absque litigio, contractatione, vel administratione pecunię nequeant expediri. Nullam iurisdictionem, siue actionem in iudicio habere circa bona temporalia: Tandem licet Romani Pontifices recipiant in sui dominium, & proprietatem, vel Ecclesiæ Romanæ quæcumque obuenientia licito modo Fratribus, secus tamen intendunt de illicitis.

Hæc omnia irrefragabilia, maiorem irrefragabilem constituunt, cui minor hæc additur. Sed præfatum Martini IV. diploma prædictis aduersatur, igitur præ se fert in Regula maximam dispensationem; nec minoris veritas, erit immanifesta,

festa, applicando verba Martinianæ constitutionis, & opponendo illa statutis in maiori sic. Nicolaus Tertius in sua *Exijt*: prohibet copiam mobilium, vetat pecuniam, & legata recipi vltra ingruentes necessitates, pro his agere in iudicio, vel extra iudicium, recipere animo distrahendi, alienandi, donandi, &c. Martinus Quartus ait; *Sicut, & quando à te Fili Generali, vel singulis alijs vestrum in Prouincia, vel Custodia sibi decreta ab ijsdem Fratribus, de assensu vestro extiterint requisiti, ac eadem persona* (idest Syndici, Æconomi, &c.) *petendi, exigendi, recipiendi, alienandi, prædicta transigendi, quam, & paciscendi, conueniendi, compromittendi, remittendi, refutandi, quietationem faciendi, agendi, defendendi, ac in animas eorum de calumnia, & veritate dicenda iurandi, & cuiuslibet alterius iuramentum præstandi, cum illis, & contra illos, qui huiusmodi res mobiles, & immobiles, aut pretium earum, vel relictas eleemosinas Fratribus in testamento occuparent, vel violentèr auferrent, siuè qui contra voluntatem Fratrum quomodolibet retinerent, & generalitèr in omnibus causis pro rebus, & locis huiusmodi ad ipsam Ecclesiam spectantibus ipsorum Fratrum vsibus concessis. Nec non pro immunitatibus, libertatibus, & iuribus, ac priuilegijs eorundem sine cuiuslibet satisdationis, & cautionis onere, plenam, & generalem, & liberam habeant, auctoritate Apostolica, in iudicio, & extra iudicium potestatem.* Hæc Martinus, quibus datur facultas, sine Nicolai restrictionibus, eleemosinas quascunque Fratribus oblatas, seù testamento legatas recipiendi, & in iudicio repetendi, vel defendendi; & Fratrum necessitatibus (nulla facta necessitatis distinctione) applicandi, vt fatetur Pater de Gubernatis num. 9. citatus supra in hoc capite, vbi cum eodem de Syndico egimus: Item licet non concedatur facultas Fratribus ipsis immediatè se immiscere in iudicijs, curijs, & litibus, vel assistere Procuratoribus in ipsis curijs illos ciendo, ac sollicitando, dum agitur de rebus, ipsis asciscendis, & acquirendis, contra illas illicitè, violenter, & contra eorumdem voluntatem retinentes, quod totum, vt diximus, illis capitaliter vetitum

est,

est, datur tamen, vt queant huiusmodi Procuratores sollicitare, ac mouere, vt pro ipsis sistant se coram iudicibus, instando contra retinentes eleemosinas relictas, vel legata immobilia, vel mobilia, ac res omnes, ipsis quocumque modo obuenientes, vt illis vti possint, licet non possidere, vel in dominio recipere, quia hoc spectat ad Ecclesiam, vel Romanum Pontificem immediate, ipsosque iudices prouocare ad definiendum, sententiandum, & alia patrandi, quæ de iure veniunt agenda, quæ omnia agentes Procuratores cum de mandato Fratrum operentur, Fratres ipsi mediate operari dicuntur, quia iuxta commune proloquium, quod est causa causæ est causa causati, & qui alium inducit, mouet, consulit, &c. ad opus, id operari dicitur, & tam agentes, quam consulentes, vel ratum habentes, eidem iudicio subijciuntur, & tandem qui facit per alium, est perinde ac si faciat per se ipsum; ex reg. iuris in 6. lib. 5. tit. 13. reg. 72. igitur in his adest manifesta dispensatio, præcipuè cum actio in iudicio illis tribuatur, quæ vel ex vi Regulæ, vel declarationem eius licet vllo modo.

Tum quia si in præfata Martini constitutione nulla est dispensatio, cur illa vti rigoroso mandato prohibentur strictioris Obseruantiæ Ascetæ per decretales Clementis Septimi, & Octaui, & aliorum Summorum Pontificum, vt testis est P. de Gubernatis parum supra citatus, vbi de Syndico nu. 17.? cur stare iubentur solummodo, & indiuidualiter obligantur æconomis Nicolai Tertij, & Clementis Quinti in constitutionibus *Exijt*, & *Exiui*? Cur item de facto pro relictis, &c. Procuratores non cient, vt agant contra illicite detinentes relicta apud Iudices, instando legaliter, ac iudicialiter, vt cogantur hæredes, executores, & iniustè mobilia, & immobilia, ac eleemosinas retinentes, soluere, ac tribuere, si non amore, ac sponte, saltem vi? hæc certè his temporibus, quibus vtuntur Patres de Familia Martini Quarti concessione, in iudicio non operantur, cur? edisserant ipsimet quare. Cur item Patres strictioris Obseruantiæ ligati sunt eo Syndico, qui ad ista

se mo-

se mouere nequit, si Patres de Familia, cum quibus vnum idemque esse profitentur in principio opusculi pro antiquioritate, facultatem habent à Summis Pontificibus Martino, & Nicolao Quarto in suis necessitatibus imminentibus, & non ingruentibus, Syndicum ad iudicium vrgere, vt pro ipsis instet penes iudicem, (quod tamen, vt dixi non est in vsu,) & iudicet de sibi relictis, &c. mobilibus, & immobilibus? nunquid Patres de Familia sunt anseres albi, ipsi autem nigri?

Sed fortius vrgebo. Ioannes vigesimus secundus, qui in serie Pontificum describitur vigesimus primus, anno 1316. ad summum Episcopatum electus est, annis vnum supra triginta post obitum Martini Quarti, & triginta tribus post editionem constitutionis allatæ, Pontificatus sui anno septimo condidit extrauagantem incipientem: *Ad Conditorem, &c.* in qua prohibet amplius Fratres Minores vti prædicto Martiniano breui his verbis propè finem. *Et quia præfatum Martini Papæ prædecessoris nostri priuilegium dudum seruatum quo ad administrationem bonorum præmissorum non extitit, nec seruatur; ac ipsorum Procuratorum officium, qui nominantur à Ministris, & Custodibus dicti Ordinis Ecclesiæ Romanæ iniuriosum, ac multis alijs molestum noscitur, & etiam onerosum, districtius inhibemus, ne deinceps pro recipiendis, petendis, extorquendis, defendendis, seù administrandis bonis, quæ in posterum Fratribus, vel Ordini prædictis offerri, vel conferri, seù aliàs obuenire continget, quisquam nominetur à quoquam, seù constituatur amodò nomine Sanctæ Romanæ Ecclesiæ procurator. Nec occasione cui vsus priuilegij quicunque administrationem quorumcumque bonorum, quæ obuenire Fratribus ipsis, vel Ordini continget in posterum, in iudicio, vel extra agendo, vel defendendo, supplicando, vel aliàs quomodolibet assumere, vel exercere dictæ Ecclesiæ nomine audeat, nisi de Sedis Apostolicæ licentia speciali; decernentes irritum, & inane, si secus à quoquam in posterum contigerit attentari. Non obstantibus quibuscunque priuilegijs à Martino Papa prædicto, vel alijs Prædecessoribus nostris ipsis Fratribus, vel Ordini sub quacunque forma, vel expressione*

O *verbo-*

verborum concessis. Hoc autem prohibitione, manifestnm est, Pontificem intendere auferre dispensationem à Martino IV. factam super Minoriticam paupertatem in petendis legatis, &c. in iudicio, & extra, ac consulere Ecclesiæ honori; vnde supra aiebat in eadem constitutione: *Rursus nedum Fratribus ipsis ordinatio prædicta non profuit, sed etiam occasionalitèr honori Sanctæ Romanæ Ecclesiæ non leuitèr detrahit, & detraxit. Nunquid non præfatæ Ecclesiæ derogatur honori, si ipsam oporteat nunc in foro Ecclesiastico, nunc in Sæculari, interdum quoque coram pedaneis iudicibus, & plerunque pro rebus paruis, & vilibus continuè litigare; hoc autem notum est fieri cum occasione retentionis dicti dominij omnes causæ occurrentes agendo, vel defendendo pro bonis huiusmodi nomine Romanæ Ecclesiæ virtute cuiusdam priuilegij, à fælicis recordationis Martino Papa Quarto Prædecessore nostro concessi super hoc agitentur, & quod grauius est censendum, Procuratores causarum huiusmodi multos vexare dicuntur indebitè, licet potestas attributa Procuratoribus talibus per priuilegium antedictum quo ad administrationem bonorum præmissorum dudum seruata non fuerit, nec seruetur, quæ omnia in notam, & iniuriam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, non est dubium redundare. Adhùc ordinatio antedicta Ecclesiarum Prælatis, & Rectoribus grauis existere nimium, & molesta monstratur. Nunquid non graue præmissis potest existere, quod ipsos oporteat se opponere Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quæ ipsorum Caput noscitur, & magistra, ac cum ea agendo, vel defendendo litigare assiduè, vel cedere iuri suo: hoc tamen oportet illos facere, cum in multis dicti Fratres prædictis existere dicantur iniurij, sicut multorum Prælatorum, ac Rectorum diuersarum Prouinciarum adhuc in curia existentium habet insinuatio? qui quidem Fratres facta sua per Procuratores nituntur defendere antedictos.* Item eadem prohibitione intendit Pontifex auferre à Minoribus priuilegium Martini Quarti, quo libere agebant in iudicio per suos Procuratores, ac Syndicos contra retinentes bona quomodocumque illis obuenientia, quod certe, vt parum supra diximus, constat esse illis vetitum in constitutionibus *Exijt*,

& *Exiui*

& *Exiui* ex vi Regulæ, igitur directe auferre dispensationem maximam in voto paupertatis, virtute cuius omne iudicium, omnis iudicij strepitus, omnis iuridica prætensio, ac interpellatio iudicis anathematizatur, cum hæc omnia manifestam redoleant thesaurizationem, & saporem ipsius obtundant, siue fiant per se, vel per alium de consensu Fratrum, vt diximus ex Regula iuris in 6. Mens denique Pontificis in illa extrauaganti, est, Fratres reducere ad obseruantiam paupertatis altioris præ alijs Mendicantibus, quam illo priuilegio affirmat dumtaxat verbis, & simulatis actibus fieri, ait enim ibi: *Nos itaque, qui veritatem tenemur colere, velut ille, qui illius, qui veritas noscitur, licet immeriti, vicem teneamus in terris, illa volentes in Sancta Dei Ecclesia, quæ non verbo obtinent tantum, sed opere potius obseruari, præmissis in scrutinio recta considerationis adductis, ac deliberatione cum Fratribus nostris, & multis alijs prahabita diligenti, dignum arbitrantes, & congruum professores dicti Ordinis, non verbis tantum, non simulatis actibus, sed operibus claris, veritate suffultis perfectioris status, ac altioris paupertatis sibi prærogatiuam præ alijs Mendicantibus vendicare &c.* igitur à Martini priuilegio fuerat paupertas mitigata, dum Pontifex ad axem illius, & altiorem statum præ omnibus alijs Mendicantibus intendit reuocare Minores, destruendo priuilegium Martini Quarti, & dum appellat constitutionem illam priuilegium, manifeste indicat mitigationem factam in paupertate, aliàs non esset priuilegium. Tandem non reuocat Syndicos Nicolai Tertij, & Clementis Quinti, quia non se extendunt ad redimenda quæcunque legata in iudicio, siue extra, &c. è manibus etiam illicite retinentium, mobilia, vel immobilia, vel alia quomodocumque obuenientia Fratribus, Ordini etiam non vrgentibus necessitatibus, igitur illi non redolent dispensationem, quam importare debent Martini IV. æconomi.

Et quidem adeò fortiter arctauit Fratres Ioannis Pontificis prohibitio, vt absque noua concessione, & confirmatione constitutionis Martinianæ per annos, & lustra Fratres non sint

ausi secundum priorem concessionem operari, igitur præ se ferebat dispensationem. Vt autem ea licitè vti valerent post sæculum, & lustrum, prouoluti ad pedes alterius Martini, humiliter petierunt reintegrationem Martini Quarti constitutionis, quam Summus Episcopus ex motiuis à Fratribus enarratis, & alijs, annuendo eorum petitioni, non absolute, sed hac adiecta limitatione: *Tamdiù, & quousque per Sedem prædictam aliud in præmissis eidem Ordini vtilius fuerit ordinatum, confirmauit.* Si vtilius potest ordinari, ac ordinet Martini Quarti dispositio, igitur ordinat dispensationem paupertatis Martini Quarti diploma.

Confirmationem, de qua loquimur constitutione Martini Quarti, hac sua dedit Martinus Quintus his verbis, vt refert Orb. Seraph. tom. p. lib. 3. fol. 513. & alij.

MARTINVS PAPA QVINTVS.

Amabiles fructus, &c. Dudum siquidem felicis recordationis Martini Papæ Quarti Prædecessoris nostri literæ emanarunt tenoris subsequentis. Martinus Episcopus, &c. vt supra de verbo ad verbum in hoc capite §. post Clementem Quartum. *Cum autem sicut exhibita nobis nuper pro parte Ministrorum, Custodum, & Fratrum Prædictorum petitio continebat, licèt ipsi ex literis, & concessione prædictis magnum commodum, quo puram in ipso Ordine obseruantiam tenere; & quietius Diuinis officijs, ac contemplationi vacare valerent, se consequi, reportareque perspiciant; ipsi tamen pia memoria Ioannis Papæ vigesimi secundi etiam Prædecessoris nostri constitutione, quæ incipit. Ad Conditorem. &c. per quam Ministris, Custodibus, & Fratribus prædictis ne literis, & concessione prædictis, sine Apostolicæ Sedis speciali licentia, vtantur inter cætera prohibetur, obstante literis, & concessione prædictis siuè conscientiarum suarum scrupulo licitè vti non posse formidant, licentia huiusmodi desuper non obtenta, pro parte Ministrorum, Custodum, & Fratrum prædictorum nobis fuit humilitèr supplicatum, vt super his, eis, & eorum statui, & commoditatibus paternalitèr prouidere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ex præmissis,*

& ca-

& cæteris alijs causis animum nostrum mouentibus, huiusmodi supplicationibus inclinati, volumus, & auctoritate Apostolica tenore præsentium Ministris, Custodibus, & Fratribus prædictis, concedimus, quod ipsi literis prædictis, ac omnibus in eis contentis liberè, ac licitè vti valeant, tamdiù, & quousque per Sedem prædictam aliud in præmissis eidem Ordini vtilius fuerit ordinatum, non obstante præmissa, & alijs, cæterisque contrarijs quibuscunque. Nulli, &c. Dat. Romæ apud Sanctos Apostolos Kalendis Nouembris anno vndecimo.

In hac igitur confirmatione defert Pontifex paternaliter statui, & commoditatibus Minorum, donec vtilius fuerit à Sancta Sede prouisum, quid est autem deferre commoditatibus Fratrum, donec vtilius disponatur, & ordinetur? igitur constitutio Martini Quarti indulgebat commoditatibus Fratrum, & propellebat rigorem Regulæ, in quo? non nisi in voto paupertatis, vt conficitur ex verbis bullæ, & ex alia Ioannis vigesimi secundi. *Ad Conditorem* igitur, &c.

Sed, & Paulus Quartus in sua. *Ex Clementi*, prima penes Rodericum tom. 2. bull. reuocauit prohibitionem Ioannis vigesimi secundi *Ad Conditorem*, dans liberam, & amplam facultatem Patribus de Obseruantia Martini Quarti constitutione vtendi. Ad quid ingeminare reuocationem constitutionis *Ad Conditorem*, ac in pristino statu reponere Martinianam, si hæc nihil redolet dispensationis? hoc item egerunt Sixtus Quartus, & Iulius Secundus in hoc capite cum suis decretis allati, quibus reuiuiscere voluerunt præfatam Martini Quarti constitutionem. Cur toties linire parietem reedificatum, si paries ad nihil prorsus erat apars, ac si non fuisset? si paupertatis rigorem, & ardorem in nullo obtundit? *Eugenius Quartus item*, scribit P. de Gubernatis de Syndico allatus supra num. 10. fol. 511. *In decretali prouisionis nostræ confirmauit prædictas literas Martini Quinti, & reuocauit extrauagantem Ioannis: Ad Conditorem*, & post. *Similitèr fecerunt Calixtus Tertius, Nicolaus Quintus, Pius Secundus, Paulus Secundus, & Sixtus Quartus, &c.*

Pontifices igitur Sixtus Quartus, & Iulius Secundus, cum quibus constitutiones Piæ, quorum textus initio huius capitis allatus est, astruunt manifestam dispensationem in paupertate Minoritica patratam à Martino Quarto in sua: *Exultantes*, adducta supra.

Et sane agendo de Sixti Quarti memorata constitutione, in illa Pontifex, nec ad dextram, nec ad sinistram se vertit, sed recto tramite incedit cum Martino Quarto, & Quinto, ac Eugenio Quarto, nec plus concedit Minoribus, quam indulserint præfati Ecclesiæ Romanæ Pastores Summi, vt patet ex eius verbis, in constitutione: *Dum fructus, &c.* & in alia. *Licet dudum, &c.* & indiuidualiter descendendo ad Martinum Quartum, ait: *Quodque eadem Romana Ecclesia, & pro ea illius Syndici, iuxta literarum prædictarum Martini Quarti Prædecessoris nostri probati tenorem pro tempore nominati, in substitutionibus relictis, legatis, donationibus, alijsque pijs, & non pijs dispositionibus prædictis, nec non ex illis quæ ab intestato, professoribus dicti Ordinis (si capaces forent) deferrentur, hæreditatibus, & bonis, quæ ingredientes Ordinem ipsum, sub conditione mortis eorum sine filijs restituere grauati sunt, id totum petere, consequi, & habere possint, ac si institutiones, substitutiones, relicta, legata, donationes, aliaque dispositiones huiusmodi in ipsius Romanæ Ecclesiæ vtilitatem nominatim emanassent, vel emanarent, &c. Habeantque Syndici circa præmissa parem, quam idem Martinus Quartus Prædecessor eos habere voluit circa, in eisdem literis suis contenta, facultatem:* Ex quibus ad hominem hoc agitur argumentum in Aduersarios. Sixtus Quartus secundum de Gubernatis de Syndico, vt supra num. 17. dispensat paupertatem Minoriticam (& quidem non alijs literis quam citatis) igitur & Martinus Quartus, cum quo se conformem facit, & eius constitutionem confirmare se declarat, ac iuxta illam tribuere facultatem syndicis.

Dices Sixtus Quartus instituit Syndicum se extendentem ad possidendas hæreditates, & prouentus, iuridicè nomine proprio, igitur cum hoc non egerit Martinus Quartus, imò reserua-

referuauerit proprietatem, & dominium omnium Minoribus obuenientium Romano Pontifici, vel Ecclesiæ Romanæ, vt patet in sua: *Exultantes*, non erit æquanda Sixti Quarti concessio cum Martiniana, vel è contra.

Respondetur assumptum in antecedenti esse omnino voluntarium, & immediate contra Pontificis verba. Ait Sixtus in sua. *Dum fructus, &c. id totum petere, consequi, & habere possint, ac si institutiones, substitutiones, relicta legata, donationes, aliaque dispositiones huiusmodi in ipsius Romanę Ecclesię vtilitatem, nominatim emanassent, vel emanarent*, & parum supra dixerat. *Quodque eadem Romana Ecclesia, & pro ea illius Syndici, iuxta literarum prędictarum Martini Quarti, prędecessoris nostri præfati, tenorem, pro tempore nominati in substitutionibus, relictis, legatis, donationibus, alijsque pijs, & non pijs dispositionibus prędictis, nec non ex illis, quæ ab intestato professoribus dicti Ordinis (si capaces forent) deferrentur* (his verbis tangit priuilegium Clementis Quarti supra positum: Obtentu, &c.) *hæreditatibus, & bonis, quę ingredientes Ordinem ipsum, sub conditione mortis eorum sine filijs, restituere grauati sunt; id totum petere, &c.* vt supra; falsum est igitur Sixtum Quartum concessisse Minoribus nomine proprio possidere posse bona relicta, &c. imò vsque ad Tridentinam Synodum proprietas rerum, ac bonorum omnium attinentium quacunque ex causa Minoribus, spectauit, eodem modo, ad Ecclesiam Romanam, vt testantur constitutiones Piæ allatæ initio huius capitis omninò videndæ, quibus patet etiam Martinum Quartum sua *Exultantes, &c.* dispensasse paupertatem Minorum. Tandem si non displicet Aduersarijs etiam hanc veritatem confirmari Vrbanis constitutionibus, illas aperiam, vt vnà simul legamus in cap. 4. Regulæ fol. 147. de Syndicis Conuentuum tit. 3. sed quæsò attente audiant Aduersarij. *Cum olim* (ait constitutio) *Seraphica nostra Religio nondum bona in communi posideret, Syndicos, seu Santesios, vel Operarios habere, ac instituere consueuerat. Cum tamen ex Sacri Concilij Tridentini Decreto* (sess. 25. de Reg.) *Summorumque*

rumque Pontificum concessionibus bona in communi nunc possideat, decernimus, & statuimus, ut deinceps Syndici huiusmodi, seù quocumque alio nomine nuncupantur, Operarij, nullatenùs eligantur, &c. Igitur ante Tridentini concessionem, Minorum Religio prouidere non valebat nomine proprio, neque in particulari, quod nunquam erit, neque in communi, sed totum ius, ac proprietas spectabat ad Ecclesiam Romanam, & hac de causa vtebatur concessis Syndicis, vt vsum rerum communicarent, ac prouentus in vtilitatem Fratrum dispensarent; sed habita proprietate in communi, recesserunt Syndici, atque hanc fuisse mentem Sixti Quarti, scribit num. 10. de Syndico supra citatus P. de Gubernatis.

Aliud etiam potest erigi argumentum contra Aduersarios ad hominem. Siquidem, ideò Aduersarij conantur extirpare concessionem Clementis Quarti de adeundis hæreditatibus ab intestato prouenientibus Fratribus (ac si essent capaces in sæculo) quia, est apertissime paupertatis Minoriticæ mitigatiua; sane enim, si hoc non præberet, nullam difficultatem sentiret, nec tot clamoribus è Ciuitatibus, & locis propulsata, in desertum, melius in nihilum, ageretur. Tunc sic sed constitutio Martini Quarti, non minus, sed amplius concedit, quam Clementis diploma, igitur si negare nequeunt, Martini concessionem, multò minus negare valebunt Clementis Quarti constitutionem, vel si hac de causa tollunt Clementinam, quia manifestè linit rigorem paupertatis, hac etiam ratione ablegare tenentur Martinianam, minor probatur Clemens IV. concedit dumtaxat hæreditates ab intestato adiri posse, quæ obuenirent Fratribus, si degerent in sæculo, non autem concedit, illas per viam iuris, è manibus iniustè retinentium, auferre, litem instituere, &c. item non se extendit Clementina ad alia bona voluntariè relicta, ab illis quæ ab intestato obueniunt; vagatur igitur per omnia prædicamenta concessio Martiniana, descendit etiam ad bona sibi adiudicanda, vt ait Ioannes vigesimus secundus: *Ad Conditorem*, coram pedaneis iudicibus, igitur amplior, ac latior est Martiniana

niana

niana concessio, quam sit Clementina constitutio: *Obtentu*, *&c.* cum hæc nec concedat, nec permittat, igitur si vnum negatur alterum negari consequens est, si vnum conceditur, alterum concedi necesse est, & si de quo minus conceditur, & de quo magis, &c. minus autem concedi debet, quod magis dilatat paupertatem, & tamen ei aut dicitur, & hoc est breue Martinianum, igitur recede hinc Clementino dici non valet minus officienti paupertati, vel si hoc deturbatur, propulsetur, & illud.

Cum autem vniformitèr se habeant diplomata pro Syndicis Martini Quarti, Nicolai Quarti, Clementis Quarti, & Innocentij Quarti, hoc in capite, & 3. suis locis transcripta, omnia ad ampliorem collimabunt lenitionem paupertatis, quam breue Clementis Quarti: *Obtentu*, *&c.* adeò exosum Aduersarijs, vt nec nomen eius audire velint, sed vt probatum est, sine causa, quod autem eidem redoleant constitutiones præfatæ, legentibus aperietur.

Verum Aduersarij, vt dicta confodiant exeunt galea, lorica, arcubus, pharetra, & frameis armati, & tensis arcubus hanc ei anulantur sagittam. Clemens Septimus anno 1530. data bulla: *Vacantibus*, *&c.* Nicolai Tertij, Clementis Quinti, Innocentij Quarti, & Martini Quinti Syndicos Apostolicos non esse contra Regulæ puritatem Apostolica auctoritate definiuit, vndè in generalibus Ordinis statutis, dicitur Syndicos huiusmodi non esse contra Regulæ puram obseruantiam, aut in Regula dispensationem. Confirmatur, quia Innocentius vndecimus in motu proprio: *Solicitudo Pastoralis officij*, quam pro sustinenda pura Regulæ obseruantia edidit, id conceptis verbis definitur, quod iam à Paulo Quarto in bulla: *Ex Clementi Sedis Apostolicæ*, *&c.* apud Rodr. bulla prima diffinitum fuisse legimus, ità arguit P. de Gubernaris de Syndico supra citatus fol. 511. num. 10. vide supra, igitur, &c.

Ad faciliorem reparationem huius argumenti, vtque facilius sagitta recidat in sagittarium, non displiceat Lectori hic me transcribere bullam Innocentij vndecimi citatam, ex 2.

tomo

tomo Orb. Seraph. lib. 6. cap. 13. fol. 188.

INNOCENTIVS PAPA VNDECIMVS.

Sollicitudo Pastoralis officij, &c. Cum itaque (sicut accepimus) in pluribus Capitulis generalibus Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Obseruantia nuncupatorum, & nouissimè in Vallisoletano, quod anno 1670. celebratum fuit, vnanimi omnium Fratrum vocalium consensu declaratum, & protestatum fuerit, in nullo Regulæ eorundem Fratrum Minorum præcepto, eatenus cum Fratribus Minoribus de corpore Obseruantiæ, siuè Obseruantes, siuè Reformati, siuè Discalceati, siuè Recolecti dicantur, dispensatum fuisse, nec ipsum Obseruantiæ corpus, vllam vnquam admisisse, vel admittere dispensationem in Regula, sed potius velle pro viribus, Diuino fauente auxilio, illam purè obseruare, iuxtà Summorum Pontificum declarationes, à Fratribus Obseruantibus seù de Obseruantia in suis statutis generalibus compilatis pro Cis. Montanis anno 1663., & pro Vltra-Montanis 1621., & à Reformatis, Discalceatis, & Recolectis in suis particularibus constitutionibus respectiuè admissas, & receptas. Nos pro maiori huius protestationis firmitate, & vt in Ordine prædicto status, & Regula Fratrum Minorum purè obseruetur, singulisque Fratribus prætextus eam transgrediendi præcludatur, eandem protestationem, & declarationem supra expressam, harum seriè auctoritate Apostolica approbantes, & confirmantes, motu proprio, ac ex certa scientia, & matura declaratione nostris, deque Apostolica potestatis plenitudine tenore præsentium declaramus, omnes, & singulos Fratres de corpore Obseruantiæ dicti Ordinis teneri in conscientia obseruare Regulam Fratrum Minorum S. Francisci, & præcepta eius à fælic. recor. Nicolao Tertio, & Clemente Quinto Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris exposita, & numerata ad formam constitutionum prædictarum respectiuè, & signantèr pratèr præcepta, quæ non ita frequentèr occurrunt, & recitationem Diuini officij, teneri ad ieiunia præcepta in Regula, nisi excuset necessitas, ad incedendum sine calceamentis, hoc est, absque aliquo, quod pedem coeperiat, cuiuscunque materiæ illud sit, nisi adsit vera necessitas à Prælato approbanda,

probanda, ad non equitandum, nisi infirmitas, vel necessitas iudicio Superiorum probata, excuset; ad vilitatem vestium iuxta predictas constitutiones respectiuè, ad non vtendum pluribus vestimentis, quam illis, quę Regula prascribit, nempè vna tunica cum Capucio, & alia sine Capucio, Chorda, & fœmoralibus: nam aliud quoduis vestimenti genus, vltra pradicta (excepto Mantello ab initio Religionis licito) vt indusia, seu camisia, sudariola, tunicella, & similia sunt contra Regulam, nisi adsit vera necessitas excusans à pracepto per Pralatum approbata; ac demum teneri ad capitale praceptum, Religionis Fratrum Minorum, de non recipiendis denarijs per se, vel per interpositam personam. Aliarum enim rerum necessariarum possunt Fratres Minores de corpore Obseruantiæ huiusmodi habere vsum, licet non dominium; denariorum autem, nec dominium, nec vsum, & proindè quæuis contractatio pecuniæ, seu denariorum, quæ non sit puri naturalis, sed quæ sit quouis modo politica, cuiuscunque domini sint denarij, seu pecunia, Fratribus Minoribus de Obseruantia est omnino prohibita: Ac propterea omnes, & singulas dispensationes, concessiones, & consuetudines, si quæ contra præmissa in corpore Obseruantiæ Ordinis prædicti reperiantur, motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus earundem, tenore præsentium reuocamus, cassamus, irritamus, & annullamus, viribusque; & effectu pœnitus, & omnino vacuas esse, & perpetuò fore decernimus, & declaramus. Declarantes tamen paritèr, quod per præmissa non prohibentur in dicto Ordine Syndici Apostolici, cum eorum vsus non sit dispensatio in Regula, sed modus à Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris prouisus, pro puriori illius obseruatione, siuè eiusmodi Syndici assumantur ad præscriptum constitutionum Nicolai Tertij, & Clementis Quinti, Prædecessorum prædictorum, siuè secundum dispositionem const. recor. memor. Martini Quarti, & Martini Quinti, & Pauli Quarti Prædecessorum paritèr nostrorum, prout illorum vsus in singulis Familijs, Congregationibus, Reformationibus, aut Prouincijs Ordinis prædicti respectiuè fuerit receptus. Vt autem in ingressu Religionis vnusquisque de obligationibus, quas

assumere

assumere vult, plenè informetur, statuimus, vt nullus recipiatur ad habitum regularem in eodem Ordine, nisi prius plenè informatus sit de prædictis præceptis Regulæ obligantibus in conscientia, & propria hac notitia velit probationem subire; nec quisquam admittatur ad professionem regularem, nisi prius examinatus sit de intellectu Regulæ, & præceptorum eius iuxta prædicta; & deindè immediatè ante illum coram tota Communitate fiat ei protestatio, quod ad Obseruantiam Regulæ cum omnibus eius præceptis, tunc enumerandis, & exprimendis, obligetur in professione, eamque protestationem admittat, & sub ea professionem faciat: Quia verò efficacius prædicta obseruandi medium, est exemplum Prælatorum, siue Superiorum, ideò statuimus paritèr, neminem eligi posse in Prælatum, siuè Superiorem in Ordine prædicto, qui vitam communem Obseruantiæ non sequatur; hoc est, qui frequentèr equitet, seu infirmitatem, quæ ab obligatione pedibus incedendi excusetur, habeat, qui indusijs, seu camisijs, aut lineis vtatur apud se, vel in lecto, qui calceatus incedat; qui ieiunia Ecclesiæ, & Regulæ non obseruet, qui aliquando visus sit contrectare pecunias, nisi iam per triennium saltem emendatus sit, qui notabiliter defectuosus sit in assistendo Communitatibus Chori, Refectorij, & alijs, pro vt sibi in constitutionibus præscribitur. Porrò electio illius, qui in omnibus præmissis vitam communem non sequatur, irritanda sit à Prælato, siue Superiore Generali capta informatione extraiudiciali, pro sua conscientia, sine strepitu iudicij, cum consilio tamen, & assensu trium Fratrum, qui Ministri Prouinciales, vel saltem Diffinitores Prouinciæ sint, vel fuerint; ipsorum autem conscientias, ne aut ille expellatur, qui vitam communem sequatur, aut ille confirmetur, qui eam non obseruet, oneramus. Demum, vt omnis occasio transgrediendi præceptum, de non contrectandis denarijs, seu pecunijs auferatur, omnibus, & singulis dicti Ordinis Prælatis, iniungimus, vt nulli Religioso eiusdem Ordinis permittant administrationem fundorum, redituum, aut quarumcunque aliarum rerum, & bonorum mobilium, vel immobilium, cuiuscunque Domini illa sint, & signanter, vt nulli Religiosorum Ordinis

huiusmodi

huiusmodi permittatur administratio bonorũ temporalium alicuius Monasterij Monialium sub quouis prætextu, ac nomine, nempe Administratoris, Syndici, Factoris, Coloni, superintendentis, Villici, aut alio quouis imaginabili. Decernentes easdem præsentes literas, & in eis contenta, quæcunque, etiam ex eo quod Superiores, & Fratres Ordinis prædicti, alijsque quilibet, cuiuscunque status, gradus, ordinis, præeminentiæ, vel dignitatis existant, seu aliàs specifica, & indiuidua mentione, & expressione digni, in præmissis interesse habentes, seù habere quomodolibet prætendentes, illis non consenserint, seu ad ea vocati, citati, & auditi, causæque, propter quas ipsæ præsentes emanarint, sufficienter adductæ, verificatæ, & iustificatæ non fuerint, aut ex alia qualibet, etiam quantumuis iuridica, legitima, & priuilegiata causa, colore, prætextu, vel capite etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, nullo vnquam tempore de subreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensu, alioue quolibet, etiam quantumuis magno, & substantiali, ac incogitato, ac inexcogitabili, indiuiduamque expressionem requirente, defectu notari, impugnari, infringi, retractari, modificari, redargui, in controuersiam vocari, aut ad terminos iuris, seù statutorum, & constitutionum dicti Ordinis reduci, seù aduersus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudue quodcunque iuris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato, quempiam in iudicio, uel extra illud uti, seu se se iuuare ullo modo posset, &c. Non obstantibus, &c. Datum Romæ die 20. Nouembris 1679 Pontificatus anno 4.

Respondetur ad argumentum principale Clemens Septimus, &c. ità vt vtilius possit ordinari pro pura obseruantia Regulæ, quam ordinet constitutio Martini Quarti, & eius Martini Quinti confirmatio, vt in eadem confirmatione asserit idem Martinus Quintus, vt parum supra notauimus concedimus antecedens, seu dicimus ita intelligendum Clementem, & cæteros Pontifices, ita vt vtilius prouideri non valeat,

negamus

negamus antecedens, seù dicimus non ità intelligendos Pontifices, ait enim Martinus Quintus se confirmare, ac in pristinum statum reponere concessionem Martini Quarti, non absolutè, sed quousque per Sedem Apostolicam aliud in præmissis (hoc est Martini Quarti literis) eidem Ordini, vtilius fuerit ordinatum; quid est quæso vtilius? idest, cum saniori, puriori, meliori, ac sinceriori Obseruantiæ Regulæ ordinatione, iuxta quam Pontificiam Responsionem; Respondetur 2. Clemens Septimus, &c. quo ad substantiam concedo antecedens, quo ad accidentia, & modum nego antecedens; Syndici Martini Quarti, vtique non infringunt paupertatem in substantia, quia nullum ius tribuitur illis, vel dominium, & proprietas seù in particulari, vel in communi pro Fratribus, attemperant tamen illius rigorem, quia ipsorum vsu prouidetur necessitatibus omnibus tam ingruentibus, quam futuris, & non ingruentibus Fratrum, omnes hæreditates, & relicta capi possunt, & à vi retinentibus, & negantibus contra voluntatem Fratrum, iuridice, & strepitu iudicij, etiam pro minimis, & coram pedaneis iudicibus, repeti, &c. eo quidem his dimissis, vtilius paupertati prouideretur, vt patet ex bulla Ioannis vigesimi secundi *Ad Conditorem* superius tacta; Syndici igitur præfati stant cum pura obseruantia, sed non vtiliori, vnde sic etiam distingui potest antecedens, non esse contra Regulæ puritatem, & vtiliorem nego antecedens, & non vtiliorem concedo, quidquid autem dicatur in statutis generalibus Ordinis Patrum de Obseruantia, non curamus; attendimus enim ad dicta Pontificum, & cæteris supra adductis ad ostendendam dispensationem imbibitam in constitutione Martiniana, & similibus.

Ad confirmationem ex bulla Innocentij Vndecimi quantum ad id quod tangit de Martino IV, & V. nam quo ad Nicolaum Tertium, & Clementem Quintum, certum est eorum designatos Syndicos nil puritati, Regulæ officere, & vtiliori modo pro illius Obseruantię puritate ex ipsorum deputatione prouisum fuisse, nec vllam importare dispensationem) eodem modo

modo respondetur; eorum vsus non est dispensatio in Regula quo ad substantiam concedimus, quo ad modum negamus: non est dispensatio in substantia concedimus, in modo negamus, est modus prouisus pro puriori Regulæ obseruatione, & vtilior negamus, non vtilior concedimus; hoc est his modis vult intelligi sua dicta Sanctissimus, quod patet ex eo, quod loquitur vniformiter ad constitutionem Martini Quinti, qui absolutè dixit vtiliori modo prouideri posse, ac fecerat Martinus Quartus; cum igitur ex ore Pontificis Martini Quinti habeamus puriori modo, & vtiliori prouideri posse pro pura obseruantia Regulæ, ac factum sit à Martino Quarto in eundem sensum currunt omnes post ipsum Pontifices asserentes huiusmodi Syndicos nil officere puritati Regulæ; vnde conuincitur prefatorum Syndicorum concessionem esse minus rigorosam dispensationem Regulæ, quia cadit super accidentia, & modum; ex his etiam conficitur à tempore Martini etiam Quarti inualuisse dispensationem modalem, quam licet voluerit extingui Ioannes vigesimus secundus, illam tamen restituit Martinus Quintus, donec, & quousque à Sede Apostolica fuisset vtilius prouisum, sicut, & cæteri Pontifices adducti post ipsum.

Protestatio autem, quam fecerunt Patres de corpore Obseruantiæ Summo Pontifici Innocentio Vndecimo, seù declaratio, vt aiunt, in nullo Regulæ præcepto vsque modo fuisse dispensatum cum Fratribus de corpore Obseruantiæ, siue Obseruantes, siue Reformati, siue Discalceati dicantur, siue Recolecti, nec ipsum Obseruantiæ corpus vnquam admisisse dispensationem in Regula, est contraria facto, & veritati; Martinus enim Quintus in constitutionibus in Capitulo Assisiensi, de illius mandato anno 1430., latis (Martinianæ hac de causa nuncupatæ) super quartum caput Regulæ. *Quod Fratres non recipiant pecuniam*: in voto paupertatis dispensauit his verbis: ***In omnibus autem, quæ vltra hoc magis videntur arctare Fratres, siuè ex declaratione Clementis, siuè quacunque alia declaratione Summorum Pontificum, vel aliorum quorumcunque,***

cunque, Apostolica nobis auctoritate commissa, misericorditer dispensamus (quid est hoc, dicant negantes in paupertate dispensationem; *Misericorditer dispensamus? non obstringentes eos propterea, qui voluerint prædictas declarationes seruare, quando suo voto satisfacientes seruare valeant, & tenere.: Quæ quidem constitutiones* scribitur in Chronologia Seraphica sæpius citata, folio 98., *omnibus tam Conuentualibus, quam de Familia admodum placuerunt, omnesque eas obseruare se iuramento vinxerunt, & præsertim Generalis Minister; sed antequam de Capitulo recederent ad ipsarum obseruantiam, se iuramento ligasse, eos pœnituit; quapropter à præfato iuramento clam absolui petierunt, & obtinuerunt: Fratres verò Familiæ ipsas acceptauerunt, & vsque in præsentiarum tenent, & obseruant, ac in omnibus ferè generalibus Capitulis confirmant, ita tamen quod non obligent ad peccatum mortale*. Si constitutiones præfatas in omnibus ferè generalibus comitijs Religiosi de corpore Obseruantiæ, & Proceres quidem, pro se ipsis, & subditis, denuo reuerentur, acceptant, & confirmant, quomodo verum erit, nunquam in Regula fuisse dispensatum, nec dispensationem admisisse, si, vt dictum est, stat in illis actualis dispensatio? quam in illis inuiscerari, vt magè capiatur, eisdem hanc præmisit idem Chronologus inscriptionem in fronte folio 90.

Constitutiones, siue declarationes generales, & Papales Martini Papæ Quinti super Regulam Fratrum Minorum, composita olim, & impetrata, à Venerabili, & totius Sanctitatis Viro Fratre Ioanne de Capistrano, quibus ea, quæ de Sanctissima paupertate Christi, & Ordinis ponuntur in declaratione, & decretali Domini Nicolai Papæ Tertij, & de Procuratoribus D. Papæ per Nicolaum Tertium, & Martinum Quartum ordinatis, & quod alias per quasdam extrauagantes D. Ioannis vigesimi secundi suspensa fuerunt reponuntur, & inconcusse seruari mandantur, & alia plura cæteris, vltra &, quæ ibidem ponuntur, & allegantur, dispensatis anno Domini 1430.

Harum etiam constitutionum dispensationem agnouit, & fassus

faſſus eſt P. Dominicus de Gubernatis tomo tertio Orbis folio 82. his verbis. *Ad illa concordiæ pacta deuentum eſt, per quæ reſecatis abuſibus aliquorum, atque temperatis Obſeruantium rigoribus, vtriſque vacaret in Regulæ puritate, nec non in sancta concordia vitam tranſigere*, quæ extenſius adduximus cap. p. §. pro coronide, & iterum tomo 2. lib. 6. cap. 13. folio 187. ſed mordaci calamo his alijs. *Quamuis autem ab initio Ioannes de Capiſtrano (* ideſt Beatus Ioannes *) Ordinis vnionem ſincerè affectans, vt Conuentuales cum Obſeruantibus concordare poſſet conſtitutiones quaſdam, quæ Martiniana dicuntur, auctoritate Apoſtolica in primo generaliſſimo Aſſiſienſi Capitulo ediderit ab vtraque parte indifferenter obſeruandas, in quibus, quantum ſalua Regulæ integritate, licuit, Conuentualium iam inueteratæ libertati aliqualiter indulſit, quæ zelum ſine ſcientia habentibus, placere non potuerunt*: Si ergo Beatus Ioannes libertati Conuentualium aliqualiter indulſit illis in conſtitutionibus, quæ ad vnguem approbatæ, & confirmatæ fuerunt a Martino Quinto, & eius nomine, & agnomine lucem viderunt, diſpenſatio in Regula irrepſit, & acceptata fuit etiam ab Obſeruantibus, imò ab ipſis præcipuè, qui illas iuramento coluerunt, nunquam ab illo abſoluti, vel diſpenſati, ac in eorum venerationem in comitijs generalibus confirmarunt deinceps; nam Conuentualibus, vt ait Aduerſarius, zelum ſine ſcientia habentibus, placere non potuerunt. Iſti tamen Conuentuales, licet ſine ſcientia, libertate inueterata in Regulæ obſeruantia potiebantur ante Martinianas conſtitutiones, ait Aduerſarius, velit igitur illos inſipientes, antiquos, & inueteratos, concedit, vnde illis maledicens, benedicit eorum priſcæ, ac inueteratæ exiſtentiæ; Erant igitur antiquitus ante Eugenium Quartum, & Martinum Quintum Minores Conuentuales, ſi inueterati iam erant tempore Martini Quinti in libertate Regulæ; hoc ſibi repugnans Aduerſarius effugere nequit, vel tunc fuiſſe Conuentuales, ſi erant libertati Regulæ dediti, quod ſæpiſſimè negat, vel non fuiſſe libertati adhærentes, ſi non erant, quia accidens nequit eſſe ſine ſubiecto. Eligat quod

ſibi libet Aduerſarius, nam interim contradictiones pleno hauſtu deglutit.

Et ex eius dictis manifeſtè infertur Martinum Quintum in primo Aſſiſienſi Generali Religionis conſeſſu non derogaſſe priuilegijs, imò dum diſpenſans inuenitur in Regula, confirmaſſe, neque hoc fuiſſe illius Capituli primarium intentum, abdicare, ſcilicet, priuilegia, vt dicebat Aduerſarius allatus parum ſupra §. ad 2. motiuum in hoc capite; ſed vnio totalis, & perfecta Conuentualium, & Obſeruantium, & abdicatio, & extinctio Vicariorum, quod, & factum eſt; hac enim de cauſa in citatis conſtitutionibus (vt in Chronologia citata folio 91.) primo primum ſtatuitur capite primo hoc generale mandatum. *Caput primum. Item ſtatuimus, & ordinamus, quod omnes, & ſinguli Gallici, Hiſpanici, & Theutonici, & quicunque alij per Orbem Terrarum conſtituti, obedire teneantur, & debeant ſuis Prælatis, ſcilicet Generali Miniſtro, Prouincialibus, Cuſtodibus, & Guardianis, & quibuſcunque alijs Prælatis Ordinis per Regulam datis, non obſtante quocunque priuilegio, ſeu indulto quomodocunque, & qualitercunque conceſſo in Concilio Conſtantienſi, in Curia Romana, vel alibi vbicunque, caſſando, reuocando, & annullando, & nullius decernendo valoris, ac ſi nunquam conceſſa fuiſſent.*

Vndè non ſine cauſa præfatæ proteſtationi, redarguendo illam, obſtat idem Sanctiſſimus Innocentius Vndecimus in allata bulla his verbis. *Ac propterea omnes, & ſingulas diſpenſationes, conceſſiones, & conſuetudines, ſi quæ contra præmiſſa in corpore Obſeruantiæ Ordinis prædicti reperiantur, motu, ſcientia, deliberatione, & poteſtatis plenitudine paribus earumdem, tenore præſentium reuocamus, caſſamus, irritamus, & annullamus, viribuſque, & effectu penitus, & omnino vacuas eſſe, & perpetuo fore decernimus, & declaramus.* Sciebat enim Pontifex dudum in Clementina, *Exiui*, &c. rigoroſum hoc emanaſſe præceptum. *Hinc eſt etiam, quod cum vir Sanctus Fratres ſuos in paupertate ſumma, ac humilitate fundare voluerit, quo ad affectum pariter, & effectum, ſicut ferè Regula tota cla-*

mat,

mat, conuenit ipsis, quod nullo modo deinceps fieri faciant, vel fieri sustineant Ecclesias, vel alia quęcunque ędificia, quæ considerato Fratrum inhabitantium numero excessiua in multitudine, & magnitudine debeant reputari; ideoque volumus, quod vbique in suo Ordine deinceps temperatis, & humilibus ædificijs sint contenti, ne huic tantæ paupertati promissæ, quod patet oculis, contrarium foris clamet: Quamuis etiam paramenta, & vasa Ecclesiastica ad honorem Diuini nominis ordinentur, propter quem omnia fecit ipse Deus; tamen qui absconditorum est cognitor ad animum sibi ministrantium respicit principaliter non ad manum, nec per illas sibi vult seruiri, quæ suorum seruitorum conditioni, & statui dissonarent: propter quod sufficere debent eis vasa, & paramenta Ecclesiastica decentia, in numero, & in magnitudine sufficientia competentèr: superfluitas autem, aut nimia pretiositas, vel quæcunque curiositas in his, seù alijs quibuscunque, non potest ipsorum professioni, vel statui conuenire; cum enim hæc sapiant thesaurizationem, seu copiam; paupertati tantæ quo ad humanum iudicium derogant manifestè; quapropter præmissa seruari à Fratribus uolumus, & mandamus: & tamen illi à Leone X. in bulla *: Merentur uestra deuotionis, &c.* quam affert Roder. tomo p. bulla quinta Leo X., derogatum est omnino: concedendo, quod Fratres Minores Obseruantes possint habere domos amplas, & curiosas, & ornamenta pretiosa Ecclesiastica.

Nec tollit hanc fuisse altam in prædictis dispensationem, eo quod ipsos declarauerit simplices vsuarios, & dominium spectare ad Romanam Ecclesiam, & quod hoc fiat interdum à Principibus, & Dominis, qui operari nolunt secundum quod congruit Minorum paupertati, sed secundum quod conuenit eorum excellentiæ: nam ante Concilium Tridentinum, vt parum supra ostensum est, omne dominium quarumcunque rerum, & proprietas spectauit ad Romanam Sedem Apostolicam, & tamen in multis fuit dispensatum; similiter si dimissis rudibus indumentis, & canabe quo Minores cinguntur, præciperet Pontifex ipsos indui vestibus pretiosis, & serico

cinctorio ligari, cum protestatione, quod proprietas spectaret ad Romanum Pontificem, & solus facti vsus ad Minores, quis tollere posset hoc mandatum ire in prægrandem dispensationem? neque ad hoc excusat liberalitas Principum, nam vt dictum est cum Clementina, illi semper paupertas promissa obijcienda est; imò in hoc Principes alte ædificarentur. Tum quia in constitutionibus Nicolai Tertij: *Exijt, &c.* & Clementis Quinti *Exiui* manifeste Pontifices isti se declarauerunt non recipere in dominium, & proprietatem sui, vel Romanæ Ecclesiæ nisi, quæ Minoribus licite, & congrue, & secundum veras, & ingruentes necessitates competere quærunt, non illicitas, incongruas res, & quę illis secundum pręsentes necessitates non conueniunt, & indiuidualiter id exprimit Clemens de vanis, curiosis, ac superbis ædificijs, ac Ecclesiasticis vasibus, ac indumentis pretiosis, igitur, quæ illis fiunt licita, ac congrua, prius illicita, ac incongrua, talia fiunt per dispensationem, & receptio ipsa in dominium, prius abiecta, & nolita, ex hoc quod nolita, dispensationem redolet, nequit enim res mutari sine nouitate formæ receptæ, cum mutatio secundum philosophum 5. phys. t. 3. & 7. fit ex quodam in quiddam; alias, idem manens idem semper esset natum facere idem, vt docet idem Aristoteles 2. de gener. t. 56, & quidem cum omnis mutatio ab opposito in oppositum fiat: *omne quod mutatur*, ait Aristoteles 4. de gener. animal. cap. 3. *non in quodlibet, verum in sibi oppositum transeat, necesse est.* Ædificia in quantitate, & magnitudine, indumenta pretiosa, & vasa Ecclesiastica in numero, & valore, prius illicita Minoribus, & non dispensata, dum fiunt licita, per dispensationem fiant licita, hac enim posita mutantur ab illicita, ad licitum, igitur ipsa non posita remanent, sub priori statu illicito, & quidem cum dispensatio ex Scoto 3. d. 37. q. vn. A. *Sit reuocatio præcepti ab eo, qui illud condidit, ità ut, quod prius erat illicitum existente præcepto, licitum euadat reuocato præcepto ob causam licitam*, & ex D. Thom. p. 2. q. 97. art. 4. *licentia tributa rationabiliter ab habente auctoritatem, ut præceptum legis non seruetur;*

seruetur; cum prius fuerat præceptum Minoribus de non recipiendis, neque seruandis, neque vtendis supra commemoratis, & post relaxatum huiusmodi præceptum, interuenisse effugi non potest maximam, & essentialem dispensationem, quia cui conuenit definitio, & conuenire definitum necesse est per locum intrinsecum à substantia. Tum quia tales concessiones non motu proprio concedentis, sed ad Minorum petitionem, & instantiam factæ conuincuntur ex bulla.

Non latebat item Summum eundem Pastorem in alijs fuisse datas rigorosæ legis de paupertate seruanda reuocationes, non quidem quo ad substantiam, sed quo ad circumstantias, & modum Minoribus de corpore Obseruantiæ; quas ex Roderico, & P. Gabriele Fabro nos recensuimus initio huius operis errore quarto.

Dices Innocentius Vndecimus in bulla adducta omnes dispensationes à Minoribus de corpore Obseruantię eradicat, & omnino extinguit, & tamen concedit posse vti tuta conscientia Syndico instituto à Martino Quarto illis verbis. *Declarantes tamen pariter, quod per præmissa non prohibentur in dicto Ordine, Syndici Apostolici, cum eorum vsus non sit dispensatio in Regula, sed modus à Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris prouisus pro puriori illius obseruatione, siue eiusmodi Syndici assumantur ad præscriptum constitutionum Nicolai Tertij, & Clementis Quinti Prædecessorum prædictorum, siue secundum dispositionem constit. recor. memor. Martini Quarti, & Martini Quinti, &c.* igitur constitutio Martini Quarti: *Exultantes* nullam inducit dispensationem in paupertate Minorum.

Respondetur distinguo consequens, nullam inducit dispensationem, &c. accepta absolute, & vt iacet, sonatque verbis, nego consequentiam, accepta cum moderatione, vsu, & exercitio eiusdem, concedo consequentiam; accepta enim huiusmodi constitutione secundum imbibitam concessionem, nequit non importare altissimam dispensationem, vt conuicimus supra Pontificum auctoritatibus, & rationibus, at sumpta, vt cadit in vsu, nempe dimissa acceptatione rerum non

neceſſariarum, vel pro non ingruentibus neceſſitatibus, interpellatione iudiciali pro rebus relictis, ſtrepitu iudicij, conatibus, vt obtineantur res donatæ, &c. ita vt ſit vniformitas cum conſtitutionibus Nicolai Tertij, & Clementis Quinti, vtique tunc non redolet diſpenſationem, & quia vſus illius eſt huius tenoris in toto corpore Obſeruantium, vel debet eſſe; hac de cauſa ait Pontifex non importare diſpenſationem; ideò ad prædicta ſtatim ſubdit: *pro vt illorum vſus in ſingulis Familijs, Congregationibus, Reformationibus, aut Prouincijs Ordinis prædicti, reſpectiuè fuerit receptus:* receptio autem iſta eſt ad præſens cum illis limitationibus, præcipuè cum adſit iugis proteſtatio in Ordine de non acceptandis diſpenſationibus; hoc eſt ſuperfluis, curioſis, vanis, pretioſis rebus, &c. repetendis à retinentibus inuite in iudicio, vel extra cum violentia, laceſſendo Procuratores ad actiones violentas, & inſtantias agendas, &c. & tandem de non admittendis omnibus, & ſingulis, quæ rigoroſæ paupertati, ac in omni imaginabili gradu iuxta Regulæ præſcriptum; & ſecundum etiam hunc vſum, dicitur, quod Syndicus non ſit diſpenſatio in Regula, ſed modus facilior ad obſeruandam puritatem Regulæ; aliàs vrgent omnia dicta ſuperius pro diſpenſatione Syndico Martiniano, abſolute admiſſo, eandem conceſſionem paramentorum pretioſorum olim iiſdem Minoribus nuncupatæ Obſeruantiæ adderant Alexandr. VI. 1499. referente Vuadingo tom. 7. anno 1499. num. 21. cum quo Orb. Seraph. auctor. cit. loco cit. fol. 190. & Iulius Secundus Fratribus eiuſdem Ordinis, & Familiæ Regni Anglicani, vt habetur in præcitata bulla Leonis Decimi fine.

Vlterius ponderandæ ſunt Martini Quinti literæ, quas dicunt Aduerſarij primam fuiſſe in Ordine diſpenſationem, ac mutaſſe Minores, de Minoribus ſimpliciter, in Minores Conuentuales, ac tales appellandos ordinaſſe patraſſe; *cum minor Conuentualis*, aiunt, *ſit qui Pontificijs diſpenſationibus adhæret*; literæ autem ſunt ſequentes, vt relator eſt Vuading. Annal. tomo 5. fol. 221. num. 26.

Dilecto

Dilecto Filio Generali Ministro Ordinis Fratrum Minorum.

Ad statum Ordinis Fratrum Minorum conseruandum prospere, curam nostræ solicitudines dirigentes, ea libenter tibi concedimus, per quæ commoditatibus ipsius Ordinis, & Fratrum in eo degentium, vt Diuinis obsequijs intensius vacare possint, necessitatibus succuratur. Sanè cum possessiones, & alia quamplurima bona mobilia, & immobilia, tam per fidelium oblationes, donationes, & vltimas decedentium voluntates, quam aliàs multipliciter, diuersis Conuentibus, & locis dicti Ordinis pro ipsorum substentatione, & Diuini cultus obsequijs sint hactenus relicta, eorumque vsui deputata, & relinquenda sperent etiam in futurum. Nos volentes, Conuentuum, Locorum, & Fratrum huiusmodi opportunitatibus prouidere, sibi, donec aliud à Sancta Sede fuerit ordinatum, concedendi Procuratoribus Conuentuum, & Locorum dicti Ordinis, & pro tempore existentibus, vt possessiones, & loca quæcunque mobilia, & immobilia, ac annuos prouentus hactenus præfato Ordini, & eius Conuentibus relicta, & imposterum relinquenda, aut alijs nominibus acquisita, vice, & nomine Romanæ Ecclesiæ, ad quam rerum omnium mobilium, & immobilium huiusmodi ius, proprietas, & dominium, nullo medio, spectat, recipere, capere, tenere, & possidere, ac ipsorum fructus, redditus, & prouentus petere, & exigere, & percipere, illosque in commodum, & vtilitatem Fratrum ipsorum, Conuentuum, ac locorum, & aliàs in eorum vsus, quibus relicta, & deputata fuerunt dumtaxat, & de ipsorum consilio, requisitione, & assinsu conuertere, & exponere possint, & debeant, &c. Constitutionibus Apostolicis, ac statutis, declarationibus, & ordinationibus, tam Generalium, quam Prouincialium Capitulorum, consuetudinibus quoque Ordinis prædicti, & alijs in contrarium editis non obstantibus quibuscunque, plenam, & liberam, auctoritate Apostolica, concedimus tenore præsentium facultatem, ac etiam potestatem. Dat. Romæ apud Sanctos Apostolos 10. Kalendas Septembris Pontificatus nostri anno decimo tertio.

Testatur in hac sua constitutione Summus Pontifex ante

fui breuis editionem, Ordini Minorum, quam plurima bona mobilia, & immobilia vigore donationum, & testamentorum fuisse hactenus relicta, & Conuentuum, Locorum, ac Fratrum vsui iam deputata, quinimò ipsos Fratres sperare id deinceps euenturum, & tamen, neque factum repræhendit, nec desiderium redarguit, neque spem reprimit, vel retundit, cum si iniqua fuissent, & repræhensibilia, & redarguenda, ac reprimenda, & retundenda fuissent, & sanasset Pontifex insanè facta, concedendo ex benignitate posse retineri quæ malè accepta fuissent; cum igitur approbet patrata circa relicta, &c. spem, ac desiderium futurorum bonorum admittat, hæc omnia erant plausibilia, ac licita, sed cuius virtute? non nisi herclè ex Pontificijs dispensationibus, quarum erat admodum edoctus, igitur ante Martinum Quintum ipso approbante, fuerunt inter Minores incolæ dispensationes Pontificiæ.

Sed Aduersarij num. 157., & tom. 2. lib. 9. cap. 2. fol. 497. num. 18. volunt, ac repetunt bona accepta ante Martinum Quintum illegitime, ac summis abusibus fuisse à Minoribus recepta, ac vsui accomodata, non dispensatione, aliàs si priuilegia extitissent, addúcta fuissent in defensionem in primo generalissimo Capitulo Assisiensi, sicut post actum est anno 1517. sub Leone Decimo, atque in Martini recitatis literis, vt moris est, ad dignitatis, & firmitatis augmentum fuissent apposita.

Non veritati tamen consona fari aduersarios constat ex his, quæ supra diximus hoc eodem capite §. ad 2. motiuum, & quia videlicet argumentari ab auctoritate negatiuè nil concludat, & quia Pontifices huic Regulæ de memorandis concessionibus antecedentibus aliorum Pontificum; voto se non obstrinxerunt, & sæpè concessa, nulla habita commemoratione priscæ indulgentiæ iterum concedunt, & adduximus exempla loco citato, & tandem propter rationes allatas §. ad id quod additur hoc capite, &c. interim vrget Aduersarios ratio formata ex Martini Quinti diplomate non reprobantis, nec sanantis factum de receptione relictorum, nec reprimen-

tis desiderium, atque spem futurorum, habitam ante à se positam dispensationem.

Speculari quis poterit contra dicta illaque sic confutare. Dispensatio, vt innuimus parum supra S. nec tollit, ex Scoto: *Est reuocatio praecepti, qua posita, quod erat illicitum existente praecepto, fit licitum;* igitur si Pontifices tot ediderunt, quot enumerauimus, dispensationes, praecipue in voto paupertatis Minorum deletum erit pro Minoribus votum paupertatis.

Respondetur duplicem dari dispensationem, aliam praecepti principalis, aliam praecepti de modo seruandi illud, dispensationes Pontificiae cadunt supra legem de modo seruandi paupertatem, non supra praeceptum essentiale paupertatis; partiales sunt, non totales huiusmodi dispensationes, & allata diffinitio Scotica accipienda, & intelligenda est in sensu accomodo, si de principali praecepto, totaliter, si de modo, & circumstantijs, partialitèr, ac modalitèr. Aliàs cum Patres de corpore Obseruantiae fuerint olim in multis dispensati, vt mox dicebamus, pro ipsis etiam fuisset extinctum Minoriticae votum paupertatis; imò si quid concluderet speculatio, nulla Religio gaudens dispensationibus in voto paupertatis, voto amplius paupertatis teneretur.

Et quia Aduersarij se ignorare profitentur num. 157. antiquioritatis dispensationem in calceamentis, & lineis vestibus (*de lineis vestibus*, aiunt, *de calceamentis, & similibus, hic non loquor, cum priuilegium super his mihi nondum apparuerit*; ideò adducam concessiones multò ab hinc tempore latas, tam super calceamenta, quam desuper vestes lineas interiores, olim in constitutionibus Alexandrinis sub Egidio Delphino Ministro Generali totius Ordinis Minorum editis Interamnae in Capitulo Generali anno 1500. in caput secundum Regulae haec ordinata fuere folio 38. *Tamen ad pellendam sordiciem, ne sint stomacho intuentibus, concedit generale Capitulum, quod Fratres possint deferre subtus ad carnem camisias laneas etiam albi coloris*, & post. *Nullus autem Fratrum caligas clausas, aut calceos vanos deferre audeat, sed caligis grisei coloris*

genua

genua honestè cooperientibus, & calceis scissis, seù fissis, & soleis, vel calopodijs qui voluerint, & planellis hyeme, si opus est, sine talaribus vti poterint licitè, &c. Nunc autem ab anno 1628. in constitutionibus Vrbanis in cap. 2. Regulæ tit. 24. folio 69. à num. 11. hæc leguntur. *Quia verò ex Summorum Pontificum permissu interulas, seù camisias gestare possumus, ideò à quibus linea deferuntur, modestè ita, religiosèque deferantur, vt nullo modo, neque ex superiori parte, neque ab externa brachiorum videri possint, quod si circa collum quidpiam ad munditiem conseruandam apponendum sit, ita breue, ac depressum apponatur, vt à nemine penitus uideri possit*, num. 12. *Alia autem intrinseca uestimenta, præter coloris cinericij, & albi modestiam etiam in forma, religiosam humilitatem redoleant, nullis scissuris ornentur, sericis non muniantur, manicæ in extrema parte non scindantur, neque orbiculis claudantur, sed in omnibus materiam lineam, uel laneam, coloremque Religiosum comitentur*, num. 13. *Tibi alia præsertim modestiam, & Religionem præseferant, non colorata, nec nimio artificio elaborata sint, sed simplicia, &c.* num. 14. *Calcei quoque albi non sint, nec ad uanitatem, & elegantiam efformati, sed clausi, & sine occellis deferantur; similitèr crepita absque superfluis ornamentis gestentur, &c.* num. 15. *Manicis pelliceis uti Fratribus omnibus interdicitur, quod si urgente necessitate cuipiam necessaria essent, ea lege à Superioribus concedantur, ut pellis extrinsecus nullo modo appareat, nec operculum coloris ab habitu alieni sit, &c.* num. 16. *Lintea quoque pudariola ad abstergendas manus, linteola ad emungendas nares, & alia id generis necessaria suppellex simplex sit non pretiosa, &c.* Tandem in cap. 6. Regulæ tit. p. num. 5. fol. 201. scribitur. *Sint tamen (ut diximus) quo ad fieri poterit, Religiosorum cellæ per omnia conformes, lectulus simplex, humili substrato, alijsque necessarijs tantummodo, non autem superfluis rebus munitus, linteis quoque, & operimentis, quæ pauperes deceant, modestè compositus adsit, &c.* Lintea autem sic absolute accepta componuntur ex lino, & canabem; Igitur non erit amplius ignoranda horum concessio, vt est in vsu,

vsu, pro Minoribus Conuentualibus lata.

Literis igitur, & tabulis palpabiles in paupertate dispensationes in Ordine Minorum pro Minoribus Conuentualibus latas ante Martinum Quintum duobus ferè sæculis fuisse probauimus, iuxta propositum in titulo huius capitis, quibus licet sequentes adfuerint aliorum Pontificum concessiones mitigantes paupertatem, non destruentes, earundem tenorem adducere relinquimus, quia nec nostra attinet ad oppugnandum Aduersariorum dictum, neque ipsi illas deturbare conantur, de dispensatione Clementis Quinti, & Ioannis vigesimi secundi erit sermo cap. 8. fine.

CAPVT

CAPVT QVINTVM.

Minores Conuentuales non esse diuersos ab antiquis ostenditur.

QVI extorres fecerunt à Minorum solo ante Martinum Quintum Minores Conuentuales, eo deuenerunt, vt diuidant etiam à Conuentualibus Conuentuales; iurant non esse eosdem præsentes Conuentuales cum antiquis, diuersos esse iterum iurant, hos modernos nolunt, illos priscos à toto Cœlo ab his discretos, sola nominis potiri communione declamant, in substantia alienos volunt hos, ab illis. Diuersitatem Conuentualium præsentium, ac præteritorum prædicant tam tom. 2. Orbis Seraph. cap. 16. §. 4. versic. *Cum igitur Helias*, & vers. *Ex omnibus*, quam in opusculo antiquioritatis folio 88. num. 146., & fol. 99. num. 168., &c. decantato fundamento, quod Minor Conuentualis sit ille, qui vtitur dispensatiuis priuilegijs. Verum cum ex antea probatis elucidatum sit Minores Conuentuales non à diuitijs, ac voluptatibus nomen sortitos, sed à Sancta, & Apostolica Sede, ruit omnem fulcrum Aduersariorum, & ex consequenti illatio, quod hi ab antiquis secernantur, caput igitur istud ex præcedentibus solutionem habet, & sapientibus sufficere debent quæ dicta sunt ad hanc veritatem dulcitèr edendam, sed quia omnibus debitor sum, ideo

diutius

diutius immorabor in probanda identitate Conuentualium existentium cum præteritis, neque inutiliter tempus terram, edisserendo hanc identitatem ex priuilegijs veris, ac realitèr existentibus super Minoritica paupertate à priscis temporibus, sicut de præsentibus non ambigitur, quia id satis superque actum est literis, tabulis, & scriptoribus in antecedenti capite; vt vnusquisque sic queat ratiocinari ad hominem. Minor Conuentualis secundum Aduersarios diffinitur, quod sit ille, qui dispensatus in paupertate, Apostolica auctoritate, viuit, pascitur, & alitur priuilegijs, sed Conuentualis qui priscis temporibus viuebat, spirabat, respirabat, pascebatur, edebat, & alebatur ijsdem priuilegijs paupertatem mitigantibus, vti probatum est eodem cap. 4. igitur, &c.

Vnum hic conuincor aperire antequam ducam nauem in altum ad laxandum retia in capturam veritatis, videlicet hoc totum: Minor Conuentualis, esse totum accidentale, compositum ex Minori, quod est subiectum, & ex Conuentualitate, quæ est accidens receptum in suo subiecto, scilicet Minori, illudque denominans, eo modo, quo dictum est errore secundo, initio huius operis; cum autem totum accidentale nequeat vnica diffinitione diffiniri, vt docet Aristoteles 7. Metaph. t. 16. illis verbis. *Non enim est necesse si hoc ponamus, huius definitionem esse quodcumque oratione idem significat, sed quod aliqua oratione; hoc autem si vnius sit, non continuatione, sicut Ilius, aut quacunque coniunctione, sed si quoties dicitur vnum. Vnum autem dicitur, sicuti, & ens, ens autem quoddam quod quid, quoddam quantum, quoddam quale quid significat, quare, & albi hominis erit oratio, & definitio, alio vero modo, & albi, & substantiæ*; quem locum citat Scotus 4. d. p. q. 2. § hic primo videndum vbi docet diffinitionem esse entis per se vni, vel quia est simplex, vel compositum ex per se actu, & per se potentia, vnde cum ens per accidens, quod est illud, quod non est ex per se actu, & per se potentia, sed ex subiecto substantiali, & accidentali forma, vel rebus diuersorum generum, etiam accidentium, vt quantum album, non habet vnita-

vnitatem per se, non potest diffiniri, dicente propterea ibidem Scoto: *Non est ergo propriè non entis*, ideſt diffinitio, &c. *nec est ratio eius, quod non est per se vnum*, vt patet ex 7. Met. cap. 3., *vt argutum est ante oppositum; intelligo autem per se vnum, scilicet, quod est simplex, vel compositum, quod est ex per se actu, & per se potentia;* consequitur neque hoc compositum accidentale scilicet, Minor Conuentualis, vnica diffinitione diffiniri posse, & de illo haberi scientiam, vnam quia de ente per accidens non datur scientia posterioſtica, vt ait Aristoteles 6. Met. 44. 5. & 6. vbi & id manifestè probat; alia ergo erit diffinitio Minoris, alia Conuentualis, sicut inquit Aristoteles; *alia diffinitio erit, & alio modo hominis, & alia albi*, & cum res ita sit, non video, quomodo velint Aduersarij vnicam tradere diffinitionem; tam de Minori Conuentuali, quam de Minori Obseruanti, hoc enim totum, Minor Obseruans, est etiam accidentale totum, conflatum ex Minori, & Obseruante, tanquam ex subiecto, & actu secundo, qui semper est accidens: vnica ergo erit diffinitio Minoris, communionem habens cum omnibus Minoribus, & alia erit illorum accidentium Minoribus aduenientium, Conuentualis videlicet, & Obseruantis; Conuentualis erit, qui ab incolatu Conuentuum coexistentium Ecclesijs ab Innocentio Quarto Conuentuales nuncupatis, talis dicitur, vt late probatum est cap. 4. Obseruans verò ille est, qui maiori studio adhærens Obseruantiæ Regulæ Minoriticæ, quam cæteri Minores, nomen illud sibi assumptum (vt dicunt Piæ Constitutiones in præfatione) confirmatum postea habuit in Concilio Constantiensi à Patribus eiusdem, & tandem totaliter illi concessum à Leone X. in bulla: *Ite vos in vineam*, cum præcepto, vt omnes Congregationes, Amadeorum, Clarenorum, Coletanorum, &c. dimissis his nominibus, vnitæ vel simul nuncuparentur deinceps: Fratres Minores Sancti Francisci Regularis Obseruantiæ, ità vt hoc totum nomen complexum: Fratres Sancti Francisci Regularis Obseruantiæ, esset post hac prædicatum totius Corporis constituti ex illis partibus, vel

etiam

etiam partium indiuidualiter captarum; non verò, quod vocarentur, vel Fratres Sancti Francisci, disiunctim ab alijs verbis Regularis Obseruantiæ, vel vnitim, & simul: Fratres Sancti Francisci Regularis Obseruantiæ, vt non rectè interpretati sunt Aduersarij in antiquioritate num. 146., & cap. 16. Orb. Seraph. tom. 2. §. 4. fol. 257. vers. Habemus itaque; qui Ordo vocandi retentus est ab eo tempore, nec sub alio nomine venerunt, & modo veniunt apud Summos Pastores, Eminentissimos Cardinales, Congregationes, Prælatos, Reges, & Principes. Vide quæ diximus cap. 2. §. Probatur 2. Sic paritèr apud Pontifices, & Sacr. Eminentis. Card. Congregationes, apud Doctos, & vulgum pro Minoribus Conuentualibus, non intelliguntur Minores dispensati in paupertate, vt male prædicant Aduersarij num. 142. fol. 85. antiquioritatis, Pontifices enim, Eminentissimi Cardinales, & Sapientes quicunque, cum optimè caleant historias, sciunt ab Innocentio Quarto prodijsse Agnomen Conuentualis, & si de vulgo curare velimus, iste apud omnes nationes, vbi sunt Conuentuales passim illos appellat: Fratres S. Francisci, & ità appellans, intendit illos esse verè filios genitos immediate à Sancto Patre. Cum igitur Minor Conuentualis,& Minor Obseruans sint duo tota accidentalia, nec habeant vnicam diffinitionem, fiet, vt dicebamus cap. 2. non multò post principium, §. Ad idem; quod diuisio Fratris Minoris in Conuentualem, Obseruantem, & Capuccinum, sit diuisio subiecti in sua accidentia, non verò generis in suas species, cum species sint vnum per se, & habeant propriam, & rigorosam definitionem, qua, vt dicebamus, carent Minor Conuentualis, Minor Obseruans, & Minor Capuccinus, nisi velimus loqui latissimè, & secundum popularem modum loquendi non scientificum; in quo sensu possumus etiam dicere habere proprias diffinitiones, iuxtà doctrinam Scoti 4. d. p. q. 2. § hic primo cit. A. vbi ait. *Quantum ad primum notandum est quod cuiuscunque siuè entis, siuè non entis, quod potest concipi,& significari, potest esse aliqua ratio nominis, quæ scilicet explicet explicitè, & distinctè illud,*

quod

quod nomen importat implicitè, & confusè, & in hoc sensu iam diximus mox supra quid importent Minor Conuentualis, & Minor Obseruans.

Hoc reserato, hic venit instituendus sermo cum Aduersarijs, qui gratis, vt aiunt (cum aliàs vi fateri debeant ex dictis) concesso Conuentuales Minores fuisse ab Innocen. IV. constitutione deriuationes tales nuncupatos, adhuc mutare dicunt identitatem Conuentualium præsentium, cum priscis, eo quod illi non possidebant, isti possident. *Veruntamen*, habent Aduersarij num. 136 Antiq. fol. 83. *Hæc omnia si gratis, & contra veritatem admittamus (nunquam tamen concedimus) Conuentualium nomen Fratribus Minoribus inditum per statuta Farineria, per Benedictina, nec non per Innocen. IV. priuilegium, eoque nomine ab illo tempore sic fuisse nuncupatos ad aliorum distinctionem, qui non Conuentualibus in locis habitabant, qui Ecclesias non Conuentuales, sed Heremitoria incolebant; quid inde? ergo nomen Conuentualium ab Innocentio Quarto incepit? Transeat, & si non concessum;* & paulò inferius fol. 44. *Vlterius. Ergo nomen Conuentualium ab Innocentio ad illos distinguendos fuit appositum, qui relicto postea primaria Regula Franciscana fundamento, nimirum arctissima paupertate, mitigatiua priuilegia de nouo fuerunt amplexati? nego consequentiam, quam in quatuor terminis deduci nemo non videbit; hoc modo: Omnes Minoritæ loca maiora, Ecclesiasque Conuentuales incolentes, dicti sunt Conuentuales; sed aliqui ex illis loca maiora sic incolentibus, postea receperunt mitigatiua Regulæ priuilegia, ergo nomen Conuentualium inditum est ad illos significandos, qui postea receperunt priuilegia: argumentum claudicat ex variatis terminis. At sylogistica arguendo, sic erit dicendum. Nomen Conuentualium illis omnibus Minoritis inditum est, qui loca talia, & Ecclesias incolebant, at Minoritæ de Regula mitigata sunt illi ipsi omnes, qui loca talia, & Ecclesias incolebant, ergo nomen Conuentualium illis tunc inditum est, qui nunc sunt de Regula mitigata, consequentia hæc erit bona, sed quia ex falsa minori deducitur, falsum erit consequens: Minoris falsitas est euidens ex integris*

tegris Congregationibus Clarenorum (& cæteris omissis) Coletanorum, Amadeorum, & Guadalupensium, totiusque de Obseruantia corporis, quæ in Ordine Minorum tunc erant verius, quia Regulam purè obseruabant, & de hinc introductioni libertatis assentiri nolentes separatim viuere maluerunt hæc ad verbum scribunt ibi Aduersarij, & cap. 16. to. 2. Orbis Seraph. §. 4. folio 255., & 256. vers. Veruntamen ad destruendam identitatem Conuentualium præsentium, cum antiquis.

Gratis igitur hac suppositione donata, libenter acceptata, quod Conuentualitatis agnomen ab Innocentij IV. constitutione deriuationem agnoscat, & vt morem geram Aduersarijs amicis nostris, gratis concesso, quod priscis temporibus Minores illi Conuentuales nil possederint, isti vero præsentes possideant, modo ostendam non destrui identitatem Conuentualium modernorum cum præteritis, neque horum cum præsentibus, vt Aduersarij, vel ex possessione antiqua Conuentualium iam probata, vel ex sola dumtaxat moderna, cum existentia, nominis Conuentualitatis ab antiquo, conuincantur fateri identitatem Conuentualium præsentium cum antiquis; sed ne dilabantur ad effugia, & verba, cum se viderint captos, iurent litaturos voluntatem veritati, quod si iurare negauerint, veritas ipsa (sciant hoc) Domina erit ipsorum mentium, etiam ipsis nolentibus.

Prima ratio stabit pro veritate erecta ab Aduersarijs mox citatis in hunc modum inuariatum. Nomen Conuentualium illis omnibus Minoritis inditum est, qui loca maiora, & Ecclesias incolebant, at Minoritæ de Regula mitigata sunt illi ipsi omnes qui loca talia, & Ecclesias incolebant, ergo nomen Conuentualium illis tunc inditum est, qui nunc sunt de Regula mitigata.

Respondent Aduersarij sibi ipsis obijcientibus, falsum esse Minorem allati argumenti, quia integrè Congregationes Clarenorum, Coletanorum, Amadeorum, & Guadalupensium, totiusque de Obseruantia corporis tunc erant verius in Ordine Minorum, quia Regulam purè obseruabant, & dehinc

introductioni libertatis assentiri nolentes separatim viuere maluerunt.

Sed contra est; nam disputamus de pręsentibus Conuentualibus, inter quos nullatenus veniunt adnumerandæ Congregationes prædictæ, sed nec corpus Obseruantiæ Regularis absque vlla controuersia, igitur conuincit identitatem Conuentualium modernorum cum priscis argumentum à vobis ipsis ædificatum.

Dicetis vos capere modernos Conuentuales, non pro actu existentibus, sed pro illis, qui à Martino Quinto receperunt possidendi plenariam Indulgentiam, tunc enim cum illis conuescebantur prænominatæ Congregationes, vnumque constituebant corpus, vnà simul etiam cum Minoribus de corpore Obseruantiæ.

Videte quæso quomodo declinatis iuramentum, ne sitis amabo vos, periuri, vel à veritate auersi. Si vos loquimini de illis Conuentualibus Martinianis comparatiuè ad Conuentuales priscos, quia, vt vos dicitis vnum corpus efficiebant cum Congregationibus recensitis, tres erunt Classes Conuentualium, videlicet, Priscorum, Martinianorum, & Præsentium, primi liberi erant a Congregationibus, quia istæ nondum obstetricatæ, nec conceptæ fuerant, postremi etiam, quia sub Leone Decimo libatæ sunt à suo corpore, & in aliud partæ Congregationes omnes, quidquid igitur gratis dicatis de Conuentualibus Martinianis cum illis Congregationibus, saltem euadere non potestis robur argumenti versantis inter præsentes Conuentuales immunes à Congregationibus, & priscos.

Velim etiam non tam cito obliuisci eorum, quæ scripsimus cap. p. conclusione secunda, in qua probauimus omnes Congregationes, ipsosque Patres Obseruantes traduxisse vitam, conuictum, & Ordinem omninò discretum à Communitate Ordinis, hoc est à Conuentualibus; igitur effugium est asserere diuersos esse Conuentuales mitigatam paupertatem sequentes, à priscis indispensatam seruantibus, eo quod Con-

gregationes

gregationes fuerint incorporatæ cum Conuentualibus.

Probatur 2. Minores Conuentuales moderni de mitigata paupertate, & priuilegijs Pontificum muniti, instituti fuerunt immediatè à S. Patre Patriarcha Francisco, vt probauimus toto capite secundo huius operis auctoritatibus manifestis Summorum Pastorum, & rationibus, igitur identitatem seruant cum antiquis Conuentualibus non priuilegiatis, cum hi fuerint immediatè à S. P. Francisco instituti.

Pater Magister Franchinus in sua antiquioritate sectione decima hanc ipse quoque propositionem eruditissime probat: *Etiam si Conuentuales antiqui non possedissent, hodierni non essent alij, seù diuersi ab illis.* Quia Pontificia mitigatio paupertatis Minoriticæ non immutat essentialitèr paupertatem, sed accidentalitèr, mutatio autem accidentalis non inducit alietatem, sed alteritatem; sicut augmentatio, & accretio non facit, quod ego sim homo alius ab eo qui natus sum, qui fui trimulus, aut decennis sic Petrus pauper, hæreditate factus diues, fit alter non alius, est eadem Familia, est eadem progenies ante, & postquam adiuit hæreditatem, &c.

Conantur Aduersarij se liberare ab his instantijs, sed cupientès euitare Charibdim, incidunt in Sillam, concedunt in allatis exemplis mutationem accidentalem induci, quia illa subiecta sunt capacia, nec habent repugnantiam cum illis formis, at paupertas Minoritica habet repugnantiam ad possidendum in particulari, & in communi, quæ repugnantia cæteris in Religionibus non reperitur, estque veluti Minoriticæ paupertatis proprium distinctiuum à reliquis; ità in antiquioritate ad sect. 10. num. 170., & num. 171. vbi additur, quod paupertas Minoritica quia cum repugnantia ad possidendum in particulari, & in communi annectitur, & per illam constituitur, essentialitèr differt à paupertate aliarum Religionum, & à paupertate dispensata, ac mitigata. Repugnantia namque ad possidendum in communi, & in particulari, non est simplex gradus, inquiunt, sed species essentialitèr diuersa à repugnantia ad possidendum in particulari tantum; vndè fal-

ſum eſt in Minorita ſic diſpenſato conſeruari paupertatis virtutem in gradu ſtatui Minoritico ſubſtantialem, nempè carentiam dominij, quia paupertas Minoritica eſſentialitèr excludit dominium in particulari, & in communi.

Verum gratis aſſeritur Minoriticam paupertatem habere eſſentialem repugnantiam ad poſſidendum in communi, ſi enim ab Aduerſarijs quæratur huius repugnantiæ ratio, nulla adducitur, neque locis citatis, neque cap. 16. tom. 2. Orbis Seraph. § 4. ſol. 265. verſ. *vltrò concedo, & concedo*, & falſum eſt paupertatem Minorum intrinſecè, ac eſſentialitèr differre à paupertate aliarum Religionum, & eſſe ſpecie diſtinctum ab illis, nam differunt accidentalitèr dumtaxat, quia Minoritica paupertas licet ſit perfectior cæteris aliarum Religionum, iſta tamen perfectio maior, non extrhait illam à ſpecie paupertatis, ſic intenſio vt octo in calore, qua conſtituitur perfectior, quam calor vt ſeptem, non inducit in illo differentiam eſſentialem, ſed accidentalem. 2. Dicunt Aduerſarij Paupertatem Minoriticam priuilegijs modificari, & hac modificatione tolli eius eſſentiam, ac fieri eſſentialitèr, & ſpecificè diuerſam, ſic autem diſcurrendo contradicitur Logicæ, Phyſicæ, Metaphyſicæ, Mathematicæ, Æthicæ, ac Theologicæ, igitur, &c. Logicæ, nam, vt docet P. Maſtrius p. p. inſtit. logic. tract. 2. cap. 4. num. 54., propoſitio modalis, & de ineſſe differunt dumtaxat accidentalitèr, quatenus in vna prædicatum tribuitur abſolutè ſubiecto, & in alia ſpecificatur modus, quo ei conuenit, & hoc verum eſt, ſiue modus determinet ſubiectum, vel prædicatum dumtaxat, vt homo iuſtus eſt prudens, Petrus currit velocitèr, vel totam compoſitionem, ſeu vnionem prædicati cum ſubiecto, vt Petrum currere eſt poſſibile, homo contingentèr eſt albus. Tum quia, cum modus ſit accidens, diffinitur etiam communitèr, quod ſit adiacens rei determinatio, ſupponit ſubiectum conſtitutum, cui aduenit, cum de ratione accidentis ſit adeſſe, vel abeſſe à ſubiecto præter ſubiecti corruptionem, vt docent Ariſtoteles p. Top. cap. 4. & Porphir. in introduct. cap. 6. Item cum modus, vel

ſit

sit absolutus, vel relatiuus, vt homo albus est pulcher, homo magnus est fortis, Paries albus est similis equo albo, homo loricatus melius resistit inimico, &c. quicunque sit, ponitur solum in prædicamentis accidentalibus, omnia autem accidentia adueniunt, & recedunt à substantia, hac inuariata essentialitèr, & loquor pro nunc de modis extrinsecis, igitur, &c. Physicæ nam mutatio accidentalis, vt quando homo de non calido fit calidus, non variat subiectum essentialitèr, lignum arte dolatum, ac in statuam efformatum, non differt essentialitèr ab arbore, & ligno statuæ subiecto, motus sursum non differre facit essentialitèr mobile motum à deorsum moto, sedens non essentialitèr diuersificatur à stante, magis, & minus durare non tollit identitatem eiusdem subiecti durantis, Metaphysicæ, nam modus intrinsecus non variat essentiam rei, cuius est modus, sic existentia non destruit, nec mutat essentiam rei, quæ prius non existebat, imò non vt existens diffinitur, sed vt ab illa præscindit, quia essentiæ rerum sunt æternæ veritatis, nec verum est essentias creatas materiales semper existere; singularitas siuè hecceitas, quæ non consistit in negatione pro formali, sed in positiuo addito naturæ communi, vt docet Scotus in 2. d. 3. q. 2. non destruit, nec variat essentialiter naturam cui additur. Suppositalitas creata, siuè existat in positiuo, siuè in duplici negatione incommunicabilitatis naturæ singularis alteri, vt supposito, vt quo, & vt quod, vt subtiliores Scotistæ defendunt ex Scoto 3 d. p. q. p. §. non afferendo E., & F., addita naturæ singulari completæ non mutat essentialitèr illam, igitur, &c. Mathematicæ, paruum enim, & magnum non differunt essentialitèr, es triangulare, non differt essentialitèr ab ære quadrangulari, Marmor rotundum, non differt essentialitèr à Marmore quadrangulari, quidquid sit an triangulus differat essentialitèr, à quadrangulo, rotundum, à quadrato. Æthicæ, nam æconomus non differt essentialitèr, à non æconomo, prudens, ab imprudenti, malus, à vitioso, diues iustus à diuite iniusto, &c. Tandem Theologiæ, nam fides vt octo, non differt essentiali-

tèr à fide, vt quatuor sic spes, & caritas, vndè Ecclesia quando Deum exorat, vt nobis conferat fidei, spei, & caritatis augmentum in colecta Dominicæ XIII. post Pentecostes non expoſcit diuersam fidem, spem, & caritatem essentialitèr à prima fide, &c. Circumstantiæ agrauantes non mutant speciem, & hac de causa non sunt in confessione aperiendæ, siuè sint notabilitèr agrauantes, vt maior quantitas conatus, intensio, &c. siuè non, vt occidere ferro, vel ligno, die Dominico, vel Veneris, &c. vt docet Scotus 4. d. 17. q. p. §. de secundo N., vbi ait. *Multa autem sunt circumstantiæ ex quibus peccatum est aliquo modo grauius, quia si minor tentatio, & hoc vel ex parte obiecti, vel ex parte personæ peccantis, de quibus non est ita certum, quod oporteat illas confiteri, tamen tutum, & vtile est hoc fieri*, & videri potest P. Mastr. 4. disp. 5. q. 17. art. p. igitur, &c. est autem circumstantia, vt ait ibidem Mastr. num. 483. conditio non pertinens ad substantiam actus, sed aliquo modo ipsum attingens, vel circumstans, augendo, minuendo, &c.

Ex quibus patet Aduersarios concedentes per Pontificia priuilegia modificari Regulam Minorum conuinci etiam fateri non variare essentialitèr ipsam Regulam, nec habere repugnantiam, quam asserunt ad modificari, alias inuertens essentialem rationem modi, nec illos iuuare hanc mitigationem esse modum moralem, & ideò essentialitèr diuersificare, vt comminiscuntur in epist. ad lectorem antiquioritatis, vt errore sexto innuimus, nam præter ibi dicta, patet falsitas huius effugij ex mox dictis de modis Æthicis, ac Theologicis, tum quia id sine euidenti petitione principij affirmari nequit, cum nullus alius modus diuersificet essentialitèr; fateantur igitur modificari Regulam Minorum, nec diuersificari essentialitèr, vel vigent modificari, & priuilegia affirment, constituere nouam Regulam, vt induantur intus, & extrà anathematismo allato in errore sexto, & conuincantur asserere priuilegium, non esse priuilegium, quia priuilegium nil aliud est quam, quædam legis dispensatio, in subiecta materia de qua loqui-

mur;

mur, & cadit supra Regulam Minorum, seù illorum legem benè, & rectius viuendi. Vide Bonac. de legibus disp. p. q. 3. pun. 2. num. 1. Tum quia si paupertas Minorum per dispensationem extrahitur à sua essentiali ratione, cum paupertas attendatur etiam in vestimentis, indumentis sacris, Ecclesiasticis suppellectilibus, habitaculis materialibus, & spiritualibus, reseruatione rerum pro victu, in quibus omnibus frangi, & adulterari potest paupertas, per copiam, superfluitatem thesaurizationem, vt cauetur in constitutionibus Nicolai Tertij *Exijt*, & Clementis Quinti *Exiui*, alias adductis, & in his multiplicitèr sit dispensatum, vt ostendimus prçcipuè cap. superiori §. Vnde pro Patribus de corpore Obseruantiæ, confi- cietur in corpore Obseruantium paupertatem eorum, aut dixisse paupertati descriptæ in Regula S. P. Francisci lata pro Minoribus, quod cum ipsi constantèr negent, nos omnibus dispensationibus nostris muniti, inconcusse confringemus ipsorum dictum, quod destruant Minoriticam paupertatem. Tertiò de facto Pontifices Regulam Minorum dispensarunt in voto paupertatis, & vltrò decreuerunt obseruantes Regulam sic linitam in paupertate seruare Regulam præscriptam Minoribus à Sancto Patre Francisco, & esse eius veros, ac legitimos filios, contradictores Vrbanus Octauus anathemati subiecit, vt errore sexto videri potest, igitur, &c. Quarto, quia, vt discurrit Franchinus citatus num. 4. paupertas Religiosa est virtus moralis de genere temperantiæ igitur consistet in medio, sicut, & cœteræ virtutes, non quidem indiuisibili, igitur, &c. vide ibi, &que dicentur cap. 8. & 9. à nobis inferius.

Probatur 3. Intantum moderni Conuentuales ab antiquis sunt specie distincti secundum Aduersarios, quia primi obseruarunt paupertatem non mitigatam, imò habentem repugnantiam ad mitigari, ac dispensari, hi verò obseruant paupertatem dispensatam, ac mitigatam, & consequentèr specie distinctam ab illa, sed hæc ratio nulla est iuxta mox dicta igitur nulla erit somniata distinctio essentialis inter priscos Con-

uentuales, ac modernos.

Probatur 4. Moderni Patres Predicatores non sunt essentialitèr diuersi, imò eiusdem generis, ac speciei atomæ cum Patribus Prædicatoribus antiquis, qui viderunt in carne viuentem, ac in terris degenrem Sanctum eorum Patrem, ac Patriarcham Dominicum, cum eo communibus escis spiritualibus, & corporalibus pasci, & tamen illi ante Clementem Quartum indispensati vixerunt in paupertate omninò simili cum illa quam profitebantur, & obseruabant primi Minores, ità alieni à proprio in communi, & in particulari, vt staret maledictio in Ianuis semper contra proprietarios in particulari, & in communi lata à Sancto eorum Patre, vt scripsimus cap. 2. §. Non obstat; quæ maledictio licet obtentis Pontificijs dispensationibus; vt capere valerent, ac retinere possessiones, fuerit implicitè remota, explicitè tamen solum absolutionem ab illa ijdem Patres obtinuerunt viuæ vocis oraculo ab Innoc. VIII. 1489., & hic etiam vtimur ad hominem hoc argumento contrà Aduersarios, vt loco citato fecimus, relicta penes ipsos relationis facti fide, ac veritatis anno quinto sui Pontificatus, vt testatur Cardinalis de Fox penes Rodericum tom. p. bull. de oraculis Innocen. VIII. fol. 235., igitur Conuentuales moderni identitatem seruabunt cum antiquis essentialem, licet ipsi possideant in communi, illi verò non possederint, nunquam maledicti ab eorum parente si possessiones adsistent, &c. aliàs assignetur disparitas, vel dicatur Prędicatores antiquos essentialitèr diuersos fuisse ab his, qui inpræsentiarum aluntur in illo Ordine, cui dicto repugnanti communi conceptui sapientum, & non sapientum, obstant etiam ea quæ diximus pro defensione Conuentualium, & inferius dicemus vltimis capitibus.

Cum hac autem essentiali identitate inter priscos, ac modernos Conuentuales, quæ nullatenus valeat infringi per positionem priuilegiorum, stat diuersitas accidentalis, ad similitudinem illius, quæ intercedit inter Patrem pauperem, & filium diuitem ex bonis castrensibus, vel quasi castrensibus,

vel

vel inter ipsos Fratres, quorum si aliquis fiat Minor Capuccinus, abdicans à se propterea omne dominium rerum, iurium, & actionum, nec relicta sibi subucula, non per hoc etiam in genere moris essentialitèr discriminatur à Fratre Germano Monaco, qui non adeò obstrinxit se rigorosa paupertate, nec Capuccinus frangens votum paupertatis teneretur confiteri hanc circumstantiam Capuccini confessario non agnoscenti se esse Capuccinum, sed sibi sufficeret fateri se esse Religiosum professum, vel habere votum solemne Religionis paupertatis, aliàs teneretur aperire se Capuccinum esse, si Capuccineitas, esset differentia essentialis à Monachismo.

Dices cum Aduersarijs nu. 146. antiquior. & to. 2. Orb. cap. 16. §. 4. vers. Habemus itaque: *Si Conuentuales, qui nunc sunt, sunt ijdem, qui ab Ordinis initio fuerunt, ergo fuerunt illi, sicut sunt moderni, sed moderni possident, & Regulam profitentur mitigatam, ergo antiquiores, & primi S. Francisci Filij in Ordine Minorum possidebant, & profitebantur vitam mitigatam, ergo sic fuerunt à S. Francisco instituti, ergo superflua fuit ad hæc Apostolica dispensatio.*

Confirmatur ex hijs, quæ habent num. 136. antiquior. & fol. 255. cap. 16. cit. vers. Veruntamen. *Nomen Conuentualium ab Innocentio Quarto incœpit? transeat, & si non concessum, sed ante Innocentio vbi erant Conuentuales? Viuente Sancto Francisco, & in ipsa Regulæ institutione, atque confirmatione, vbi erant Conuentuales? post Innocentium non Conuentuales, quomodo vocabantur? nullibi legitur, de solo Fratrum Minorum titulo reperimus*; igitur saltem moderni Conuentuales, & omnes illi Conuentuales, qui dispensationibus Apostolicis seruierunt, non seruant identitatem cum illis, qui vixerunt in Religione Minorum ante concessionem agnominis Conuentualium, cum nec re, idest in paupertate, nec nomine cum illis communicent.

Confirmatur 2. ex additis nu. 174. antiquior. & fol. 265. cap. 16. §. 4. cit. *In ipsa Patrum Conuentualium solemni professione, non amplius Regulam Fratrum Minorum simpliciter, sed*

cum

cum additamento mitigatam profitentur, igitur non sunt ijdem cum antiquis, qui simplicitèr promittebant seruare Regulam Minorum.

Respondetur argumentum excedere limites promissionis, nos enim ex gratis concessione, quod non possederint primi Conuentuales, & ex donatione gratuita Aduersariorum, quod inualuerit in Ordine Minorum antiquitus agnomen Conuentualium, arguebamus identitatem non obstante, quod hi possideant, secus illi, modo probatur, quod si sunt ijdem, quod etiam illi possederint, & cum non possederint, non sint ijdem; Nos enim diximus, & hos possidere, & illos possedisse. Sed quia re vera argumentum ab Aduersarijs non adducitur factis his suppositionibus, sed alia occasione, ideò respondetur primo argumentum claudicare, quia in eo committitur fallacia figuræ dictionis, transeundo à prædicamento substantiæ ad prædicamentum qualitatis, ab identitate scilicet essentiali, ad identitatem accidentalem. Respondetur ergo secundo concedendo Regulam maioris, & negando consequentiam quia in illa concluditur identitas qualitatis, scilicet, possidendi, quæ non fuit seminata in maiori, in qua dumtaxat de identitate substantiali fuit sermo, vndè responderi potest tertio distinguendo sequelam maioris, ergo fuerunt illi, sicut moderni quo ad substantiam, & essentialia Minorum, concedo sequelam, quo ad accidentalia nego sequelam; sunt enim moderni Conuentuales essentialitèr idem cum suis Fratribus priscis, nec eos diuidit paupertas mitigata, & non mitigata, licet sint diuersi accidentalitèr.

Ad confirmationem, quæ magis vrget ad nostrum propositum, quod Conuentuales in ipsa institutione, & confirmatione Regulæ, & Ordinis erant eadem supposita, & indiuidua, quæ Minores dicebantur, & postea appellata fuerunt explicitè Conuentuales, cum enim ab institutione, & confirmatione anni non multi transissent à tempore, quo ab Innoc. IV. exijt priuilegium nuncupandi Ecclesias Conuentuales, quæ adhærebant Conuentibus, & ex hoc transierit idem nomen

men in totum Ordinem, vt cap. 3. ostendimus, multi, & ferè omnes S. Francisci filij primi, qui ab eo ad Religionem admissi sunt, superstites erant; vndè, & ijdem vocati sunt Conuentuales explicitè, qui viuente Sancto Patre Francisco erant Conuentuales implicitè; post Innocentium verò, dico, quod omnes fuerunt vocati Conuentuales, tractu temporis non longo, vt patet ex bulla Clementis Quarti cap. 3. allata, interiecto autem illo tempore, vbi nondum transportatum fuerat nomen Minores vocabantur, qui erant in suis Fratribus, & in Ordine Conuentuales; vndè patet nomenclaturam, Conuentualis, explicitam, non tollere identitatem cum illis, qui prius illam explicitè non habuerunt; quinimò cum identitas, vel diuersitas in substantia non inficiatur à positione noui nominis, quod antiquitus non extabat, vel ab eius negatione, vt patet in ciuilibus, cum eadem sit Familia, quæ nouum suscipit nomen, cum antiqua, quæ illud non agnouit, vel quæ dimittit antiquum nomen, quo vtebatur antiqua, conficitur, & si recens in Religione Minorum aduenirct aliud nomen, vel nomen Conuentualis, quod non præfuisset, non diuidi per hoc, nec fore æstimandam diuersam substantiam Fratrum horum ab illis, ac diuersificari Ordinem; Si enim Minores Obseruantes; alio superaddito à Pontifice nomine, appellandos diffiniretur, quis illos ab antiquis, & istis, & futuris in Ordine, in substantia diuersos valeret asserere? nullus certè, ità igitur in proposito philosophandum.

Ad confirmationem alteram distinguitur consequens, non sunt ijdem in substantia, nego consequentiam, non sunt in accidentibus concedo, & hoc habetur ex ipsa formula professionis, in qua primitus, ac principalitèr promitur obseruantia Regulæ Fratrum Minorum, & postea additur iuxta priuilegia &c. hæc est enim digesta formula in constitutionibus Vrbanis folio 62. in cap. 2. Regulæ tit. 21. *Ego Frater N. voueo, & promitto Deo Omnipotenti, Beatæ Mariæ semper Virgini, Beato Francisco, & omnibus Sanctis, & tibi Pater, toto tempore vitæ meæ seruare Regulam Fratrum Minorum per Dominum Papam*

Hono-

Honorium confirmatam,& à pluribus Summis Pontificibus declaratam, iuxta priuilegia Ordinis Minorum Conuentualium ab Apostolica Sancta Sede concessa, & constitutiones Vrbanas, viuendo in obedientia, sine proprio, & in castitate; primario ergo cum promittatur Regula Fratrum Minorum, & secundario, seù in obliquo modificatio Pontificia, in substantia eadem est formula recens, & prisca, variata dumtaxat accidentalitèr.

Dices ait Aristoteles 2. de gener. & cor. t. 56. *Idem, & similitèr se habens, semper idem est aptum natum facere*, igitur si Minores Conuentuales præsentes sunt idem cum antiquis, idem apti nati facere debent esse, quod antiqui, illi promittebant Regulam Minorum simplicitèr, hoc est nullo addito. *Simplicitèr autem est, quod nullo addito dicis, quod bonum est, aut contrarium*, ait Aristoteles 2. top. cap. 4. fine, sed non promittunt, igitur non seruant cum illis identitatem.

Respondetur Aristotelem explicandum esse in sensu vniformi, hoc est, vel essentialitèr, vel accidentalitèr, vel vnà simul, si maneat identitas essentialis, & accidentalis, non verò difformi, hoc est si maneat idem essentialitèr, non accidentalitèr, sit aptum natum idem facere essentialitèr, & accidentalitèr, quare quantum prius album, erat impenetrabile, & visionem disgregabat, si fiat rubrum, vel nigrum, non amplius disgregabit, retenta impenetrabilitate; Minores recentes cum antiquis seruant identitatem essentialem, non accidentalem; ideò Regulæ inhærent, quo ad substantiam, sicut illi, non quo ad accidentia.

Postremò probari potest conclusio ex dictis cap. 2. §. Probatur 4. etenim, vt Testis est P. Marcus Vlyssip. p. p. Chron. lib. 2. cap. 28. S. Pater Franciscus præuidit Fratres sui Ordinis mitigationem paupertatis secuturos, à Pontificibus, hac de causa, nacturos priuilegia, quam veritatem etiam Fratribus ipsis declamauit; vndè scribit Vlyssip. *Essendo vn giorno il Padre S. Francesco in presenza del Cardinale Vgolino Protettore dell' Ordine, e di molti altri de suoi Frati, disse queste parole,*

role, e poi le predicò ancora ai Frati. Venirà tempo, nel quale i Frati del mio Ordine per opera de maligni Spiriti, si partiranno dalla strada della Santissima Simplicità, e Pouertà, riceuendo indifferentemente ogni sorte di danari, e qualsiuoglia legato per testamento lasciatoli da che chi sia, per il che all' hora (lasciati i luoghi solitarij, & humili) n' edificheranno de grandi, e sontuosi per le Città, e per le Ville, conuenienti à riceuer Prencipi, & Imperatori, e procureranno col mezo de fauori, di ottener priuilegi da Sommi Pontefici con arte, e con prudenze humane, &c. Suos ergo Ordinis Fratres in hunc statum priuilegiorum venturos prædixit Sanctus Pater, & hoc adimpletum scimus certò; ratum habentes, priuilegia esse vera, ac legitima, à falsitate aliena, & virtute ipsorum nunquam ab obedientiæ voto excidisse, iugo suaui Christi, eiusque in terris Vicario colla iugitèr humiliantes; quapropter nec contrà alias Religiones, dimissa pace, bellum gesserunt, nec Clerum oppugnauerunt, nisi in ijs, quæ iustitia, bonorumque ius permittit, potius ab eodem lacessiti; vndè nec à Pastore Christo dimissi, eidem lac, & vellus obtulerunt, & sanctitatis radios omni tempore, omni loco emicanti iubare, Diuina gratia Christi excitante, operante, cooperante, ac subsequente, emiserunt; vt omninò à veritate sint aliena, quæ ibidem scribere dignatur P. Marcus Vlyssip. post prædicta. Vide etiam quæ diximus cap. 2. cit. §. Probatur 4. quis igitur identitatem Minorum Conuentualium præsentium, bona possidentium, cum suis Fratribus priscis, qui non possiderunt, iuxta gratis concessionem Aduersarijs datam inficiabitur? hanc nunquam soluit Cœlum, hanc fassus est Sanctus Pater Franciscus in terris incola, à Numine Cœli edoctus, nunquam ergo excidet, contrarij ventus licet oppugnationum exsibilent. Fratres fuerunt, & erunt, à Deo benedicti, etiam post priuilegia, vt voluerit illos sui Patris Custodes, ac miraculorum Taumaturgi, Sedem Petri sæpius incolere, rubeos Galeros, vt Cardines Ecclesiæ suæ Sponsæ, deferre, Thiaras, ac Infulas possidere, & omni suauitate, ac bono refertos, cui propterea sit Gloria, Honor, &

Impe-

Imperium in ſeculorum ſecula. Amen.

Non dedignetur amicus lector pro hac identitate Conuentualium præſentium, cum priſcis, & poſt poſſeſſionem ab illis habitam, vel antiquitus, vt probatum eſt veritati conuenire, vel, vt arridet Aduerſarijs, poſt Religionis virilitatem, mobilium in communi, tomum quintum Patris Bordoni percurrere cap. p. de Religione ex profeſſione à nu. 260. ad 266 referantis hanc veritatem ſignatè de Minoribus Conuentualibus cum Pellizzario, & Tamb. de iure Abb. tom. p. diſp. 25. q. p. num. 119.

CAPVT

CAPVT SEXTVM.

Minores Regularis Obseruantiæ à Minoribus Conuentualibus initium sumpsisse ostenditur, & ideò non à Religionis exordio extitisse.

VERITAS hæc toto iugitèr illuxit Orbi: Minores de Familia vocatos, seù Regularis Obseruantiæ, vel Minores reformatos, non à Religionis exordio originem traduxisse, sed post aliquod tempus, quod, & ipsamet nomina satis dilucide aperiunt; cum enim S. Pater Franciscus alumnos suos instituerit sub nomine Minorum, nomenclaturæ illæ, de Familia, & Reformatorum, subsequentes necessario fuerunt ad Minorum institutionem, & quidem de Familia dicti sunt, quia aliqua portio, & pauci Minores, se retraxerunt à Communitate Fratrum constituendo Familiam; Familia enim, vt docet Ambrosius Calepinus verbo Familiæ, compræhendit tam liberos, quam seruos vtriusque sexus, vnius, quem Patrem Familias vocamus, iuri subiectis, & Marius Nizolius in suo thesauro Ciceroniano verbo Familia, ait; *Familia, agnatio, cognatio, stirps, errant, qui putant, Familiam, & genus, & gentem, & gentiles, & agnatos, & stirpem, idem esse, & eiusdem rei vocabula; hæc enim sic inter se differunt, vt totum, & pars, siue vt genus, & species. gens, gentilis, & gentilitas totum sunt, continentque quasi partes*

tes Familiam, stirpem, agnationem ; consuetum est in Religionibus etiam, Fratres vnius Conuentus nuncupare, ità vt quilibet Conuentus suam habeat peculiarem Familiam, distinctam ab altera alterius Conuentus; est igitur Familia, paucorum vnio sub vno capite. Huius veritatis assertorem habeo P. Haroldum aliàs citatum initio capitis tertij §. Aliqui, cuius testimonium his damus repetitis verbis. *Alij Fratres Familiæ dicti sunt socij Fratris Pauluttij, quorum Congregatio à peculiari instituto, seù potiùs eiusdem instituti obseruantia peculiaris dicebatur Familia, quo eos titulo Prouinciales in literis iam nominatis appellat Fratres Regularis Obseruantiæ, &c.* Reformati item dicti sunt, quia recedentes à laxioribus, ad vitam à priscis seruatam restituti sunt, & obseruauerunt; *reformo* (ait Calepinus) *in priorem, vel meliorem formam redigo;* & ita reformari est in priorem, vel miliorem vitã redigi; & quidem primi Sancti Francisci Patriarchæ Filij, & qui post ipsum aureis illis temporibus fœlicitèr vixerunt, cum spiritu feruerent, non indiguerunt, nec se ipsos reformare, & in priorem alios redigere formam; igitur satis post, frigescente caritate, exierunt in lucem, qui quærerent ad priorem statum perfectionis se formare, & alios redigere. Nomen etiam obseruantis additum est ad illos signandos, qui præ cœteris obseruare, non custoditum studium in obseruantia Regulæ, denuò quæsierunt. Scriptores de corpore Obseruantiæ nefas putauerunt hanc quam diximus veritatem negare, & aperto testimonio, se à Conuentualibus originem traxisse dixerunt; Solis Aduersarijs fatari placuit, ne faterentur veritatem, vtque Ordinem inuerterent, sistunt Obseruantes ante Conuentuales, vel non intelligentes, quid veniat nomine Conuentualis, vel ratiocinantes ad libitum de Conuentualibus, vt faciant post ipsos venire, & à primæua, vera, ac reali origine illos amoueant, in quo puncto redarguti sunt superius sæpè, dum ostendimus, vndè deriuarit originem suam agnomen, Conuentualis, & quando fuerint instituti, & quidem, audire quiuerunt, & legere potuerunt dicta, & scripta ad lidium lapidem reducti;

ducti; de hac ipsorum phãtasiatica loquela, eos raciocinantes ex professo, legere poterit in Antiquior. prol. §. 2. & 3. & to. 2. Orb. Seraph. lib. 6. cap. 16. §. 2. & 3. quisquam curiosus.

Pro stabili veritate rimanda, ac firmanda, iterum recogitandum est, quod non prætereundum duximus errore quarto, videlicet hoc nomen obseruans, æquiuocum esse, siquidem, vel significare valet, quod est de corpore nuncupatæ Obseruantiæ, vel qui suæ professionis non oblitus, promissa non præterit, sed adimplet; & quidem hic nomine Obseruantis, non est ille assumendus, qui S. Patris Francisci Regulam non transgreditur, omnia illius mandata custodit, &c. nam in hoc sensu, tam Conuentuales, tam de corpore Obseruantiæ Fratres, quam Capuccini obseruando Regulam, vt iacet à S. Patre digesta, Obseruans est, & dici meretur, sed nomine Obseruantium illi intelligendi sunt, qui corpus vnum facientes, separatum à Conuentualibus, & Capuccinis, dicuntur Patres Regularis Obseruantiæ, & de istis in præsenti capite quæritur, An sumpserint initium à Conuentualibus, An verò extiterint initio Religionis, originem immediatam habentes à S. Patre Francisco?

Dicimus primò Patres dictos Minores Regularis Obseruantiæ à Patribus Conuentualibus primam, & naturalem originem traxisse, hæc conclusio probabitur rationibus, auctoritatibus Scriptorum, & Pontificum testimonijs; eatenus autem dicimus Obseruantes à Conuentualibus originem duxisse, quia cum primi eiusdem Obseruantiæ proceres, se Obseruantiæ puritatis Regulæ donantes, Familiam peculiarem instituerunt subditam Ministris Communitatis, licet ab illa separatam, non aliundè venerunt, quam à Conuentualibus, de quorum corpore erant, vndè à Conuentualibus prodierunt, sicut riuuli à fonte, vel sicut arbusta ab arbore, non verò intendimus hanc originem, esse nouam Religionis institutionem à Conuentualibus plantatam, suis legibus, ac statutis nouitèr firmatam, & in hoc sensu probatur conclusio.

Probatur primo. Pręcipui, ac primi Proceres, qui Obser-

uantium Regularium Ordinem coluerunt, antequam hoc sacrum institutum ingrederentur, vel fundarent, per multos iam annos emiserant professionem in Ordine Minorum Conuentualium, cum illis pane, & vino eodem pasti sunt, sub ijsdem tectis vixerunt, eodem etiam foco vsi; obedientiam Ministris Conuentualibus præstiterunt, & ab ijsdem ad ipsorum nutum, facultatem obtinuerunt, igitur Minores Regularis Obseruantiæ à Conuentualibus originem traxerunt, antecedens probatur nam primus omnium, qui hanc facultatem adeptus est, fuit Beatus Paulucius de Trincis Fulginas, qui anno 1368. intercedente Hugolino Trincio Fulginei Domino, ac eius consanguineo, illam emendicauit à Thoma Frignano Ministro generali Ordinis, annuit enim Præsul, vt quiret habitare cum paucis socijs ab alijs Fratribus semotus in tuguriolo Bruliani: ità legitur in Chronologia Seraphica folio 86. *Anno Domini* 1368. *Hugolino de Trincis Vrbis Fulginei Principe fauente à P. Fratre Thoma Frignano Ordinis Ministro generali domunculam Bruliani, in loco horroris, & vastæ solitudinis, inter Fulgineum, & Camerinum Frater Paulucius Fulginas obtinuit, in qua reformationis, toties ab alijs intentata, non tamen prudentèr directa, radices fixit, & fundamenta, eo solidiora, quo humilia, Regularis Obseruantiæ, iecit*. Rodericus tom. p. q. 4. art. 2. scribit; *& sic Diuino numine patrocinante Obseruantium Fratrum status fuit procreatus, qui antequam Obseruantes appellarentur, Fratres de Familia vocabantur; & cum Deus humilia eligat, vt fortia quaque confundat, & cum de stercore erigat pauperem, vt collocet eum cum Principibus, cum Principibus populi sui, erexit cornu salutis suæ in domo Francisci pueri sui, Fratrem Paulum de Trincis Laicum Diuino Spiritu afflatum, qui literas à generali Ministro obtinuit, quarum facultate Conuentum Bruliannm in Italia erexit, ductis secum quibusdam Fratribus, cum quibus vitam pauperem, prout in Regula præcipitur, duxit, statimque nouem Oratoria, siue Eremitoria illi adhæserunt, in quibus rigidæ paupertatis amatores libenter habitabant, quibus idem Frater Paulus præfectus est primus Vicarius, & Prælatus*

anno

anno Domini millesimo trecentesimo octuagesimo. Vuadingus to. 4. ad annum Christi 1368. num. 10. refert sequentia. *Hoc anno Ordinis reformatio toties ab alijs intentata, non tamen prudentèr directa, humile, sed stabile suscepit initium, in homine vndique ex statu, & statura, corporis effigie, & nomine contemptibili, sed genere, & pietate spectabili. Is fuit Paulucius Fulginas, cuius ortum, parentes, & vita primordia aliàs descripsimus, à Ioanne de Vallibus, & Gentile Spoletano zelum paupertatis, & strictioris sua Regula Obseruantia in tuguriolo Sancti Bartholomai in solitudine Bruliani edoctus, ad quam assequendam semper aspirauit*, & num. 12. *Hoc itaque anno in domuncula ista, in loco horroris, & vasta solitudinis, Fulgineum inter, & Camerinum radices fixit Paulucius, & fundamenta iecit, eo solidiora, quo humiliora, Regularis Obseruantia, &c.* P. Marcus Vlyssip. 2. p. Chronicorum lib. 9. cap. 26. ità loquitur. *In questo tempo (* scripserat capitis initio hoc esse annum 1367, *Fra Paolo Trincio da Fuligni di nobil Casata, Laico, mà di gran Santità, e Zeloso della Religione hebbe licenza da questo Generale* (idest Thoma de Frimano) *di stare nell' Eremo di Bruliano ne Monti di Fuligni, e di viuere nella pura vbidienza della Regola, in compagnia di vn' altro Frate, che era à lui simile in spirito, & in virtù, per l' esempio de quali cominciarono à dar principio i Frati di Osseruanza à portar de Zoccoli per maggior pouertà, & asprezza da essi molto vsata in quei Monti, e frà tre anni hebbe il detto Fra Paolo licenza dal Generale di habitare vndici luoghi già abandonati (ne quali il Padre S. Francesco era stato) con molti altri Frati, che voleuano viuere in Regolare Osseruanza, e pouertà, e di questa maniera hebbe origine la Fameglia de gl' Osseruanti con lo Spirito del Signore, & autorità dell' Ordine, e del Generale dal detto Fra Paolo Laico, huomo semplice, &c.* Idem confirmat p. 3. lib. p. cap. 3. vbi fine de eodem B. Paulucio in hunc modum disserit. *Pare, che in questo Santo Seruo di Dio si verificasse la visione di vn Santo Religioso, che vide cadere l' Albero della Religione per vna furiosa tempesta, che li sopravenne, e d' indi à puoco nascer puoi vn ramo, che in breue*

tempo diuenne vn' albero grandissimo, che fù l' Osseruanza, & cap. 4. initio. *Nel qual tempo* (idest 1380.) *si sapeua molto bene per tutta l' Italia la Santità del Beato Fra Paolo, perche già haueua incominciato ad vnire la Fameglia dell' Osseruanza, e dato principio alla riforma della Religione*, & inferius. *E di quì venne, che i Frati Minori in Italia per hauere mantenuta quell' vsanza di portare i Zoccoli, furono chiamati Zoccolanti, perche furono i primi della Regolare Osseruanza de Frati Minori, ne quali si vede più spirito di humiltà, e mansuetudine, & maggior fauore Diuino, che prudenza, & industria humana, perche non hebbe principio con grandi instanze, che se ne facesse, ne con essentione, che fosse domandata, mà con ordinaria autorità dell'Ordine, e del suo Ministro Generale, e col mezo di vn Frate Laico, e semplice, il quale con le sue virtù, e meriti potè più dinanzi à Dio, che con consiglio humano; e sicome la Regola ne suoi principij al tempo del Padre S. Francesco sopra questo fondamento dello Spirito del Signore crebbe tanto merauigliosamente in numero, e Santità de Religiosi, che per tutta il Mondo habitarono, così nel medesimo modo moltiplicò l' Osseruanza, e la Riforma sua, &c.* & cap. 6. post initium. *Nell' anno seguente* (idest 1384.) *Fra Paolo de Trinci Prelato de Frati dell' Osseruenza hebbe autorità da Fra Gulielmo da Hasti di riceuere Nouitij nella Casa sua, hauendoli fino all' hora mandati al Ministro Prouinciale, dal quale erano esaminati, & accettati, e puoi à lui rimessi, e con tai fauori andaua crescendo la Fameglia degli Osseruanti in numero, & in Santità.* Sanè nullus omninò Conuentualis, nullus ex Patribus Capuccinis, primatum hunc Beato Paulucio adimit, Patres de Obseruantia historici, ratum hunc primatum habent, vt vidimus, igitur iniuriosus erit nimis Beato, qui ab eodem conuellere, imò rapere hanc dignitatem audebit. Sed Beatus Paulucius antequam Præsul Patrum de Obseruantia insurgentium constitueretur, inter Conuentuales, Conuentualis diù diuersatus fuerat, nam senex principatum suscepit ferè sexagenarius, & in tenera adhuc ætate habitum Minorum suscepit, igitur, &c. ista minor probatur, nam antequam

Minores de Obſeruantia conſtitueret B. Paulucius, in rerum natura non erant, nemo enim eſſe poteſt antequam à ſuo principio accipiat eſſe, & conſequenter B. Paulucius ingredi non potuit Religionem Minorum de Obſeruantia, igitur Minorum Conuentualium, qui præxiſtebant tunc temporis, vt probatum eſt proprio capite tertio, & cap. p., & in hoc capite etiam oſtenditur. Tum quia ſubiectus fuit Conuentualibus Miniſtris, & in ſenecta plenus dierum, & meritorum ad Conuentuales rediјt, & inter ipſos ab Beata Regna tranſiuit, vt narrat planis verbis idem citatus Marcus Vlyſſip. p. 3. lib. p. cap. 3. ità loquendo. *Queſto Seruo di Dio, ſi per la graue età, come per le molte lagrime di deuotione, che ſparſe haueua, diuenne cieco, e perciò ſi ritirò in vna Cella del Conuento di S. Franceſco di Fuligno de Padri Conuentuali, la quale hogidì godano gli Oſſeruanti, quando vanno per confeſſare alla Città, riposandoſi in quella*, & inferius. *Queſto Seruo del Signore perſeuerò in Santità fino alla ſua morte, la quale fù da Dio honorata con opere merauiglioſe: E fù ſepolto il ſuo Corpo in S. Franceſco di Fuligno con gran diuotione del Popolo, e de Religioſi; & è da credere, ch' ei ſia adornato in Cielo di Corona di Gloria, per lo gran frutto, che fece nell' Ordine, e nella Religione Chriſtiana, dopò ch' hebbe dato principio allo ſtato dell' Oſſeruanza de Frati Minori*. Quibus poſtremis verbis iterum caput fuiſſe dicit Patrum de Obſeruantia Beatum Paulucium. Tum quia Socius eius, quem in Præfectura Vicariatus, vt ſuas ageret vices, idem Beatus Paulucius conſtituit, Conuentualis erat, & is fuit Frater Ioannes à Stronconio, de quo in Chronol. Seraphica folio 86. ſcribitur. *Anno 1390. Frater Paulus occulis orbatus, & viribus deficiens, iam octogenarius, ſocium ſuum Fratrem Ioannem Stronconium virum perfectum, doctum, egregium Concionatorem, & Regularis Obſeruantiæ Zelatorem ſuper omnes Fratres Obſeruantiæ ſuum conſtituit Commiſſiarium, is enim* (ſubditur ibi fol. 87.) *habui: propitios Miniſtros Conuentuales plurimum obſequebatur, &c.* quare propitios habebat, quare obſequebatur Conuentuales? Paſtores agnos, & oues ſuas

optimè norunt, & eas nominatim vocant, oues vocem eius audiunt, illumque ſequuntur, non alienum, quia vocem eius non nouerunt dicitur Ioannis 10. 4. 5. igitur,ſi Ioannes Stronconius obſequebatur Miniſtros Conuentuales, illoſque probabat hac de cauſa propitios, illi ſuam ouem noſcebant, iſte verò ſuorum Paſtorum vocem audiens,illos, vt ouis illorum, ſequebatur, & illis parebat, igitur Conuentualis erat, aliàs ad quid hæc obſecutio, obedientia, & ſubiectio ? verba Chronol. hæc ſunt: *Frater Ioannes Stronconius Fratrum Minorum Obſeruantium Vicarius, Conuentus, & Fratres ipſorum maxima prudentia, & Regulari Obſeruantia Miniſtros Conuentuales plurimo obſequio,& gratioſo regimine habebat propitios,ita ſcandala euitabat, diſsidia, & lites procul faciebat, & placido incremento Familiam ſuam dilatabat.*

Alij item, qui hoc inſtitutum ſecuti ſunt in ſuis primordijs, (fueruntque quatuor Cœleſtes Præcones, vt dicitur ibidem in Chronol. *Quam Obſeruantium Congregationem quatuor Cæleſtes Pracones, Bernardinus Senenſis, Ioannes Capiſtranenſis, Albertus à Sartiano, & Iacobus Picens dilatauerunt, quibus ducibus, Familia Obſeruantia adeò ſubcreuerat, &c.* & Vuading. tom. 5. ad annum 1415. fol. 102. id confirmans, ſcribit, nu. 24. *Pauci etiam erant docti ante aduentum quatuor Cæleſtium Praconum, Bernardini Senenſis, Ioannis Capiſtranenſis, Alberti à Sartiano, & Iacobi Piceni)* extitere prius Conuentuales, & ab illis ad Obſeruantes tranſierunt, nam ibidem Vuading. fol. 101. nu. 22., ait; *Hoc anno* (ideſt 1415.) *Frater Albertus à Sartiano, Cluſina Diœceſis in Tuſcia Oppido, Pij tertij Patria, ad Obſeruantes, à Patribus Conuentualibus tranſiuit, annos natus triginta*; & conſequenter idem iudicium firmandum eſt de alijs tribus, qui cum Religioſi eſſent, caritate coniuncti cum Fratre Alberto, non à Carmelitis, non ab Auguſtinianis, non à Prædicatoribus diſceſſerunt, igitur à Minoribus Conuentualibus, ſub quorum dominio etiam, dato nomine Obſeruantibus, viuebant, igitur, &c.

Tandem, diffuſa fama huius ſeceſſus in Eremitorio Bruliani,

liani, multi accurrerunt ad eremiticam vitam exercendam, quem ingressum, ità describit Vuading. tom. 4. ann. ad ann. 1368. nu. 13. *Quorum numerus ità creuit, vt augere oportuerit domicilium, & sacram adiculam, aucto amplius sodalitio, & diffusa per omnem in circuitu regionem fama sancta societatis, plures accurrerunt vndique Fratres, quam sub vnius tugurioli angustijs potuerint contineri:* quis autem fuerit terminus à quo motus horum semouentium, narrabit nobis P. Marcus Vlyssip. 3. p. Chron. lib. p. cap. 4. initio his verbis. *Viuendo dunque questo Sant' Huomo in quell' aspro Monastero di Bruliano, come detto habiamo, Si congiunse bon numero de Frati, desiderosi di viuere nell' Osseruanza della Regola loro, i quali lasciauano la Communità dell' Ordine, che generalmente viueua con molta libertà, e priuilegi, &c.* quinam autem essent Fratres de Communitate, à qua discedebant conuolantes ad obseruantes manifestat inferius eodem lib. cap. 29., & 30., vt aliàs diximus cap. p. §. Ante hos, & prius expresserat p. 2. Chron. lib. 7. cap. 18. in margine dicendo. *I Frati della Communità sono i Conuentuali,* & describit ibi dissensionem, quæ fuit in Ordine, & Obseruantium clamores habitos in Concilio Viennensi coram Clemente V. anno Domini 1411. contra Conuentuales; igitur caput, & partes præcipuè, imò, & minus principales, quæ tunc temporis inceperunt reformationem Patrum Regularis Obseruantię, seù tunc temporis, de Familia dictam, fuerunt Conuentuales, igitur à Conuentualibus Patres de Obseruantia primam auram traxerunt, lac suxerunt, & educationem.

Respondent Aduersarij num. 82. antiquior. & lib. 6. Orb. Seraph. cap. 16. §. 4. vers. nec valet fol. 236. Bruliani locum fuisse quidem primum tugurium separationis à Conuentualibus, non verò eorum esse, quia cum exierint à Conuentualibus, & exire supponat esse, antequam locum Bruliani incolerent, existebant. Sed.

Contra est quia ante incolatum B. Paulucij, iuxtà factam sibi facultatem à Ministro de Friniano in loco Bruliani, nec

embrionis corporis Regularis Obseruantiæ vera, ac realis, & subsistens ædificatio fuerat incępta, vt dicunt auctores supracitati, quia reformatio ab alijs incępta, non fuit prudentèr directa, & ideò statim euanuit, vt fatetur etiam Pater Dominicus de Gubernatis tom. 2. Orb. Seraph. fol. 5. cap. p. fine scribendo subiecta verba: *Perseuerauit tamen in aliquibus desiderium strictioris vitæ, & regularis Obseruantiæ, quod inter reliquos piè, & absque querela conseruarunt, donec alium obtinuerunt ducem Paulucium de Trincis Fulginatem, qui maiori modestia, atque prudentia, quod alij frustra, & imprudentèr tentarunt, ad fœlicem exitum, meruit adducere*, igitur per B. Paulucium in loco Brulliani esse primum accepit, non separationem à Conuentualibus, congregatio Regularis Obseruantiæ.

Contra 2. quia si in loco Brulliani à B. Paluccio non habuit originem, primum, esse, inceptionem substantialem, ità vt valuerit tunc enunciari: Regularis Obseruantia illorum Minorum, qui vnitìm viuunt ab alijs distincti, nunc primum habet esse, seù nunc est, immediatè antea non fuit Congregatio Fratrum de Familia, igitur antea erat, caput habebat, & partes, ad quid ergò illam deducere in Eremitorio Brulliani cum tam tenui sequela, vnius, vel alterius socij? igitur cum, nec caput, nec Ministros, nec vllos haberet antea Maiores, & Superiores, & fuerit B. Paulucius primus Commissarius delegatus à Ministro Generali de Friniano, tunc, non separationem, sed inceptionem, & originem habuit, &c. & ità hoc exire à Conuentualibus Obseruantium non fuit separari, sed incipere esse de nouo.

Nec valet dicere B. Paulucium, aliosque, qui ad ipsum conuolarunt fuisse, ante hunc accessum ad locum Brulliani, Regularis Obseruantiæ amatores, & fuisse obseruantes Regulæ B. Francisci ad literam, vt iacet, & in sua puritate, & ideò tunc etiam fuisse Minores Regularis Obseruantiæ, quia, vt ab exordio huius tractatus dicebamus, alta, & profunda sit ęquiuocatio in ly obseruans; aliud enim est esse Regulæ B. Patris Francisci candidum asseclam in sua puritate, & vt digesta est

à Sancto

à Sancto Parente, aliud est esse Minorem Regularis Obseruantiæ, idest membrum illius corporis, quod distinctum, separatum, sub propria ficu, & vitæ viuunt à Conuentualibus, & Capuccinis, erant quidem ante hoc corpus, in Religione Minorum Regulæ obseruatores in sua puritate, nec vnquam ab initio Religionis per omne subsequens tempus defuerunt viri emulantes Diui Patris innocentiam, ac ingenuitatem, sed nunquam ab illis ædificatum est corpus Obseruantium Regularium, nisi quando inceptum est efformari à B. Paulucio in Eremitorio Brulliani. Sed cuius erant nominis illi Obseruatores, qui existebant ante hoc corpus? nunquid poterant vocari nomine Regularis Obseruantiæ, quod habitum est, & venit in lucem post multos annos, & post nomenclaturam Fratrum de Familia, vt superius dictum est sæpè? Si modo inter vos reperiantur Religiosi primi accubitus, ad latum vnguem non recedentes a puritate Regulæ, alij verò etiam non studentes puritati Regulæ, sed per latam viam incedentes, dicite quæso, quomodo illos appellabitis, & hos nuncupabitis? nunquid alio nomine? omnes vocabuntur Fratres Regularis Obseruantiæ, ità tunc vocabantur sanctiores, Minores Conuentuales, nec methodus viuendi particularis, nomen Communitatis in illis extinguebat, aliudue inducebat. Omnes qui modo in corpore Conuentualium voluntariè se donant Obseruantiæ puritatis Regulæ, vti fecerunt P. Ioseph de Cupertino, Bartholomæus Agricola; Hieronymus Pallanterius, Ludouicus Gulinetus, & alij, de quibus tom. 2. Orb. Seraph. fol. 552., Conuentualis nomen non amittunt, omnes qui in Patribus Capuccinis eminentissimè Regulam obseruant Capuccini nomen retinent, non dicuntur Obseruantiæ Regularis alumni, non strictioris Obseruantiæ ascetæ, igitur, &c.

Respondent 2. Aduersarij locis citatis negando B. Paulucium fuisse prius Conuentualem, (& idem de cæteris affirmare tenentur,) quia nec Conuentualium nomen adhuc fuerat inuectum, nec professio vitæ mitigatæ inducta præfuerat inter eos, qui Regulam Minorum simplicitèr, & absolutè profitebantur.

In hac

In hac responsione negationis adducitur non causa, nec alia cum valeat adduci, re ipsa ruet: etenim ante annum 1368, quando B. Paulucius dedit initium Regularis Obseruantię Ordini, & Conuentuales extitisse, & possedisse, ex vi mitigationis Regulæ authenticè patratæ, ex superioribus capitibus liquet. Quæsò tamen subsistite paulisper, si placet per suspirium, vt musicæ concentus ad aures vestras efficacius reboet; donec ego dem manum citharæ, & fides tangam, ad fidem pro veritate præstandam: dimittamus silentium, sufficit quies, audite quid loquor: quid est, quod scribitis in antiquior. ad sect. 3. Franchini num. 75., & 82., & tom. 2. Orb. Seraph. cit. fol. 232. vers. Rodericus, & fol. 236. vers. nec valet, explicando verba Roderici à Franchino allata ad probandam originem Patrum de Obseruantia à Conuentualibus sect. 3. num. 2. Reformatio Fratrum de Obseruantia exijt à Fratribus Conuentualibus, &c. sine specillis ità percurro scripturam vestram. *Exire iam supponit esse, idemque quod separari significat: igitur ex verbis Roderici, non nata fuit de nouo Obseruantium reformatio, sed à Conuentualibus separata*, ità num. 75., & vers. Rodericus, & iterum nu. 82., & vers. nec valet. *Obseruantes à Conuentualibus exierunt, idest segregati sunt, non originati, vel de nouo producti*; laus Deo. Tandem veritatem spontè fatemini; nempe Conuentuales extitisse, quando anno 1368. Obseruantes inceperunt, & B. Paulucium vt caput coluerunt, de illo enim tempore discurrit Rodericus; etenim si illo tempore separabantur Obseruantes, vt vos dicitis à Conuentualibus, si potestis, si valetis, tollite Conuentuales illo tempore vinum potasse, & panem edidisse, numquid quis à non existente separari valebit? cum separatio intercedat inter entia realia, realiter existentia, fieri igitur potuit, imò factum est, vt B. Paulucius prius Conuentualis extiterit, & postea senex Brullianum incollendo initium dederit Ordini Minorum Regularis Obseruantiæ, & sic de cæteris eius coadiutoribus sanctæ operis philosophandum, & id conuincunt superiùs dicta in probatione conclusionis; state igitur in confessione facta,

nec

nec amplius ad nugas diuertimini Patres, erant Conuentuales ante annum 1368., & ab illis non separati sunt Obseruantes, accepti pro Ordine ipsorum, quia Ordo non est ante Ordinem, sed originem traxerunt, esse de nouo, & primam inceptionem iuxtà sensum expositum in conclusione.

Probatur 2. ratione. Patres Regularis Obseruantiæ vsq; ad annum 1517. sub Leone X. habuerunt essentialem dependentiam à Minoribus Conuentualibus, ità vt fuerint, vel totalitèr subiecti in omnibus illis, vel saltem partialitèr, sed principalitèr; hæc autem essentialis dependentia nequit aliunde deriuare, quam ab origine in eorum esse à Conuentualibus, igitur originem essentialem habent à Conuentualibus, maior probatur, nam incipiendo ab anno 1368., quo fœlicitèr promicarunt ad lucem habueruntque Patrem, & Pastorem Beatum Paulucium, hic fuit eorum primus Vicarius cum facultate à Ministro Generali Thoma de Friniano obtenta, eidem in omnibus sicut, & Ministris sequentibus, subiectum cum suis candidatis se præbens, sicut votum suum impellebat, idem præstitit Leonardo, Ludouico, Martino, & Henrico Ministris generalibus, imò, & Ministris Prouincialibus, de qua subiectione scribitur in Orbe Seraphico lib. 6. cap. 2. fol. 7. ex Vuadingo vers. declinante in dies. *Viuebant tamen sub obedientia Ministri Prouinciæ S. Francisci, qui ne crescerent, intrà humilium domuncularum limites continebat*. Et ibidem fol. 9. Matthæi Amerini Ministri Prouincialis S. Francisci adducitur exemplar facultatis datæ B. Paulucio regendi nonulla loca sicut iam pridem à suis antecessoribus fuerat actum, & in literis eisdem post amplam commissionem, regiminis in iisdem locis, impositam, ità concluditur. *Quocirca, ò carissimè Frater Pauluci, deuotioni tuæ iniungo ad meritum salutaris obedientiæ per præsentes, quatenus supradicta meæ commissionis officium, atque curam, absque vlla excusatione, recipias, & exequaris cum diligentia, secundum gratiam à Domino tibi datam: Fratres verò præfatorum locorum omnes, & singuli, præsentes paritèr, & futuri, in omnibus, quæ ad prædicta pertinent, teneantur*

neantur tibi, sicut mihi, per salutarem obedientiam firmitèr obedire, quos tibi, teque illis in Domino carius recomendo: quibus etiam verbis vsus est in suis literis commissorialibus ad eundem Paulucium directis Henricus Minister Generalis 1388., vt in Orbe Seraph. cit. fol. 12. post B. Paulucium anno 1390. *Horum eremicularum (* inquit Vuading. tom. 5. fol. 102. num. 25. ad marginem *) Vicarius, quem suprà diximus, Ioannes à Stronconio prudentèr agebat*; & hic quoque humilitèr obtemperauit mandatis omnium Præsulum Conuentualium, vt diximus in prima probatione ex Chronol. Seraph., quos, & propitios propterea sibi fecerat, ac valdè beneuolos, vnde Orb. Seraph. cit. fol. 15. ex Vuadingo excribitur. *Id sua mansuetudine, ac humilitate obtinuerant Paulucius Fulginas, & Ioannes iste successor, vt Ministri Generales, & Prouinciales quidquid opus erat, huic augendæ Congregationi spontè concesserint, vt Congregationes, seù Comitia particularia celebrarent, Vicarium sibi eligerent, priuatis legibus regerentur, domos erigerent, Fratres quo vellent, destinarent, vel à sæculo, vel à Communitate Ordinis admitterent, &c.* & hoc modò processum est vsque ad annum 1415. circitèr, quo tempore, Patres Obseruantes Galliarum, obedientiæ iugum sub Conuentualibus pertæsi, obtinuerunt à Sacro Constantiensi Concilio in quibusdam Prouincijs proprios eligere Vicarios; dehinc totum institutum idem impetrauit à Martino Quinto, & Eugenio IV, vt aliàs diximus, sed cum dependentia à Ministro Generali, & Vicarij Prouinciales à Ministris Prouincialibus,ità vt licet hæc fuerit partialis dumtaxat dependentia, nam confirmati à Ministris, liberum habebant in suos subditos ius, fuit tamen principalis, quia dependentia capitis sub capite vniuersali, & Ministrorum colebant auctoritatem, quod autem in genere moris, de quo loquimur, hæc fuerit essentialis dependentia, ex eo liquet, quod Ordo, ac Religio pro fundamento suo, votum obedientiæ reueretur, cum sit virtus principalis, qua voluntatem suam Religiosi Deo benedicto totalitèr, ac iugitèr litant, ad Christi Domini exemplar, qui, vt ait D. Bernardus

dus ferm. de bonis deferendis fuper illud D. Matth. 19. Ecce nos reliquimus omnia, &c. *vitæ quoque ipfe Saluator prætulit hanc virtutem, eligens magis animam ponere, quam obedientiam non implere.* Minor autem patet, quia caufa realis diffinitur, quod fit principium per fe pofitiuè influens in aliud cum dependentia huius ab illo, dependentia igitur effentialis in pofteriori infert originationem à priori,& effe acceptum ab illo, aliàs effet dependentia accidentalis; quod autem Miniftri à quibus lac, & mel ad nutritionem, & augmentum fuxerunt Patres de Familia, fiue Regularis Obferuantię, fuerint Conuentuales patet ex dictis in prima probatione, & cap. p. huius tractatus, vbi oftenfum eft Fratres de Communitate fuiffe Conuentuales, & cap. 2. in quo demonftratum fuit primum Miniftrum generalem Patrum Regularis Obferuantiæ fuiffe Patrem Chriftophorum Numaium Foroliuienfem, & anteceffores omnes Conuentuales fuiffe; & quidem cum extiterint Conuentuales ante Ordinem Obferuantium, quod etiam nouitèr inuenimus faffum à P. Dominico de Gubernatis tom. 2. Orb. Seraph. fol. 14. initio illis verbis. *Huic datus eft focius Frater Angelus de Monte Leonis Sacræ Theologiæ Lector, qui è Conuentualibus tranfiuit ad Fratris Pauli difciplinam, allectus fumma viri virtute, & reftaurandæ Religionis defiderio*; & alijs inferius acceptis ex Vuadingo. Anno 1415. *Frater Albertus à Sartiano Clufinæ Diœcefis in Tufcia Oppido, Pij III. Patria, ad Obferuantes à Patribus Conuentualibus tranfiuit, annos natus* 30. Miniftros conuincitur fuiffe Conuentuales, quia caput coaptari debet membris, nec poterant in electione, alienum Fratres fibi ipfis affumere, fed de proprio corpore, & ex eorum vifceribus tenebantur Præfulem, ac Paftorem euectum confalutare, ac reuereri, igitur, &c.

Probatur 3. conclufio adhuc ratione, etenim primas domos, loca, & eremitoria, in quibus foueri valerent, viuere, enutriri, & augeri Patres de Familia à B. Paulucio inftituta, ac formata, obtinuerunt à Conuentualibus, vel Miniftris generalibus, vel Miniftris Prouincialibus, retentis fibi principaliori-

lioribus, excepta ædicula S. Mariæ Angelorum (& hæc est vera, legitima, ac naturalis ratio, cur modo Conuentuales in principalioribus, ac insignioribus Assisij, ac Patauij Conuentibus, &c. inhabitent, noluerunt enim rationabilitèr se ipsos priuare,) igitur Patres de Familia, dicti subsequentèr Regularis Obseruantiæ, originem, ac vitam essentialem à Patribus Conuentualibus duxerunt, antecedens patet discurrendo per singulas primas concessiones; siquidem anno 1368. primum locum obtinuit B. Paulucius à Ministro generali de Friniano, & is fuit Brulliani, vt diximus in prima probatione; scribit Vuading. tom. 4. ad ann. 1368. num. 13. ex eodem rescribens Orb. Seraph. tom. 2. fol. 7. *Obtinuit proindè* (B. Paulucius) *infra breue tempus à prædicto Generali Ordinis Præfecto, eiusque successoribus in Prouincijs Sancti Francisci, Romana, & Tusciæ Cœnobiola multa, quorum nomina dabimus aliàs opportunius, quæ vix huius strictioris vitæ æmulatoribus recipiendis sufficiebant.* Anno 1374. ob insignem victoriam, quam B. Paulucius obtinuit contra Fraticellos hæreticos pro suis Fratribus Ciuitatis Perusij, qui eum ab Eremitorio Brulliani ad hunc effectum acciuerunt, obtinuit alium locum, quem ipsimet Fratres incolebant, nuncupatum S. Francisci à Monte extrà eandem Vrbem situm, in grati enim animi ergo rogauerunt Leonardum Ministrum generalem, vt dignaretur ratam habere hanc concessionem, qui, & libentèr annuit, ità Orb. Seraph. cit. fol. 8. ex Vuadingo, quam concessionem ex eadem de causa patratam clarius enarrat Marcus Vlyssip. 3. p. Chron. lib. p. cap. 2. his lineis. *In questo tempo habitauano vicino alla Città di Perugia alcuni heretici nominati i Fraticelli, che si faceuano chiamare i Religiosi, i quali andauano vestiti d' Habito vile, & aspro, e diceuano d' essere nella Religione più perfetti de gli altri, non però obediuano al Papa. Questi con pensiero d' essere honorati, e guadagnarsi l' animo del Popolo, e d' acquistarsi credito si misero à caluniare i Frati Minori Conuentuali di quella Città, tassandoli, che non osseruauano la lor Regola, e che non erano veri Frati Minori, e di tal forza fu il lor dire, che commossero*

mossero quel Popolo ad odiarli grandemente, i quali comparire non ardiuano frà le genti per le false imputationi dateli da quei nuoui Ministri del Demonio, dalle quali veniuano scherniti, & offesi. Nel qual tempo essendo sparsa la fama della Santità, e perfetta Osseruanza della Regola di Fra Paolo, e suoi Compagni, furono quei buoni Padri (nunquam tanta laus in ore Scriptorum de Obseruantia, de Conuentualibus, quos, & tunc fuisse priuilegijs munitos, & dispensationibus fatetur ibidem cap. 4. initio, vt diximus in prima probatione §. tandem, &c.) *sforzati à chiamarlo in aiuto loro, accioche come vero Figliuolo del P. S. Francesco, li liberasse da così gran persecutione; egli subito venne con vn altro Frate Conuerso semplice suo Compagno, e si condusse alla presenza del Popolo à ragionare con quei Fraticelli, i quali addussero molte cose contro i Conuentuali, ingiuriandoli fuor di modo* (ad marginem scribit:) *Fra Paolo di Trinci venne à Perugia à diffendere i suoi Frati;* (erat igitur Conuentualis) *Voi dite, e cercate di persuadere al Popolo, che i Frati Minori non osseruano la Regola del P. S. Francesco, e che perciò sono falsi Religiosi, e che per tali deuono essere tenuti, e pel contrario, che voi osseruandola, meritate d' essere chiamati perfetti, e santi. Vediamo hora la Regola, e con essa conosceremo, e terminaremo il vero. La Regola comincia. Frate Francesco promette vbidienza, e riuerenza al Sommo Pontefice Papa Honorio, & à Successori suoi, & alla Chiesa Santa Romana, & il medesimo ridice à suoi Frati nel fine di detta Regola, commandandoli, che siano sempre soggetti al Papa, & alla Chiesa Romana; Voi dunque, che non essendo vbidienti alla Chiesa, ne al Sommo Pontefice, e sete heretici, come hauete ardire di fauellare contro quelli, che sono Frati Minori, & alla Chiesa Santa vbidienti figliuoli? ragione tanto viua, & efficace, che con essa sola restarono confusi, e spauentati gli heretici, e come accusatori della loro propria conscienza, vinti dalla verità, non seppero rispondere parola; laonde conosciuti dal Popolo per heretici, furono non solo ripresi aspramente, mà scaciati con ingiurie, e da fanciulli accompagnati con i sassi, e con le pietre fuori della Città, & i Frati di S. Francesco*

di Pe-

di Perugia restarono liberi da così gran persecutione, i quali per mostrarsi conoscenti del riceuuto beneficio dalla mano di Dio per mezo del B. Fra *Paolo, gli diedero il Monastero di San* Francesco *del Monte vicino alla Città, accioche potesse in quello cò suoi Compagni viuere, &c.* Ex quibus etiam habetur Minores Conuentuales viuentes tunc temporis cum priuilegijs, vt diximus mox ex eodem Marco, fuisse declaratos à B. Paulucio, agente pro ipsis, obseruatores Regulæ S. P. Francisci, ac veros Minores, ac filios tanti Patris, hoc siquidem Fraticelli negabant, & impugnabant, conuitijs super hoc lacessendo Minores Conuentuales, ipse verò contra illos, hoc propugnauit, & vicit. Anno 1380. refert Vuading. tom. 4. ad ann. 1380. num. 29. ex eo verò Orb. Seraph. cit. fol. 9. *Non parum anno 1380. suscepit incrementum pia hac Congregatio acquisitis duodecim Cœnobiolis intra Prouincia S.* Francisci *limites, & altero* Forani *in Prouincia Marchia, quod hoc anno Ludouicus Minister Generalis concessit*, a Ministris autem Prouincialibus præfata Cœnobiola obtinuerat, vt patet ex instrumento commissionis Fratris Matthæi de Amelia Ministri Prouincialis S. Francisci, quod in orbe cit. transcribitur. *In Christo sibi carissimo* Fratri *Paulucio Vannotij de* Fulgineo *Prouincia S.* Francisci. Frater *Matthaus de Amelia pralibata Prouincia Minister*. Salutem, &c. *De tuis exemplari vita, discretione, prudentia, animarum zelo, ac virtute multiplici longo tempore in Ordine comprobatis, in Domino fiduciam plenam gerens, te in locis deuotis, seù Eremitorijs deuotorum* Fratrum *simplicium infrascriptis: videlicet, Carceris B.* Francisci, *S. Damiani, Rocchicciola Custodia Assisij*, Farnesi, *Montis Perusij, Montis Iouis Custodia Perusij, Eremita, Montis Ionis Custodia Tudertina, Stronconij Narniensis Custodia, Iani, Montis Lucij, & Pistria Custodia Vallis, per Prouinciales Pradecessores meos, hactenus tua cura commissis meum Commissarium instituo, & tenore præsentium denuncio institutum, &c.* ità fol. 9. & fol. 12. iterum ex Vuading. Frater *Henricus Minister Generalis anno* 1387. *electus*, Florentia *in Vmbriam profectus, & Perusij harens*, *Fratrem Paulucium* Fulgi-

natem,

natem, commissam: quæ Familiam omnibus, quibus potuit, modis excitauit ad prosequendam, & ampliandam Ordinis reformationem. Quatuor dedit anno 1388. *patentes literas, quibus eum instituit suum peculiarem Commissarium super quindecim loca, seù cęnobiola, ex quibus tota coaluit Familia inter limites Prouinciarum S. Francisci, & Marchiæ Anconitanæ, &c.* & post. *Item per alias literas datas Perusij* 1388. *die* 14. *Februarij idem Minister Generalis concessit Fratri Paulluccio vt plura Cænobiola posset excipere*, & fol. 13. *Prater ea, quæ superius recensuimus Domicilia obtinuit anno* 1390. *in vltima senecta Frater Paulluccius, alia tria, nempè Camerini ad Montem Sanctum, Casæ Palumbæ, ac Murrhi in Prouincia Marchiæ, quæ plenè eiusdem iurisdictioni, ac si Prouincialis foret, Minister Generalis subiecta voluit, &c.* & fol. 14. ex tom. 5. Vuading. 1415. nu. 23. *Tota verò Regularis Obseruantia in Italia eodem anno maiores vires suscepit, firmioremque spem conceperunt Patres stabiliendi instituti ex Decreto Constantiensi, pro Domibus Gallicanis concesso: Triginta quatuor erant humiles ædiculæ in Italia, quibus hoc anno accessit totius Ordinis primæua à S. Francisco commendatissima domus S. Mariæ Angelorum in agro Assisiate, Portiuncula nuncupata: Concessit hanc Minister Generalis, annuentibus Patribus Prouinciæ S. Francisci, maximè his qui habitabant ad Sacrum Conuentum Assisij, vbi Sancti Patriarchæ Corpus honorificè colitur, reseruatis tamen sibi quotidianis, & amplis oblationibus, & pecuniarijs eleemosinis, quæ in ædicula multis miraculis, Gloriosæ Virginis apparitionibus, & diuturno S. Francisci incolatu celeberrima à numeroso concurrente Populo exponebantur*; igitur apertum est, & manifestum ex Aduersariorum confessione, Patres de Familia, auctoritate Concilij Constantiensis post modum Regularis Obseruantiæ appellatos, primos accepisse locos à Patribus Conuentualibus, prima consequentia illata probatur, quia Pater tenetur alere filios, & filias dotare, his nolentibus nubere, vt tradunt Doctores ex tritis iuribus Bonac. in 4. decal. præceptum disp. 6. t. 1. punct. 5. & disp. 3. de contr. q. 11. punc. 2. à nu. 8. Tambur. lib. 5. in decal. cap.

3., &c. & posita impotentia Patris, si Mater bona habeat, id loco Patris præstare tenetur, vt l. si quis à liberis ff. de liberis agnoscendis, vt Bonac. locis cit. cum igitur nouellæ Familiæ Obseruantium tradiderint Ministri Conuentuales tam Generales, quam Prouinciales supradicta loca, vt possent in illis emendicato victu ali, hoc munus egerunt vti Patres alentes, ac dotantes filium, aliàs ad quid tanta liberalitas, tanta alacritate animi impensa, & totis visceribus effusa in non suos? *Omnes sua ipsorum opera, vt Parentes, & Poetæ magis amare consueuerunt*, docuit Aristoteles 4. Ethic. cap. p. medio; & cap. 12. 8. Ethic. *Parentes filios, vt se ipsos amant, qui enim ex ipsis oriuntur, sunt quasi alteri ipsi, dum separati sunt, filij autem Parentes, vt ab illis producti*: licet, vt aduertit 3. moral. Eudemior. cap. 10., *magis Parentes sobolem suam diligunt, quam diligantur vicissim ipsi*; tanta ergo dilectio præstita est, tantus amor exhibitus erga hanc recentem Familiam à Ministris Conuentualibus, quia opus erat suum, & ex visceribus eius orta erat, & quasi alteri ipsi erant huius societatis alumni.

Et quidem cum adhuc hæc parua Familia tenellam agebat ætatem, & indigeret lacte, ac alimentis, vt sucresceret, fieretque maior, inuenit semper Ministros, qui panem illi frangerent, & ad edendum præberent, quia nondum didicerat proprio marte moderari. *Eo facilius* scribitur in Orbe Seraph. tom. 2. fol. 10. *horum votis annuebant Patres de Ordinis Communitate* (idest Conuentuales, vt sæpius suprà ostendimus) *quo humilius agebant, omnia Superiorum subijciebant arbitrio, & domos nullas inuadebant, sed vel sponte ab ipsis oblatas admittebant, vel nouas aliorum munificentia ædificabant extrà Vrbes in locis remotis, in quibus offensioni non poterant esse consodalibus incolatu prioribus, dum neque Populum ab eorum templis retrahebant, neque emolumenta minuebant.*

Longè tamen his votis non post multum temporis se gessit, dum ætate prouectior, intra suos fines contineri noluit; mirum quidem non est, si tanta dilectione erga Parentes non effer-

efferbuerit, quanta erga ipsam Patres sui, quia, vt dicebamus, magis Parentes diligunt sobolem suam, quam diligantur vicissim ipsi, quia soboles est opus Parentum, non Parentes sobolis ait Doctor subtilis 3. d. 4. q. 1 §. sed contra A. *Pater naturalitèr plus diligit filium suum, sicut vnusquisque naturalitèr diligit opus suum, quam è conuerso*, ex 8. Eth. cap. 12. & 9. cap. 8., *& per hoc assignatur ratio, quia benefaciens plus afficitur beneficiato, quam è conuerso, &c.* quam rationem adducit Aristoteles 3. Eudem. cap. 10. cit. Valde, tamen mirandum est, non egisse ex cordis affectu in Matrem suam, ac Patres suos, & quasi surrexerit Rex nouus super Ægyptum, qui ignorabat Ioseph, vt dicitur exodi p.8, qui durè se gessit in filios mystici Ioseph, imò in Parentes suos, cum à proprijs habitaculis deturbare sæpissimè eos conata est, vt fuerit opus ardentissimam hanc famem Pontificijs diplomatibus cohiberi, & anathemate compescere, vt asseruerit P. Dominicus de Gubernatis in Orb. Seraph. tom. 2. lib. 6. cap. 8. fol. 104.: *Et interim, vt dissensionibus, & alternis odijs viam praecluderet* (loquitur de diffidijs inter Conuentuales, & Obseruantes) *data grauissima bulla* (hic fuit Calixtus Tertius) *Regimini Vniuersalis Ecclesiæ, &c.* 11. *Kal. Septem.* 1455, *in qua aliam similem Nicolai Quinti de verbo ad verbum inseruit, sub grauissimis pœnis. & cum efficacissimis clausulis Obseruantibus interdixit, ne vllo modo etiam reformationis prætextu Conuentualium domos inuaderent, vel occuparent, aut à Principibus oblatas reciperent.* Verba Nicolai V. in bulla incip. *Cum ad Sacrum, &c.* Romæ 1454. 8. Idus Ianuarij anno primo inserta in bulla Calixti 3. edita Romæ anno 1455. 11. Kal Septemb. anno primo incip. *Regimini Vniuersalis Ecclesiæ, &c.* sunt sequentia. *Cum ad Sacrum Fratrum Minorum Ordinem, quem meritò in visceribus amplectimur caritatis, intuitum dirigimus mentis nostræ, illum profectò in Ecclesia militanti veluti stellam matutinam multis coruscare percepimus insignijs meritorum, vnde cum ipsius professores votiua pacis dulcedine potiuntur, nos vtiq; in eorum quiete quiescimus, & quando aliquid sinistri inter eos*

S 2 verisi-

verisimilitèr emersurum fore dubitatur, tantò ei accuratiùs, celeriùsque obuiamus, quantò id prospicimus, in Domino salubritèr expedire. Transmissa nobis dilecti filij Iacobi de Sarzuela Ministri Prouincialis Prouinciæ Aragoniæ secundum morem dicti Ordinis, petitio continebat, quod licet olim super diuersis quæstionibus, controuersijs, & dissensionibus, quæ inter Conuentuales, & de Obseruantia nuncupatos eiusdem Ordinis Fratres, tam super captione domorum dictorum Fratrum Conuentualium, quam etiam Monasteriorum, & aliorum Religiosorum locorum Ordinis S. Claræ, quorum Moniales sub ipsorum Fratrum Conuentualium cura viuere consueuerant, per prædictos Fratres de Obseruantia facta, seù verius attentata in plerisque Mundi partibus, retrofluxis temporibus pluribus vicibus successiuè subortæ fuere, & earum occasione super similibus inantea non attendendis varia, & diuersa salubria, & rationabilia, & honesta etiam sub magnis, formidabilibusque pęnis inhibitiones, & mandata, & alia, vt credebatur ad id sufficientes prouisiones à Sede Apostolica emanasse noscuntur. Tamen ex coniecturis verisimilibus dubitatur, ne inhibitionibus, mandatis, & alijs prouisionibus minimè obseruatis, simili occasione, similes prætensiones, controuersiæ, & dissensiones denuò oriantur, seù iam sopitæ suscitentur in Prouincia antedicta, nisi eisdem Fratribus Conuentualibus de vlteriori, nouoque Apostolico desuper adminiculo prouideatur remedio opportuno: Nos igitur illius vestigijs inhærentes, qui pacem reliquit suis discipulis in discessu, scandalis, quæ exindè (quod absit.) suboriri possent, viam præcludere, ac quæstionibus, controuersijs, & dissensionibus inter Conuentuales, & de Obseruantia Fratres prædictos obuiare vbilibet cupientes, omnibus, & singulis de Obseruantia Fratribus huiusmodi, etiam in quibuscunque gradibus, officijs, & administrationibus, ac tam in prædicta, quam in quibusuis Mundi Prouincijs constitutis, auctoritate Apostolica, & ex certa scientia districtiùs inhibemus, ne per se, vel alium, seù alios quouis quæsito colore, vel ingenio de cætero aliquem, seù aliquam domum, Monasterium, seù locum Fratrum Conuentualium, aut Monialium prædictarum de nouo capere,

pere,

pere, nec retinere, seù de illo, vel de illis se intromittere quoquomodo præsumant: alioquin in contrafacientes, ac inhibitionis nostra huiusmodi transgressores, eiusque in præmissis quomodolibet dantes auxilium, consilium, vel fauorem publicè, vel occultè, directè, vel indirectè, cuiuscunque etiam dignitatis fuerint, etiam si Pontificali, uel alia quauis Ecclesiastica, uel mundana dignitate præfulgeant, excommunicationis, & in domos transgressorum Fratrum huiusmodi, interdicti Ecclesiastici sententias tenore præsentium ferimus, ac etiam promulgamus; ità quod per alium, quam per Romanum Pontificem sic excommunicati, præter quam in mortis articulo constituti, ab huiusmodi suspendi, uel totalitèr tolli, seù etiam relaxari non possint; & insupèr uobis (idest Archiep. Cæsaraug. Episc. Oxom., ac Abbati Monasteryj de Verulla, quibus bulla fuit directa) per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut vnus vestrum per vos, vel alium, seù alios præsentes literas vbi, quando, & quoties vobis visum fuerit, & desuper fueritis requisiti, auctoritate Apostolica prædicta solemnitèr publicetis, dictisque Fratribus Conuentualibus etiam vbilibet constitutis, fortis, & efficacis defensionis præsidio eadem auctoritate assistentes, non permittatis illos, aut eorum aliquos contra tenorē præsentium quomodolibet molestari, aut eis iniurias irrogari, & nihilominus illos, quos vobis constiterit, prædictam excommunicationis sententiam incurisse, tamdiù in Ecclesijs, & Ecclesiasticis locis, Dominicis, & Festiuis diebus, dum maiorinibi Populi multitudo conuenerit ad Diuina, excommunicatos publicè nuncietis, donec ab eadem sententia absolutionis beneficium meruerint obtinere, dictumque interdictum faciatis strictiùs obseruari, quousque per Sedem Apostolicam aliàs desuper fuerit ordinatum, &c. quam prohibitionem, mandata, ac pœnas Calixtus post præfatam Nicolai Quinti exaratam constitutionem omninò de verbo ad verbum innouat, confirmat, ac robur addit his verbis. *Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Iacobi de Mozanica, Theologiæ Professoris, ac Generalis Ministri, & Vniuersorum Fratrum dicti Ordinis petitio continebat, ipsi dubitantes,*

ne Fratres de Obseruantia nuncupati prædicti prætendentes, se quibusuis breuibus, aut literis Apostolicis fore munitos, vnde inhibitiones, & mandata prædicta obseruare contemnant, ac in eorum pristino proposito perseuerare nitantur, pro parte Generalis Ministri, & Fratrum prædictorum Nobis fuit humilitèr supplicatum, vt ipsius Ordinis quieti, paci, & saluti super ijs opportunè prouidere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, ad quorum auditum quamplurimæ querelæ contra Fratres de Obseruantia nuncupatos huiusmodi super his delatæ fuerunt, non ignari quot, & quanta scandala suscitare possent, quæ ex inexplebili nonullorum ambitione procedant in tanto Ordine, tot diuisiones, & schismata, & propterea amplioribus desuper adminiculis prouidere cupientes, ac etiam omnia, & singula, tam Nicolai prædicti, quam piæ memoriæ Eugenij Papæ Quarti, etiam Prædecessoris nostri, & nostris etiam super receptione, occupatione, & extorsione, à solita Generalis, & Prouincialium Ministrorum, ac aliorum Prælatorum Ordinis Minorum in Regula expressorum iurisdictione, & obedientia Domorum, locorum, seù Conuentuum prædictorum, aut Monialium S. Claræ, seù Minorissarum ab eisdem Fratribus de Obseruantia nuncupatis, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac sub quibusuis verborum formis concessas facultates, & indulta, ac acceptionum huiusmodi, etiam cum suppletione defectuum ratihabitiones, approbationes, & confirmationes, tenore præsentium reuocantes, cassantes, & annullantes, ac pro nullis, irritis, & infectis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, prohibitionem, & mandatum huiusmodi, ac primo dictas literas huiusmodi, & processus habitos per eosdem, & quæcunque inde secuta, auctoritate Apostolica, & ex certa scientia, tenore præsentium approbamus, ac pleno firmitatis robore subsistere, & per quoscunque tam Fratres de Obseruantia nuncupatos huiusmodi, & eorum Vicarios, quam alios quoscunque etiam Pontificali, aut alia quauis dignitate præditos sub eisdem pœnis, & censuris perpetuò inuiolabiliter obseruari decernimus, statuimus, & ordinamus, & nihilominus vniuersis, & singulis Venerabilibus Fratribus nostris Patriarchis, Archiepiscopis,

copis,

copis, Episcopis, ac dilectis filijs Abbatibus, & Ecclesiarum, ac Religiosorum locorum quibuscunque Prælatis, alijsque personis Ecclesiasticis in quibusuis Mundi partibus constitutis, ad quos præsentes nostræ literæ, aut eorum authentica transumpta peruenerint, sub virtute Sanctæ obedientiæ districtè præcipiendo mandamus, quatenus ipsi, ac eorum singuli per se, vel alium, seù alios inhibitionem, & mandata prædicta, ac præsentes nostras literas, & quæcunque in eis contenta, quoties pro parte Generalis prædicti, aut alicuius ex dilectis filijs Prouincialibus Ministris, ac Custodibus, & Fratribus quibuscunque Ordinis antedicti fuerint requisiti, in eorum Ecclesijs, Ciuitatibus, & Diœcesibus, ac Prouincijs, ac vbi, & quando viderint expedire, solemnitèr publicantes, ac in præmissis eisdem Ministris, Custodibus, & Fratribus efficacis defensionis præsidio assistentes, facientesque omnia, & singula in primo dictis, ac præsentibus nostris literis contenta, tam à Fratribus de Obseruantia nuncupatis huiusmodi, quam quibusuis alijs auctoritate Apostolica inuiolabilitèr obseruari, non permittant eos, vel eorum aliquos circa captionem Domorum, locorum, & Conuentuum, aut Monasteriorum Monialium prædictarum directè, vel indirectè, aut quouis quæsito colore sub censuris, & pœnis in literis Nicolai Prædecessoris prædicti, & quibuscunque alijs grauioribus imponendis, quomodolibet molestari, aut eis grauamina, vel iniurias aliquas quomodolibet irrogari, restituturi, & reintegraturi Generalem, & Prouinciales Ministros, Custodes, & Fratres prædictos ad qualibet eis per eosdem Fratres de Obseruantia nuncupatos post emanationem primò dictarum literarum quomodolibet capta, vsque in hodiernum diem, Domos, loca, seù Conuentus, aut Monasteria Monialium Sanctæ Claræ, seù Minorissarum, quæ sub cura Generalis, & Ministrorum prædictorum hactenus fuerunt. Et insuper omnes, & singulos Fratres de Obseruantia nuncupatos huiusmodi, eorumque fautores, consiliatores, & adhærentes, ad quos etiam contra censuras, & pœnis in prima dictis literis Apostolicis huiusmodi contentas scienter contrauenisse, ac sententijs præmissis irretitos esse per solam fide dignorum relationem constiterit, in Ecclesijs, Do-

minicis, alijsque festiuis diebus, dum maior inibi Populi multitudo conuenerit ad Diuina, tam diù excommunicatos publicè nunciantes, & ab alijs nunciari, & ab omnibus arctius euitari, ac interdictum prædictum inuiolabilitèr obseruari facientes, donec inobedientes, rebelles, & præsumptores huiusmodi, suum recognoscant errorem, & Domos, seù loca capta huiusmodi Ministris, Custodibus, & Fratribus prædictis restituerint, ac liberè, & expeditè dimiserint, ac de damnis, & interesse satisfecerint competenter, à Nobisque, & Apostolica Sede absolutionis beneficium, ac reconciliationis gratiam meruerint obtinere, nullo eis in præmissis appellationis obstaculo quomodolibet suffragante, & insuper excommunicatos, & interdictos præfatos si expedierit, aggrauare, & reaggrauare eadem auctoritate procurent, Contradictores per censuram, &c.

Accessit insuper prohibitio super id Pij Secundi, Pauli Secundi, Sixti Quarti, & Iulij Secundi, quorum Pontificum literas, ac sanctiones refert, & transcribit P. de Gubernatis in suo Orbe Seraphico ex Vuadingo tom. 6. per integrum caput nonum lib. 6. à folio 135. ad 160. sicut, & Calixti Tertij præmemoratas.

Non acquieuerunt tamen genia, nec voluntates desideriorũ, sed vsque ad Leonem Decimum lites inextricabiles in huiusmodi receptione subortæ, actitatæ sunt coram Iudicibus, placuit tamen Summo huic Pontifici omnes domus, quæ sub Iudice erant, & si fuerint Conuentualium, illas adiudicare Obseruantibus in sua Constitutione quam Roder. adfert tom. p. incip. Ite vos, his verbis. *Quapropter omnes domos, loca, & Eremitoria, quæ Fratres de Obseruantia, seù Familia, seù alij reformati sub Ministris, quocunque nomine appellati fuerunt, hactenus tenuerunt, & possederunt, ipsi Ministro Generali, & Prouincialibus Ministris reformatis, & per nos sic institutis, & declaratis in suis Prouincijs respectiuè perpetuò subijcimus, & incorporamus. Volentes loca ipsa per ipsos Ministros, ac eorum Successores reformatos perpetuò teneri, & possideri, & regi, & gubernari. Quascunque lites desuper exortas, coram quibuscunque Iudicibus ordinarijs, vel Delegatis, etiam S. R. E. Cardinalibus, & dicti Ordinis Protectore, aut Sacri Palatij nostri Auditoribus, siue Commissarijs Apostolicis, tam in Romana Curia, quam extra eandem, & tam inter Prælatos,*

latos, quam etiam inter Subditos in quibuscunque statu, vel instantia, tam super possessorio, quam petitorio, seu, & spolio, si quomodolibet prætendi possit desuper pendentes, & si huiusmodi loca, de obedientia, & de capitulis Fratrum Conuentualium dicti Ordinis prius fuissent, ad nos auocamus penitus, & extinguimus, silentium perpetuum partibus imponentes, sententias quoque, & processus per quoscunque Iudices in eis habitos, & latas, ac inde secuta quæcunque, etiam si lites ipsæ ratione locorum, Fratrum, & bonorum, siuè indè receptorum, aut cuiuscunque alterius rei occasione, vel causa motæ fuissent, cassamus, & annullamus, & nihilominus dictis Fratribus Conuentualibus, nec non quibuscunque Iudicibus, ac alijs quibuscunque, ne quicquam contra huiusmodi nostram declarationem, institutionem, innouationem, vnionem, & incorporationem, in iudicio, vel extra, attentare, procurare, iudicare, pronunciare, & si eis per nos commissum existat, seù in futurum committatur, præsumant, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ac priuationis beneficiorum, quæ obtinent, ac etiam inhabilitationes ad alia in posterum obtinenda, eo ipso incurrenda inhibemus, præcipimus, & mandamus, in fauorem tamen Conuentualium contra Obseruantes in altera bulla Omnipotentis Dei penes eundem Rodericum existentem, hæc decreuit. *Insuper Generali, & Prouincialibus Ministris, pro tempore existentibus, sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, præcipimus, & mandamus, ne directè, vel indirectè, etiam fauore Dominorum temporalium, Ciuitatum, & Vniuersitatum, Oppidorum, Terrarum, & Villarum, ac Personarum Ecclesiasticarum, etiam Prælatorum quorumcumque, seù eorundem Cardinalium, siue alio quæsito colore, vel ingenio, malitiosè, quod Domus, & loca Fratrum Conuentualium, seù Monasteria Monialium, Curæ Magistri Generalis Conuentualium huiusmodi subiecta, quæ hactenus, sub dicto Ministro Generali Fratrum Conuentualium fuerant, eis quoquo modo auferantur, procurare præsumant, & nihilominus quicquid in contrarium attentatum fuerit, sit eo ipso irritum, & inane: Domus autem, & loca, ac Monasteria Monialium, Magistro Generali Fratrum Conuentualium, ea subiecta esse intelligi volumus, quæ Apostolica, vel alia auctoritate Magistro Generali, ante celebrationem dicti Capituli generalissimi proximè in dicta Domo Aracœli celebrati, subiecta erant, & in quorum possessione ipse tunc Minister Generalis Conuentualium existebat, præsertim Domus, seù Conuentus Assisij, & Sancti Saluatoris de Vrbe, aliæque quam plures Domus, ac multa Monasteria Monialium, quæ eidem Ministro Generali, tunc immediatè subiecta erant, quæ omnia ex nunc Magistro Generali Conuentualium immediatè subiecta perpetuò sint, & esse censeantur, exceptis Domibus, & locis, ac Monasterijs Monialium dictorum Fratrum Reformatorum per priores literas nostras huiusmodi nuper vnitis, quæ Generali, & Prouincialibus Ministris, suis Prouincijs respectiuè, in omnibus subiecta remanere volumus.* Credi-

Credidissem ex hac Leonina prohibitione hunc appetitum fuisse internicioni commissum: fallor! Iberiç euentus infecundi credulitatem meam inanem euincunt. Frater Franciscus Ximenius Ordinis Minorum de Obseruantia, cum adhuc in minoribus esset, Isabellæ Hispaniarum Reginæ admodum carus fuit, vt eligeretur ab ea pro suis sanctioribus à secretis, huius, & viri Ferdinandi Regis loricatus auctoritate, opem omnem obtinuit, vt ad suæ Religionis tectum Conuentualium Monasteria reducere quiret, actum est, factumque sic describit Vuadingus tom. 7. fol. 360. anno 1495. num. 34. *Huius instituti, qui erant Conuentuales Fratres, & Claustrales passim dicebantur, pluraque omnia magnifica, frequentatissimaque Monasteria Hispaniæ incolebant, illi verò, qui propter accuratiorem Ordinis sui Obseruantiam, Fratres Obseruantes appellabantur, pauca quædam, eaque exigua Cœnobia obtinebant. In horum itaque potestatem Conuentualium Domos Ximenius, quod potuit arte, prece, vel pretio traducebat*; & ad annum 1496. num. 9 iterum narrat: *Illius opera*, (scilicet Ximēnij,) *nec non Catholicorum Regum fauore amotis Conuentualibus, multa eorum Cœnobia Obseruantibus committebantur, vndè tumultuantibus, & obstrepentibus Conuentualibus, non pauci insigni nobilitate, atque auctoritate viri fauebant*, & num. 10. *Romæ autem vbi præcipuus causæ vniuersæ cardo vertebatur, longe maiora impedimenta, atque incommoda peruincenda erant; illic enim obiiciebantur pacta, & conuentiones inter vtriusque vitæ homines inita, a Paulo Secundo, Sixto Quarto, Innocentio Octauo confirmata, quibus cauebatur, ne Obseruantes Conuentualium Domos vllo prætextu, aut quouis quæsito colore inuaderent, aut oblatas absque Sedis Apostolicæ permissu reciperent. Aduersus illam conuentionem in hac Monasteriorum reformatione fuerunt nonnullæ Conuentualium Domus Ximenii opera dum Regina à confessionibus esset, ab Obseruantibus receptæ, & Regulari Obseruantiæ, veteribus earum colonis consentientibus, vindicatæ, qui precibus, & præmio illecti Domus suas Obseruantibus reliquerant; idque nihil Superiorum Pontificum prohibitione obstante, Alexandri Sexti Pontificis Maximi auctoritate probatum fuerat, & Obseruantibus, vt Domos, & Monasteria Conuentualium de habitantium Fratrum consensu recipere, ac liberè retinere possent permissum. Qua ratione fiebat, vt ex Conuentualibus Cœnobiis nonulla ad Obseruantium Ordinem transferrentur*, & num. 11. *Ne paulatim aliæ etiam Domus ad Obseruantes transirent, Minister Generalis Franciscus Samson, qui Conuentualis erat, ab Alexandro Pontifice summa contentione impetrauit, vt in ea Monasteriorum correctione à Regibus*

gibus

gibus Catholicis, & Ximenio instituta minimè liceret, eam curam gerentibus, sine certis quibusdam adiunctis socijs ex Conuentualibus ab ipso Ministro designandis officio persungi. Hos igitur Roma missos, cum à Regijs Correctoribus, seù Reformatoribus contemptui haberi, nec vllam ipsis in eo Ministerio auctoritatem deferri intellexisset, Pontificem Maximum miris modis ad iracundiam prouocat, tanquam illius auctoritati potissimum illuderetur, corrogatoque Cardinalium quorundam fauore, qui Conuentualium partibus studebant, edictum à Pontifice Maximo de Amplissimi etiam Senatus sententia promulgatur, quo vniuerso censuræ huius, atque emendationis Monasticæ negotio supersederi iubebatur, datis de ea re ad Catholicos Reges, quorum auctoritate res gerebatur, his breuibus literis, quas Regina ad se allatas, statim ad Ximenium misit curauit.

ALEXANDER PAPA SEXTVS.

Chariſſimis in Christo Filijs nostris Ferdinando Regi, & Elizabethæ Reginæ Hispaniarum Catholicis.

Chariſſimi in Christo Filij nostri salutem, & Apostolicam Benedictionem. Vt imponatur finis dissensionibus, & quærelis, quæ continuò afferuntur à Fratribus præsertim Ordinis Minorum Sancti Francisci propter commissum in istis Regnis, & Dominijs vestris reformationem, pro qua à Generali aliqui sui Ordinis istuc transmissi, vt simul cum Prælatis per Nos ad id deputatis, huic negotio intenderent, officio suo minimè fungi permittuntur, & varijs iniurijs (vt asserunt) se affectos conqueruntur: Decretum fuit in Consistorio de Venerab. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium vnanimi consilio, vt tam ipsis transmissis, quam per Nos deputatis huic reformationi Commissarijs inhiberetur; vt in huiusmodi reformatione, & eius executione non procederent, sed supersederent, donec veritate per nos intellecta prouideretur, & aliud mandaremus, quemadmodum Maiestates vestræ ex literis Venerabilis Fratris nostri Georgij Episcopi Portuensis, Cardinalis Vlixbonensis eiusdem Ordinis Vice-Protectoris, & dilecti Filij Garsiæ Lassi Oratoris nostri, ad quos nos remittimus, plenius intelligent. Dat. Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die nona Nouembris 1496. Pontificatus nostri anno Sexto; hæc Vuading. & ex eo Orb. Seraph. tom. 2. lib. 9. cap. 6. initio.

Placuit tamen D. O. M. aliud de Iberis Cœnobijs decernere, de cuius sanctissima dispositione discurrit Nauarrus to. p. commentariorum tom. 4. de Regularibus à fol. 77., & num. 26.

Ex allato autem Bullæ Leonis textu colligo, ideò Assisiente Cœnobium, vbi S. Patriarchæ Corpus Sacris Stigmatibus obsignatum indubiè requiescit, ac Patauinum pariter, vbi D.

vbi D. Antonij Sacri Cineres venerantur, aliorumue plurium ex Ordine Seraphico Sanctorum, qui in primis Ordinis Minoritici sęculis floruerunt, sacras exuuias tanto decore possidere, tantaque veneratione custodire meruisse Conuentuales, vt in Orbe Seraphico tom. 2. lib. 9. cap. 9. initio loquitur de Gubernatis, quia antequam ab illis traherent originem Patres de Familia, ac in Corpus alterum inciperent efformari, illisque dos constitueretur ad alimenta, omnes omnino Conuentus ad Religionem Minorum spectantes incolebantur à solis Conuentualibus, qui tunc temporis sola Religio Minorum erant, & ideò omnia ad Ordinem Minorum spectantia sub ipsorum vsu facti, ac dispositione consistebant; quando autem illis placuit liberum præbere assensum aliquibus ex suis, vt eremiticam ducerent vitam, & in secretioribus locis, męroribus amicis, secederent, feruentius Deo benedicto famulandi causa, ac puritati Regulæ D. Patris Francisci obsequendi studio, tunc etiam illis quędam consignauerunt loca ad hunc finem opportuna, retentis sibi insignioribus, à quibus nunquam Deo benedicto placuit, vt deturbarentur, nec ideò arisere Pontifices. Recedat igitur ab aula illegitima causa huius possessionis assignata ab Aduersarijs in Antiquioritate fol. 21. num. 44., & to. 2. Orb. Seraph. lib. 9. cap. 9. initio, fol. 551 nu. 140., ideò Conuentuales prælibata Monasteria incoluisse iugitèr, quia ab illis Zelotes, ad effugienda laxiorum iurgia, contentiones, atque relaxationum pericula, recedere coacti sunt scribitur in lib. 9. cit. Orb. *Cum enim post prima indiuisa Religionis aurea sæcula ob irrepentes laxioris vitæ libertates, qui à Regulæ puritate recedere volebant, ab illis, vt periculum relaxationis effugerent, recedere cogerentur, qui nouitates libertatis affectabant, hi longè maiori numero antiqua Cœnobia sibi retinuerunt, in quibus antiquorum Patrum sacra pignora seruabantur, illis ad Eremitoria, & loca pauperrima secedentibus, & si verò postmodum Leo X. Regulæ ad omnimodam puritatem obseruatores in vnum sub Obseruantiæ Regularis titulo collectos, Ministeriatu Generali, sigilloque Ordinis, & cæteris præeminentijs donatos*

ad

ad Regulæ præscriptum extulerit, de Conuentuum tamen restitutione nihil voluit innouatum, ita vt omnes illi Conuentualibus remanserint, quos ex antedicta iam causa tunc possidere reperirentur, inter quæ quamplurima fuerunt, in quibus sacrosanctæ primitiuæ Religionis pignora conseruantur in antiquior. verò loco cit. *Ergo cum ad arctissimos Regulæ Franciscanæ rigores præsertim verò ad omnimodam paupertatem viuere, vt passim habemus in Ordinis Chronicis, & Annalibus nonullos tædere cœpisset, horumque malo ab exemplo, imò, & à persuasionibus, & quidem efficacissimis Ordinis Communitas processu temporis infecta languesceret, tametsi Ministri Generales, & Ordinis comitia, frustra tamen ob causas in Annalista, & in Orbe Seraphico tomo primo legendas proclamarent in contrarium; ipsamet Communitas Religionis per plurimos abusus, deinde ad rectificandas, vt suo loco dicetur, Fratrum conscientias, per Apostolica mitigatiua priuilegia, cœpit à rigore primæuo relaxari. Qui ergo in ipsa erant præ cæteris suæ professionis Zelotes (at numero pauciores) ad effugienda laxiorum iurgia, & contentiones, atque relaxationum pericula, satius iudicarunt, de licentia etiam Superiorum extra illorum consortium in locis pauperioribus. & in Eremitorijs viuere separatim, qui ea propter, Parua Familia, dehinc ab ipsa pura Regulæ Obseruantia, obseruantes fuerunt appellati.* Recedat inquam hæc assignata Aduersariorum causa possessionis præcipuorum Cœnobiorum à Conuentualibus habitæ, in quibus, & Heroum nostrorum sacra lipsana reseruantur, & recessus Zelotum ab illis, quasi à proprijs domibus aufugerint expulsi vi contentionum &c., nunquam enim Patrum de Familia, vel Regularis Obseruantiæ fuerunt, nec inantea, vel parua Familia, vel Regularis Obseruantia fuerat in Minorum Religione, vel vnquam comixta cum Conuentualibus vitam traduxit, duo enim Corpora simul penetrata, ac inuiscerata nequeunt esse. Nec Leo X. verbulum etiam tenue efformauit, vt legi potest in bullis Vnionis, & Concordiæ, de restitutione præfatorum Conuentuum, quia illa nunquam eripuerant Conuentuales ab Obseruãtibus, vel de Familia, nunquam possesso-

possessoribus, imò adiudicauit Leo omnia Cœnobia Conuentualibus, quæ tunc obtinebant, quia iugiter illa possederant; quinimò erepta Conuentualibus ab Obseruantibus, stare voluit magno, ac grauissimo cum detrimento eorundem, vt parum supra recensuimus, adducendo bullarum sermones, Obseruantibus,

In hoc tamen Aduersariorum discursu admodum arridet fateri Communitatem Ordinis fuisse Conuentuales; aiunt enim à Zelotibus recessum fuisse à Conuentibus priscis, & insignioribus ob lites, iurgia, &c. Fratrum de Communitate, & Conuentualium, & ob hanc causam eadem Monasteria Conuentualibus cessisse, & ex recessu isto ad loca pauperiora, ædificatam paruam Familiam, dehinc Obseruantium Ordinem, nec possunt, vel ex verbis proprijs saluari, vel ex responsione ipsa, in qua intenditur responsum dari obiectioni Franchinianæ, quod sint antiquiores Obseruantibus Conuentuales, quia possident priscos, & præcipuos Conuentus, dum igitur dant causam talis possessionis, admittunt Conuentuales tunc fuisse possessores, aliàs obiectio esset de vno, nempe de Conuentualibus possidentibus, & responsio de alio, nec dicitur Communitatem, non Conuentuales possedisse, sed confunditur Communitas, cum Conuentualibus, & conceditur hos possedisse, & ab his recessisse Fratres Zelotes, qui? B. Pauluccius cum socijs, qui paruam Familiam constituit in locis eremiticis, & dehinc corpus coaluit Obseruantiæ post tempus, & tempora, & lustra. Satis ergo aliquid boni sit ex hac non vera responsione trahere, quod constanter negant alibi Aduersarij, vt diximus cap. p. Aliud etiam optimi habent ex hoc discursu Conuentuales, illis in verbis, ipsamet Communitas Religionis per plurimos abusus, deinde ad rectificandas, vt suo loco dicetur, Fratrum conscientias, per Apostolica mitigatiua priuilegia, cepit à rigore primæuo relaxari. Quando hæc fuerunt? quando Zelotes recesserunt, ne priuilegijs vterentur, & à rigore Regulæ deficerent, & relaxarentur sicut Fratres de Communitate, idest Conuentuales, quia

hi

hi sunt per Aduersarios, qui Conuentuales dicuntur à priuilegijs, qui illa petierunt, obtinuerunt, vsi sunt, & ab illis recedere etiam rogati à Leone X. noluerunt; quando autem Zelotes abierunt relinquentes præcipua Cœnobia Conuentualibus ne fœdarentur priuilegiorum obtentorum vsu? quando cœpit parua Familia instituta, & directa in loco Brulliani primo primum, dehinc in alijs eremitorijs a B. Pauluccio, igitur ante annum 1368., quo vidit lucem parua Familia, erant in Communitate priuilegia; erant igitur Conuentuales, qui ab illis per Aduersarios, tales nuncupantur, & illis fruebantur: Ad quid ergo bone Deus tot clamoribus æther implere, & reicere priuilegia in Ordine Minorum ante Martinum Quintum, & Conuentuales ipsos? postea autem, & Conuentuales, & priuilegia ipsorum ante Martinum Quintum lustris decem, libenter nescio, an violentia veritatis, & rationum, concedere? Caueant Aduersarij, ne iterum labantur in foueam contradictionum, in quam sæpissimè inciderunt. Si libet lectori, lustret iterum quæ diximus cap. 4. de priuilegijs ante Martinum Quintum, iam in Ordine priscis temporibus existentibus, & refractas videbit Aduersariorum adinuentiones pro internicione ipsorum, quas ex tunc dictis, & confessis, ipsimet destruunt.

Probatur quarto paritate Patres Minores Capuccini dicuntur Filij Conuentualium, & quadam minori ratione etiam Patrum de Obseruantia, non alia ratione, nisi quia multi ex ipsis digressi ab Obseruantibus se receperunt sub vexillo, tecto, foco, & obedientia Conuentualium cum debita facultate, & post multos annos, de licentia Superiorum Romam petentes, à Clemente Septimo obtinuerunt posse se recipere in Eremitorijs, & vitam ducere eremiticam sub obedientia suorum Superiorum Conuentualium, quod, & illis confirmauit Paulus Tertius, qui ex vita eremitica illos euexit ad statum Congregationis cum facultate eligendi Vicarium, & celebrandi comitia cum dependentia tamen, ac subordinatione ad Superiores Conuentualium, quæ methodus inuiolabiliter seruata

est

est vsque ad annum 1619., quo tempore à Paulo Quinto exempti sunt, & facti omnino sui iuris, sed hoc simili modo inuariato accidit in Patribus Regularis Obseruantiæ in Ordine ad Minores Conuentuales, igitur sunt eorum filij, & originem essentialem ab illis habuerunt. Maior probatur, ac dilucidatur, etenim cum Patres Capuccini actitarent in Romana Curia contra Patres de Obseruantia super negotio præcedentiæ, exijt à Sacra Congregatione subiectum decretum, & motiuum decreti adducitur fuisse, quia Patres Capuccini sunt Filiales Obseruantium, & longè posteriores ipsis in approbatione Apostolica.

INNOCENTIVS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Nuper à Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris Ritibus præpositorum emanauit Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet, facta relatione per Eminentissimum D. Cardinalem Sabellium ponentem causæ Ampuriensis præcedentiæ in Sacra Rituum Congregatione de controuersia super præcedentia in processionibus, vertente inter Fratres Minores Obseruantes ex vna, & Capuccinos ex altera parte, habentes ambos Conuentum in Oppido Nului in Sardinia Ampuriensis Diœcesis, & eadem Sacra Congregatio auditis hinc indè partibus in voce, & in scriptis, plurìes informantibus, & præcipuè pro parte Minorum Obseruantium, declarauit præcedentiam deberi Fratribus Minoribus Obseruantibus, ex quo Obseruantes sunt priores in Ordine qualitatis, & approbationis Apostolicæ, & Capuccini, licet priores in fundatione per quatuor annos in eodem loco, sunt tamen filiales ex eadem Religione Obseruantium, & longè posteriores in approbatione Apostolica, quo casu non intrat bulla Gregoriana de anterioritate Conuentus in eodem loco, & ita decreuit, & seruari mandauit die 26. Nouembris 1678. V. Cardinalis Carpineus loco † Sigilli. Bernardinus Casalius Sacræ Rituum Congregationis Secretarius. Cum autem sicut dilectus filius Josephus de Capons Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum de Obseruantia nuncupatorum Nobis subindè exponi

poni fecit, ipse decretum huiusmodi, quo firmius subsistat, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desideret: Nos ipsum Iosephum, &c. supplicationibus eius nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inuiolabilis Apostolicæ firmitatis robur adijcimus, salua tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium. Decernentes easdem præsentes literas, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, &c. Dat. Romæ die 16 Ian. 1679. Pont. nostri anno 3. quod decretũ iterum à S.R.C. anno 1680. 24. Feb. confirmatum extitit, vt refertur in Orb. Seraph. to. 2 lib. 6 cap. 11 fol. 178, sunt igitur PP. Capuccini Filij Patrum de Obseruantia, sed hoc non accidit, nisi quia inter Obseruantes Regulã Minorum vouerũt, licet ab illis recesserint post emissam in eorum Ordine professionem, de licẽtia suorum Superiorũ, & se submiserũt Conuentualibus, sub quorum obedientia pluribus annis conuixerunt, vt affirmat etiam P. de Gubernatis to. cit. lib. 9. fol. 487. nu. 1. *Quoniam verò ab Obseruantibus primò digressi ad Conuentuales transierunt illorum primi Fundatores, antequam bullam suæ Congregationis erectiuam impetrarent, atque sub Conuentualibus diù permanserunt, &c.* scribendo, & tunc Congregationem de licentia Superiorum Conuentualium obtinentes literas Clementis Septimi, instituerunt, & hi fuerunt Frater Ludouicus, & Raphael de Foro Sempronij, quibus directum fuit Breue Pontificium Clem. *Religionis Zelus*, vt habetur to. 1 p. bul. constit. 21 Clem., ergo multò magis sunt filij Conuentualium, quia sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis, & maximum ad maximum Rethor. Aristot. p. cap. 7. initio; sunt autem Patres Capuccini filij Patrum Obseruantium, quia prius fuerunt sub eorum vexillo, & obedientia, licet non tunc cum illis conuiuerent, quando Capuccinorum Congregatio erecta est, igitur magis sunt Conuentualium filij, quia, quando hæc Congregatio eluxit, obediebant, vt Conuentuales, & vt veri Conuentuales, non amplius Ob-

ſeruantes, Superioribus Conuentualium, & non Superioribus Obſeruantium, cum amplius nil de ſuo eſſent, nec inter ipſos computari quirent. Tum quia ſi de quo minus videtur ineſſe, & ineſt, ergo de quo magis, ait enim Ariſtoteles 2. Top. t. 35. *Si cui magis videtur ineſſe non ineſt, nec cui minus, & ſi cui minus videtur ineſſe ineſt, & cui magis*, & t. 36. *Si quod magis videtur alij ineſſe non ineſt, neque quod minus, aut ſi quod minus videtur ineſſe, ineſt, & quod magis*, minus autem videtur poſſe dici PP. Capuccinos Patrum de Obſeruantia filios eſſe, cum Capuccini ſint euaſi, quando non erant amplius de ipſorum Corpore, ſed de gremio Conuentualium, & tamen decretum eſt, eſſe filios eorum, ergo magis debent dici, & ſunt filij Conuentualium, cum eſſent in eorum ſinu, quando in Congregationem eleuati fuerunt, & ſub illorum dominio, ac cura conſtituti ſunt à Pontificibus, vt patet ex bulla citata Clementis Septimi, & ex altera Pauli Tertij *Exponi nobis* Romæ 1536. octauo Kalend. Septembris. Tomo primo Bullarij, & ambo adducuntur à Vuadingo to. 8. ad ann. 1528, & 1536., & in Orbe Seraphico to. 2. lib. 10. cap. 2. fol. 562, & fol. 564, Minor probatur, Patres de Regulari Obſeruantia digreſſi ſunt à Conuentualibus poſt profeſſionem emiſſam inter ipſos, vt ſuperius diximus de B. Pauluccio, & alijs conſtituentibus Familiam Fratrum prima, & ſecunda concluſionis huius probatione, à Concilio Conſtantienſi inceperunt habere formam inſtituti Regularis Obſeruantiæ ſub tutela tamen Conuentualium, à Martino Quinto, & Eugenio Quarto magis adaucti ſunt, non liberati tamen à tutela eorundem Conuentualium, vt patet ex tenore bullarum prædictarum, & ex altera Leonis Decimi *Omnipotentis* lata anno 1517, quo tempore, & non antea facti ſunt ſui iuris, & à dominio Conuentualium, vigore huius poſtremæ Conſtitutionis Leoninæ manumiſſi, igitur originem habuerunt immediatam, proximam, ac formalem à Conuentualibus, ſuntque eorum filij, cum longe poſteriores ipſis, inter ipſos votis minoriticis vincti fuerint, Regulam Minorum ſint profeſſi in conſortio ipſorum addicti,

addicti, de licentia Superiorum Conuentualium ad Eremitoria diuerterint, & sint posterius approbati, licet vt dicebamus, non sint ea ratione Conuentualium filij, quatenus illis parauerint Regulam, habitum, locum, ac methodum primariam viuendi, ad eum modum, quo legitur patratum a S. Raymundo de Pegnafort, qui cum esset asceta Ordinis Prædicatorum, non mutata Religione, neque habitu, Ordinem Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum, vnà cum B. Petro Nolasco, & Iacobo Aragonum Rege fundauit, vt habetur in eius vita 23. Ianuarij in Breuiario Romano, cui certas viuendi leges ab Apostolica Sede approbatas præscripsit, atque eundem Petrum primum Generalem Ordinis Magistrum suis ipse manibus, habitu Religionis indutum, creauit.

Confirmatur Patres Capuccinos Filiales Patrum Conuentualium, & Patrum de Obseruantia (vt etiam Pater de Gubernatis tom. 2. lib. 10. cap. 5. fol. 584. num. 57. aduertit, dum ait. *Vndè, & in titulo primæ suæ institutionis sæpius nominata bulla* (scilicet 21. Clem. VII.) *Religionis Zelus, &c.*, sic dicitur; *Approbatio Congregationis Fratrum Eremitarum Capuccinorum Ordinis Minorum Conuentualium S. Francisci, &c. in rubrica ibidem, sic notatur: isti Eremitæ nomen Capuccinorum postea sortiti sunt, &c.* & in bullæ vndecimæ Pauli III. (scilicet *Exponi Nobis*, 1536.) rubrica, sic dicitur: *Approbatio secunda Congregationis Cappuccinorum Ordinis Minorum Conuentualium S. Francisci, &c. Hi Fratres Capuccini hactenus Eremitæ nuncupabantur, &c. hac autem rubrica non obstante, cum ex ipsa bulla suæ institutionis ab Obseruantibus digressi probentur, nouissimè Obseruantium filiales, non Conuentualium declarati sunt, vt lib. 6. diximus*, (in hoc tamen altè hallucinatur P. de Gubernatis, quia licet filiales dicantur Obseruantium in præmorato, & exarato paulò superius S. R. C. decreto, non hoc tamen dicitur exclusiuè ad Conuentuales, qui ibi non sunt nominati, quia rem non habebant Patres Capuccini cum Conuentualibus, sed cum Obseruantibus dumtaxat; Tum quia si hac ratione dicuntur filiales Obseruantium, quia in

bulla dicitur, quod *digressi sint ab Obseruantibus*, dicitur etiam quod conuiuentes inter Conuentuales post egressum ab Obseruantibus, elegerint permanendo adhuc sub obedientia Conuentualium, in Eremitorijs incolatum ducere, &c. *Sanè* inquit Clem. VII., in citata bulla, *Pro parte vestra Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod vos olim feruore seruiendi Altissimo ducti, Ordinem Fratrum de Obseruantia nuncupatorum ingressi, in ea, professione emissa, per certum tempus permansistis, & deindè de licentia vestri tunc Superioris, iuxtà formam literarum Apostolicarum super vnione, & concordia inter prædictos, & Conuentuales nuncupatos Fratres dicti Ordinis, edita, confectarum, ad ipsorum Fratrum Conuentualium consortium vos transtulistis, & à tunc Magistro Prouinciali Prouinciæ Marchiæ dictorum Fratrum Conuentualium benignè recepti, ac aliorum Fratrum Conuentualium eiusdem Prouinciæ numero, & consortio aggregati fuistis, Et deindè vobis desiderantibus pro animarum vestrarum salute, ac Dei gloria, eremiticam vitam ducere, & quantum humana patitur fragilitas, Regulam B. Francisci obseruare, dictus Minister Prouincialis licentiam ad Romanam Curiam accedendi, & à Nobis, ac Sede Apostolica quæcumque ad animarum vestrarum salutem, ac Dei gloriam opportuna vobis viderentur petendi, & impetrandi, concessit, ac etiam dilectus filius noster Andreas Tit. S. Priscæ Præsbiter Cardinalis, dicti Ordinis Protector, vobis, vt similem impetrationem facere possetis, indulsit, ità tamen quod vnus ex consortio vestro, omnium vestrum nomine, Magistro Prouinciali, seù Capitulo Prouinciæ dictorum Fratrum Conuentualium, in qua habitaretis, singulis annis se præsentare in signum subiectionis, teneretur, & ipse Magister (si sibi videretur) semel in anno, & non vltrà, vos visitare, & si inuenerit, vos prædictam Regulam non obseruare, ad eam plenius obseruandam vos admonere, ac debitis modis compellere posset: Præter hæc autem, nec vos de loco ad locum transferre, nec aliquid aliud uobis iniungere, aut à vobis exigere ualeret, sed potius uos tueri, & defendere teneretur, ut in pace possetis Altissimo in Diuinis famulari, prout in literis patentibus*

corun-

eorundem Cardinalis Protectoris, & Magistri Prouincialis desuper confectis, plenius dicitur contineri. Quare pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, vt vobis vitam eremiticam ducendi facultatem concedere, aliasque in præmissis opportunè prouidere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, &c. Sequitur amplissima petitorum concessio. Tum quia vt parum supra diximus potiores sunt pro Conuentualibus rationes probantes Patres Capuccinos esse Conuentualium filios, quam Obseruantium) hæc faciunt; fuisse videlicet Obseruantes, & post Conuentuales, sub illorum obedientia traduxisse vitam, & postea de licentia Superiorum suorum ab illis digressos fuisse, nomen dedisse Religioni vtrique, & pro Conuentualibus, ab ipsis etiam in Congregatione euectos dependisse in visitatione, auctoritate, & confirmatione, quç omnia manifestè, distinctè, ac pateticè leguntur in bulla citata Pauli Tertij: *Exponi Nobis*; Sed hæc omnia verificantur de Patribus Regularis Obseruantiæ respectu Conuentualium, vt videri potest cap. p. §. Pro coronide, & capite sequenti, in quo ex professo ostendemus Patres Obseruantiæ Regularis dictos, fuisse Conuentualibus ab anno 1368. ad annum 1517. subditos, & eorum Vicarios generales à Ministris Generalibus Conuentualibus fuisse confirmatos, & à Ministris Prouincialibus, Vicarios Prouinciales, igitur &c., nam de similibus idem iudicium, quinimò Capuccini nullam auctoritatem vnquam habuerunt ab Obseruantibus, nec confirmationem Superiorum, nec visitationem passi, vel correctionem, sicut ipsi à Conuentualibus, igitur sunt filiales Conuentualium, & potiori iure, quam Capuccini Obseruantium.

Confirmatur 2. Patres Regularis Obseruantiæ ante annum 1517., nec locum habebant in actibus publicis, nec sub propria Cruce incedebant, nec in processionibus ipsis anteibat lux propria, vbi enim non erant Conuentuales cedebant alijs locum, vbi verò existebant ambo, incedebant sub luce, & Cruce Conuentualium, & solum Conuentuales habebant locum vbique, propriam erigebant Crucem, & luminaria

accendebant ante illam, qui mos in præſentiarum etiam poſt ſeparationem totalem, & omnes honores voluntariè translatos, ac ipſis donatos, multis tenetur locis, vti potiſſimum, ac principalius fit Arimini, in omnibus enim publicis proceſsionibus præit Crux Conuentualium in medio candelabrorum à Ceroforarijs geſtatorum, ſequuntur Patres Capuccini abſque propria Cruce, & lumine, poſt hos Patres de Familia, ſeù Regularis Obſeruantiæ ſine Cruce, & lumine, & poſtremo loco Conuentuales. Huius autem rei, ſcribit Pater Franchinus ſect. 5 num. 12. fine ſuæ antiq. *Veſtigia poſſet quis inueſtigare in Proceſſionibus Caſtillionis Florentini, in quibus Patres de Obſeruantia ſub Cruce Conuentualium incedunt, ſubſequentibus Conuentualibus, quod, & alicubi in Regno Neapolis, & aliquando Bictonij in Vmbria obſeruatur;* Igitur Patres de Obſeruantia Regularis ſunt originarij Conuentualium, antecedens probatur ex ijs, quæ diximus cap. 2. §. sed nec, vbi ex Bulla Leonis id ineluctabilitèr conuincitur, conſequentia probatur, quia viuente Patre, filij eius non habent locum, etiam ſi emancipati ſint, in Senatu, nec in locis publicis præſente Patre, nec dominium, nec ſubditos in domos, niſi Pater illis gubernium, ac domus moderationem largiatur, dum ergo Conuentualibus ſubderentur ante Leonem X. Obſeruantes, ita vt nec locum, &c. ſignum eſt id proceſſiſſe ex dependentia originis, & filiationis, quam habebant ad ipſos, quæ modo non eſt extincta, nam manentibus ijſdem extremis, manet eadem relatio, maximè quando eſt intrinſecus adueniens, vt iſta dependentiæ eſſentialis.

Probatur 5. quia Patres Obſeruantini primò primum ſortiti ſunt nomen Fratrum de Familia, vt ipſimet fatentur, & paſſim legitur in Bullis, & hoc nomine indicantur etiam in Bullis Vnionis, & Concordiæ, hoc autem nomen illis eſt impoſitum à Superioribus Conuentualibus, quando de licentia ipſorum in Eremitorijs recepti ad Familiam creuerunt ſub rectore B. Pauluccio, vt indicat etiam Pater Haroldus initio huius capitis, & alibi allatus, igitur ſunt eorum originarij, ac

filiales,

filiales, consequentia ista probatur, quia Parentes nomen imponunt suis natis, vt illos nominatim vocare valeant, & ab alijs secernere, quod sanctè obseruatur in Baptismo, à Christi Domini asseclis, quod nomen variari solet in assumptione habitus Religiosi à Superioribus, qui loco Patris succedunt, igitur si Superiores Conuentualium Obseruantes primò nuncuparunt nomine Fratrum de Familia, quod nomen adhuc apud omnes viget, ad distinguendos illos a Fratribus strictioris Obseruantiæ, manifestum est esse filios Conuentualium.

Probatur modò primo eadem conclusio auctoritatibus Scriptorum: præeat alios Rodericus Regularis Obseruantiæ Scriptor, hic to. p. quæst. Regul. q. 2. art. 3. quærens, à quo habuit originem Religio Fratrum Minorum, post aliqua scribit. *Reformatio Fratrum de Obseruantia exijt à Fratribus Conuentualibus, & cœpit anno Domini circitèr millesimo quadringentesimo decimo quarto iuxtà Concilij Constantiensis decretum, &c.* modo facienda est vis in illo verbo, *Exijt*, siquidem hic loquimur de origine dumtaxat Obseruantium à Conuentualibus, erit postea suo loco sermo de ipsorum inceptione, igitur &c.

Textus iste adducitur à Franchino sect. 3. antiqu. num. 2. ex quo concludit: *En igitur quam apertè declaretur à Patre Obseruantino, quod Religio, quæ est Matrix, Mater, Fons, & scaturigo Minorum, appellatur Religio Conuentualium, & Reformatio Fratrum de Obseruantia exijt à Fratribus Conuentualibus, vt potè filialis Religio à sua Matre, quæ certè cum sit Mater, nequibit non esse antiquior filia.* Propter hanc consequentiam consecutus est P. Franchinus aue, & salutationes ab Aduersarijs: scribunt hęc in antiquior. & tom. 2. Orb. Seraph. lib. 6. cap. 16 §. 4. folio 232. in antiquior. folio 36. nu. 75 sect. 3. *Achilles P. Franchini ponitur in ly exijt, quasi verò exire idem sit, ac de nouo generari, ex quo deducit consequentias, &c. Dum verò exijt Abraham de Vr Chaldeorum, & Loth de Sodomis, numquid nati de nouo, & generati tunc fuerunt. Filius Dei qui dixit: Exiui à Patre, & veni in Mundum, forte à Patre, & in*

Patre, & coaeternus Patri non fuit, priusquam veniret in Mundum? Quis non videat, crassam esse hanc intelligentiam? Exire iam supponit esse, idemque quod separari significat; &c. Igitur ex verbis Roderici non nata fuit de nouo Obseruantium Reformatio, sed à Conuentualibus separata, vndè corruisse videas omnes illas consequentias, inde à Patre Franchino deductas.

Hanc explicationem Aduersariorum non æquo animo tolerare valeo, & quidem ratum habeo ipsismet Aduersarijs fore vt displiceat, si melius, & attentius illam repensare arrideat ijsdem; audiant quæsò quid in eorum responsionem meditatus sum. Vos dicitis quod exire supponit esse, & idem, quod separari significat, & probatis illis tribus Sacræ Scripturæ auctoritatibus Genes. 12. 4. *Egressus est itaque Abram, sicut præceperat ei Dominus*, scilicet de Haran, & Genes. 19., vbi historia Lot describitur nolentis egredi è Sodomis, & per vim à Ciuitate ab Angelis cum vxore, & duabus filiabus eius educti, & Ioannis 16. 28. *Exiui à Patre, & veni in Mundum*.

Contra est primò, in primis duabus Scripturis Moyses non vtitur illo verbo *exire*, sed alijs, *egredi*, & *educi*, an sint autem idem egredi, & exire, educi, & exire, vel educere, & exire, laborem examinis relinquamus Tyronum Ludimagistris, videantur Calepinus, & alij Onomastici.

Contra 2. Si exire supponit esse, ergo quando dicitur D. Lucæ 2. 1. *Exijt edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur Vniuersus Orbis*, edictum erat antequam esset, & iam processerat in lucem, antequam Cæsar illud edidisset, & sic de similibus, & vt vtar vestro exemplo, quando filius Dei exit à Patre, est ante Patris generationem, & antequam exeat à Patre, illud enim Saluatoris *Exiui à Patre* à vobis adductum, explicatur à D. Augustino tract. 102 in Ioannem fine, hoc modo: *Exijt enim à Patre, quia de Patre est, & in Mundum venit, quia Mundo suum Corpus ostendit, quod de Virgine assumpsit*. Est autem absurbitatum absurdum dicere, filium esse antequam generetur à Patre, tum quia, vel esset à se ipso, quod est & impossibile, quia nemo se ipsum gignit, & hæreticum,

quia

quia fides docet filium Dei esse à solo Patre, tum quia si est à Patre, & ante Patrem, quatuor darentur in Diuinis Personę. Pater, Filius, qui esset ante Patrem, Filius, qui est à Patre, & Spiritus Sanctus. Tum quia infiniti darentur Filij, & Spiritus Sancti, quia de vtraque Persona valet dicere, quod ab alio exeat, Filius à Patre, & Spiritus Sanctus ab vtroque, si igitur exire supponit esse, ante Filium est Filius, ante Spiritum Sanctum, Spiritus Sanctus, rursus quæritur de istis, an exeant? si non, à se ipsis erunt, si exeunt, igitur sunt antequam sint, hoc est antequam generentur, & spirentur, & sic in infinitum.

Confirmatur per Diuum Augustinum loco citato, & 5. de Trinit. cap. 14., vbi vestigans rationem discriminis inter generationem Filij, & spirationem Spiritus Sancti, & cur Filius generetur, & Spiritus Sanctus non, respondet: *Quia Spiritus Sanctus procedit à Patre, non quomodo natus, sed quomodo datus, vt donum, filius autem procedit nascendo, exijt vt genitus*, quam auctoritatem adducit Scotus primò d. 13. q. vnica §. ad quæst. o., vbi docens productiones Diuinas se ipsis formalitèr distingui, hoc probat auctoritate præfata D. Augustini, ait enim: *Similiter 5. de Trinitate cap. 9., & 14. (quærens) cur Spiritus Sanctus non sit Filius, cum tamen à Patre exeat? & soluit dicens: exit enim non quomodo natus, sed quomodo datus, exit à Patre, & hoc exire, quia est nasci, & generari, non est idem cum exire Spiritus Sancti, qui exit vt datus, & Spiritus Sanctus paritèr exit à Patre, & Filio secundum D. Augustinum, cuius exitus est processio, & productio, non generatio, quia est per modum dati, seù doni*, sed vtrumque exire non supponit esse, igitur falsum est, &c.

Contra 3. Si exire idem quod separari significat, igitur quando dixit Christus Dominus (vtor armis vestris ad vos vinciendum, & vincendos) *Exiui à Patre, & veni in Mundum* separatus est à Patre, hæc enim est legitima consequentia, quę debet inferri, non illa quam vos deducitis, *Ergo forte à Patre, & in Patre, & coaeternus Patri non fuit priusquam veniret in Mundum?* aliàs quid ad significatum separationis in verbo exire,

exire, si exire hic etiam in exemplo pro tali significatione separationis non veniret? hoc autem asserere videtur ab inferis reuocari hæresis Ariana, & facere Verbum Dei creaturam, non creatorem, non omousion Patri, quia quod separatum est à Patre totum creatura est, non creator, non Deus, non Filius Dei, non coæternus Patri, non fuit à Patre per generationem æternam, non in Patre per circumincessionem antequam veniret in Mundum, nec post, igitur ibi exire non accipitur, vt idem significat, ac separari, nisi velitis resuscitare Arium blasphemantem Dei Verbum, & Filium, illumque creaturam appellando, diuersę substantiæ facere, & ab ipso separatum; delirescat igitur in tartaræis oris fur Diuinitatis Arius, & cum eodem Ariana sua hæresis, filium Dei esse creaturam, & consequenter non Deum, sed quid separatum à Deo.

Contra 4. vos ex illa auctoritate: Exiui à Patre, conficitis hanc illationem: *Forte à Patre, & in Patre, & coæternus Patri non fuit priusquam veniret in Mundum?* quasi dicere velitis, exiuit Filius Dei à Patre, ergo fuit à Patre, &c. tunc sic, vel ly exiuit à Patre idem est, ac separatus à Patre, & hoc non, quia vt diximus, Arius triumpharet, iam debellatus, & in inferno delitescens cum sua hæresi, tum quia, non posset vna simul postea inferri, fuit in Patre, & coæternus Patri, loquendo de æternitate intrinseca, & essentiali, qualis est illa quæ Filio Dei competit, vel idem est, ac generari, & originari à Patre, & hoc verum est, sed contra vos, qui negatis ly exire, significare originem, & natiuitatem, vnde fit cum aliter à vobis, & secundum veritatem, capi nequeat ly exiui in auctoritate allata, quam pro natiuitate, & origine, exire significet originem, ac natiuitatem, non separationem, & ità vestris armis vosmetipsos interimitis, & plusquam bellum ciuile in vos suscitatis.

Contra 5. Si exire à Conuentualibus, est separari à Conuentualibus, & hoc intendit, vt dicitis Rodericus, quando ait. *Reformatio Fratrum de Obseruantia exijt à Fratribus Conuentua-*

uentualibus, & cœpit anno Domini circitèr millesimo quadringentesimo decimo quarto, igitur illo tempore viuebant, edebant, induebantur Conuentuales, contra id quod toties negatis, & oppugnatis, vt inferebamus supra in prima huius conclusionis probatione §. in hac responsione.

Contra 6. Rodericus citatus nedum ait Obseruantes exijsse à Conuentualibus, sed quod tunc cœperit Reformatio, incipere, vel accipitur intrinsecè, vel extrinsecè, si intrinsecè, explicatur per primum esse, dicendo, nunc primò res est, immediatè antea non erat, si extrinsecè nunc vltimo non est, immediate postea erit, vtroque modo supponitur prius non esse, igitur si Reformatio incœpit, valuit tunc dicere, nunc primò Reformatio est, immediate antea non fuit, vel nunc vltimò non est, immediatè postea erit: meo iudicio potius incœpit intrinsecè; quomodocumque tamen incœpit, semper antea non fuit.

Dicetis ibi incœptionem accipi pro separatione, non pro esse, &c. sic diluet, & respuet Rodericus ipse hanc responsionem, & se declarabit tam exire, quam incipere ab eo accipi pro originari, creari, & nasci; legite illum eodem tomo p. q. 5. art. 2. initio, vbi cum eructasset verbum malum in Conuentuales, subdit, vt aliàs etiam initio capitis 2. notauimus; *Et sic Diuino Numine patrocinante Obseruantium Fratrum status fuit procreatus* (en id quod prætendit Rodericus in ly exire, & incipere,) *qui antequam Obseruantes appellarentur, Fratres de Familia uocabantur, &c.*

Contra 7. Si exire supponit esse, & idem importat, ac separari, igitur, vt alias dicebamus, antequam Corpus Obseruantium coalesceret, erat, & duo corpora moralia stabant simul, Conuentualium, à quibus separati erant, & Obseruantium, qui separati erant, sed quomodo corpus Obseruantium existebat sine capite, sine duce, ac rectore? videant Aduersarij, ducem, ac Pastorem habuisse quando creati sunt, & subsequenter primò, ac principaliter, quando ab Eugenio Quarto pro tota eorum Congregatione iussum est Vicarios constitui;

constitui; Primus Rector, & Institutor eorum quis fuerit, aliàs dictum est, & sciunt, & in Roderico citato q. 5. art. 2. legere queunt. *Et cum Deus humilia eligat*, scribit, *vt fortia quæque confundat, & cum de stercore erigat pauperem, vt collocet eum cum Principibus, cum Principibus Populi sui, erexit cornu salutis suæ in Domo Francisci pueri sui, Fratrem Paulum de Trincis Laicum, Diuino Spiritu afflatum, qui literas à Generali Ministro obtinuit, quarũ facultate Conuentũ Brulianum in Italia erexit, ductis secum quibusdam Fratribus, cum quibus vitam pauperem, prout in Regula præcipitur, duxit, statimque nouem Oratoria, siuè Eremitoria illi adhæserunt, in quibus rigida paupertatis amatores libentèr habitabant, quibus idem Frater Paulus Præfectus est primus Vicarius, & Prælatus anno Domini millesimo trecentesimo octuagesimo.*

Contra 8. Idem Rodericus cit. q. 2. art. 3. loquens de origine Capuccinorum, post quam dixerat, quod, *Reformatio Fratrum de Obseruantia exijt à Conuentualibus*, subdit statim. *De quibus Fratribus de Obseruantia exijt Congregatio Capuccinorum, cępta à quodam deuotissimo Fratre Matthæo de Barechio, à Fratre Ludouico Athenalta, eiusque Fratre, Patria Foro Semproniano in Marchia Anconitana tempore Clementis Septimi, &c.* Istud autem exire importat originem per Aduersarios, quia dicuntur, & sunt remotè, mediatè, pronosticè, inchoatiuè, ipsorum filij, vt patet ex dictis in probatione quarta huius conclusionis, igitur exitus etiam Obseruantium à Conuentualibus importabit originem, & filiationem secundum Rodericum, vel si vultis, in vtroque loco Rodericum intelligi de separatione, cum hac separatione stabit filiatio, tam in Capuccinis, quam in Obseruantibus, respectiuè ad Conuentuales, & Obseruantes, & ista separatio erit sicut filiorum à Patre, qui procedunt vt diuersi in personis à persona Patris, in quo ante generationem erant vna persona, & vna substantia physicè, & realitèr, licet non obiectiuè.

Contrà 9. Exire per vos supponit esse, & quidem in casu nostro completum, igitur supponit etiam esse separatum, quia

ens physicum completum, quod non est pars intrinseca, vel totum essentiale à partibus essentialitèr dependens, viuit ab alijs separatum, ergo si exire in casu nostro supponit huiusmodi esse, ante separationem erit separatio, & non separatio ipsa post esse.

Contra 10. Calepinus perfectus indagator significationum nominum, hæc scribit de hoc verbo, Exeo, *Exeo, exis, extra eo; Egredior, Prodeo, Progredior, pedem effero foras me do, Procedo, Excedo, Emergo, Erumpo, Emano, Mano, Euolo, Euado, Orior, Nascor*: Videte quam sit æquiuocum hoc verbum Exeo, & quam multa significet, sed nunquam reperitur, Exeo, Separo, exire separari, imò in exemplis à vobis allatis de Abram, Lot, & Christo Domino exeuntibus, nec imaginari potest, idem esse exire, ac separari, non de Verbo Dei, vt diximus, quia est Arianorum figmentum Verbum esse Creaturam, & separatum à Patre in substantia, Lot, & Abram iam erant separati, quando exierunt, sicut etiam, quando D. Petrus Christo Domino præ humilitate, miraculo obstupefactus, aiebat: *Exi à me Domine, quia homo peccator sum D. Luc. 5. 8.* Christus Dominus iam erat separatus à D. Petro, ita D. Matth. 25. de Virginibus dicitur: *Exierunt obuiam Sponso, & Sponsæ*, quæ iam erant à Sponso, & Sponsa separatæ, sic pariter multis alijs vicibus reperire est exire pro discedere, &c. supponens semper rerum separationem iam existentem; reperitur autem, quod exire aliquando accipitur pro manare, eminare, procedere ab alio, pro oriri, & nasci; vnde, *Exiui à Patre, & veni in Mundum*, dictum a Christo Domino, vt parum supra diximus ex Diuo Augustino significat Verbum Diuinum ab æterno genitum à Patre, *Exijt edictum à Cæsare Augusto*, manifestat emanationem legis à voluntate legislatoris, & originem ab eodem: D. Matthæi 2 26. *Ex te enim exiet Dux, qui regat Populum meum Israel*, dat intelligere Christum Dominum nasciturum in Bethleem, & Matt. 15. 18. & 19. *De corde exeunt cogitationes, &c.* idest enascuntur, originem habent, &c. igitur non semper exire supponit esse, &

idem

idem quod separari significat, vt dicunt Aduersarij, sed aliquando significat originē, & emanationē ab alio, aliquādo, discessum, aliquādo liberari à malo, aliquando excessum à mēte, & ratione, aliquādo, delinquere, &c. Sed quādo significet separationē, non inuenio ab aliquo vsurpatū, & solum intelligo esse casum reseruatum Aduersarijs, vt id alijs exemplis, ab adductis, edifferant; interim ne sint sibi ipsis iniurij, & ab alijs redarguendi, stent bono animo, & palidoniam cantent, quia sapientis est mutare consilium, nec displicuit Doctorum Doctori Augustino Sanctissimo Viro, minus à se sobriè dicta in suis dictis, sapientissimè, edito ad hoc libello, retractare.

Alij duo ex S. P. Francisci sodalitate tenuerunt eandem formam loquendi cum Roderico citato, & ad examen reuocato, de origine, & natiuitate Obseruantium, ac eorum descendentia à Conuentualibus, vnus est Hieronymus à Sorbo Capuccinus, cuius auctoritati etiam innititur P. Franchinus sect. 2. nu. 8., in additionibus enim, quas anteponit compendio priuilegiorum Fratrum Minorum, & aliorum Mendicantium, tractans de origine Ordinum Mendicantium, & indiuidualiter de Ordine S. P. Francisci, post aliqua scribit hæc ad propositum nostrum: *Reforma Fratrum de Obseruantia, exijt à Fratribus Conuentualibus, & cœpit anno circitèr 1414. iuxtà Concilij Constantiensis decretum, sed ei formam, & Ordinem dedit postmodum B. Bernardinus de Senis vir magnæ sanctitatis, & gratiæ, & feruoris in prædicando, sub Eugenio IV. Summo Pontifice anno Domini circiter* 1430, *&c.* Fit vis in illo verbo *Exijt*, sicut in Roderico, alter est Pater Marcus Vlyssipon. parte 2. Chron. lib. 9. cap. 26. B. scribit enim: *In questo tempo Frà Paolo Trinci da Foligno, di nobil Casata, Laico, mà di gran santità, e zeloso della Religione, hebbe licenza da questo Generale* (hoc est Thoma à Friniano) *di stare nel Eremo di Brulliano, e frà trè anni hebbe il detto Frà Paolo licenza dal Generale di habitare in vndici luoghi già abbandonati, e di questa maniera hebbe origine la Fameglia delli Osseruanti con lo spirito del Signore, & autorità dell' Ordine, e del Generale, da detto*

Frà

Frà Paolo Laico, &c. qui Frater Paulus, vna cum socijs, fuisse Conuentualem, assertum, & ostensum est in prima, & tertia huius conclusionis probatione, hac paritèr auctoritate vsus est P. Franchinus sect. 3. nu. 4.

Conantur Aduersarij has quoque auctoritates extorres facere, eodemque cantu diluere pertentant, quo explicarunt Rodericum: in antiquior. scribunt nu. 68. folio 32. *Hieronymi à Sorbo primum assertum, vbi dicit, Obseruantes à Conuentualibus exiuisse, infrà concedemus, vbi plena euidentia declarabimus* (videte quantum in proprio sensu abundent, falsum euidens, vt vidimus, appellant verum euidens) *per ly exire, non esse de nouo, sed antiquam praexistentiam necessariò significari*, idem non mutatis verbis legitur tom. 2. Orb. Seraph. folio 230. lib. 6. cap. 16. § 4. de Vlyssip. vero ita fantur in antiq. folio 38. num. 77., & in Orbe cit. fol. 233. *Respondeo solum omnia concedendo ex Vlyssiponensi per Franchinum adducta, & à Paulo de Trincis Familiam Obseruantium originem habuisse, prout hac Familia separatim à cæteris, inter quos praualebant relaxationes, viuere cæpit, non ità tamen, vt intelligatur, originem, & esse suum habuisse de nouo, cuius oppositum, & in ipso Vlyssip. p. 1. 2. & 3. Chron. & in annalibus Ordinis, nec non in literis Apostolicis passim ab Annalista relatis, habetur.*

Has responsiones conuellunt, ac destruunt primo ferè omnia, quæ dicta sunt superius in oppugnatione explicationis ad auctoritatem Roderici, secundo quia P. Sorbus, vel Sorbensis loco citato statim hæc verba subscribit: *E quibus Fratribus de Obseruantia exijt reforma nostra Capuccinorum, à quodam cæpta deuotissimo Fratre Matthao de Baschio, ac à Fratre Ludouico à Tenalia, eiusque Fratre, Patria Foro Sempronio, &c.* Peto ab Aduersarijs, vtrum æquo, ac bono animo blandiantur, Domino exijt in his verbis P. à Sorbo, pro origine ab ipsis illud recognoscant, ita vt pro filio acceptare dignentur, an non? negare non possunt, quæ aliàs dixerunt de Patribus Capuccinis, quod sint eorum filiales, cur ergo, duri, ac seueri ostendent

ostendent se auersos à paupere, exijt, dicto de ipsis respectiuè ad Conuentuales? quia fortassis Conuentuales, licet possideant, sunt pauperes, & parentes, vt plurimum à filijs in despectum habentur, si careant sorte super solum, si hoc non rectè dicitur, aperite differentiam acceptionis beneuolentissimę, & deturbationis rigidissimæ, ab eadem domo, eiusdem omnino exijt: 3. pro Vlyssip. notate verba quæ 3. p. Chron. lib. p. dictat. fol. 2. cap. p. *Alla fine piacque à nostro Signore col mezo del semplice suo Seruo Frà Paolo della nobilissima Fameglia de Trinci, all' hora Signore di Fuligno, e di molt' altre Terre, e Ville di quel contorno di rinouarla, e benche ei fosse Frate Laico, era nondimeno dotato da Dio di molta gratia, e feruore: egli nella prima sua pueritia prese l' habito de Minori, disprezzando le vanità del Mondo, e viuendo molti anni nella Religione sotto l' vbidienza de Prelati suoi, &c. Passati molti giorni, illuminato, & inspirato da Dio, si ritirò in vn luogo diuoto, e solitario con licenza de suoi Prelati, &c., e per meglio adempire questi suoi deder ij, egli con molti altri Religiosi del medesimo spirito, ne domandarono, & ottenero licenza dal Ministro Generale ad intercessione di Vgolino de Trinci Signor di Fuligno, suo stretto Parente, diuoto, e molto fameghare del detto Generale, il quale inteso ch' hebbe la domanda d' Vgolino, e sapendo, che frà Paolo era Laico, semplice, & idiota, non pensò, che da questa licenza potesse nascere la diuision nell' Ordine, ch' in altri tempi comminciò ad hauerui origine: e perciò concesse à quel Signore, quanto li chiedè, & à Frà Paolo tutto quello, che con altri Frati dimandaua; Mà considerando egli puoi la seguente notte ciò, che fatto haueua, ne restò mal contento, e subito l' altro dì se ne già ritrouar Vgolino, e gli disse; Signore, quello, che hieri senza pensarui, vi promissi, e pregiudiciale molto alla Religione, che se il Papa mel commandasse, non potrei con ragione farlo, però, se non fosse à voi in dispiacere, mi saria di contento, che me lo rimetteste, mà non se ne contentando egli, conuenne al Generale dar licenza à Fra Paolo, che potesse con quattro, ò cinque suoi Compagni stare nel Monastero di S. Bartolomeo di Brugliano, &c.* quinam

autem esset Ordo Minorum in quo, adhuc iuuenis B. Pauluccius ingressus, & professus est, quinam fuerint Ministri, à quibus licentiam obtinuit simul cum alijs Brulliani cœnobiolum incolendi, quinam essent Fratres eius, cum quibus multis annis conuixit, testis sit ipse Vlyssip. locis citatis in prima, & tertia probatione, non ergo de separatione à Conuentualibus intelligendus est Vlyssip., sed de origine præ se ferente nouitatem essendi, ortum, ac natiuitatem, à non esse ad esse.

Probatur etiam auctoritate P. Bordoni de Præcedentia Canonicorum Lateranensium cap. 3. num. 31. ità loquentis folio mihi 621. iuxtà editionem Lugduni 1665: *Franciscanorum Ordo primus, fuit institutus à S. Patre Francisco 16. Aprilis, aut 18. Octobris 1208., confirmatus sequenti anno 1209. ab Innoc. Tertio oretenus, ab Honorio item Tertio per Bullam incip. Solet annuere, &c. sub datum 29. Nouembris 1224. Tamburin. tom. 2, disp. 24. q. 6.: Ordo iste diuisus est in tres classes principales, in Conuentuales, Obseruantes, & Capuccinos militantes sub eadem prima Regula: Conuentuales constituuntur ex ijsdem Filijs Sancti Francisci, qui cœperunt in communi habere bona stabilia, illis confirmata per Innocentium Quartum electum 1243: Minores de Obseruantia exierunt ex Conuentualibus anno 1368, initium dantes Frater Gentilis de Spoleto, & Frater Paulus de Trincis, qui ante erant Conuentuales, hæ duæ classes sub eodem Generali vixerunt vsque ad Leonem Decimum, &c.* In hac auctoritate primo habemus, Minores Conuentuales esse ipsosmet filios à S. P. Francisco genitos, secundo habuisse priuilegia possidendi ab Innocentio Quarto, fortassis dicere voluit Clemente Quarto, Tertio Obseruantes exiuisse à Conuentualibus, & ne suspiceris loqui de exire, pro separari, contra quam explicationem nulli fulcro innitentem, faciunt, quæ nuper supra diximus pro Roderici auctoritate, statim initium, & auctores initij assignat, Fratres Gentilem, & Paulum de Trincis, imò inceptionis tempus, videlicet annum 1368., nam ità legi debet secundum communem Scriptorum relationem, licet ex errore Typographi legatur 1388., quarto Fra-

trem Gentilem, & Pauluccium fuisse Conuentuales, quæ omnia confirmant à nobis superius in alijs capitibus probata, & intentum præsens de origine naturali Obseruantium à Conuentualibus, quos eadem auctoritate fuisse probatur ante Eugenium Quartum, velint, nolint Aduersarij, igitur, &c.

Neque obscurum perhibent testimonium huic veritati verba Chronol. Seraphicæ aliàs allata, folio siquidem 86. agens de origine Regularis Obseruantiæ apud Italos, ait: *Anno Domini 1368. Hugolino de Trincis Vrbis Fulginei Principe fauente à P. Thoma Frignano Ordinis MinistroGenerali, domunculam Bruliani, in loco horroris, & vastæ solitudinis, inter Fulgineum, & Camerinum, Frater Pauluccius Fulginas obtinuit, in qua Reformationis toties ab alijs intentatæ, non tamen prudenter directæ, radices fixit, & fundamenta eo solidiora, quo humilia, Regularis Obseruantiæ*, iecit, & folio 87. *Frater Ioannes Stroncoinus Fratrum Minorum Obseruantium Vicarius, Conuentus, & Fratres ipsorum, maxima prudentia, & Regulari Obseruantia, Ministros Conuentuales plurimo obsequio, & gratioso regimine habebat propitios, ità scandala euitabat, dissidia, & lites procul faciebat, & placido incremento Familiam suam dilatabat, &c.* originem enim à Ministro Conuentualium concedente locum Bruliani, extensionem quoque sui instituti à Ministris Conuentualibus, quos plurimo obsequio sibi faciebat propitios, narrat acceptam, & prosecutam, igitur Patres de Obseruantia descendunt a Minoribus Conuentualibus.

Dabunt vltimam manum huic veritati Summorum Pontificum asserta, qui, & robur firmitatis conclusioni iam probatæ tot fundamentis, præstabunt.

Martinus Papa V. in sua constitutione. *Super gregem Dominicum, &c.* lata Romæ apud Sanctos Apostolos quinto Kalend. Ianuarij anno vndecimo, hoc est 1427. approbat, & confirmat articulos quosdam editos à Patribus Conuentualibus, & Obseruantibus Prouinciæ Castellæ in Capitulo Prouinciali celebrato in loco Methymnæ de Campis Salmatin. Diœc. pro pace tuenda, & conseruanda, ac abigendis discordijs,

cordijs, & contentionibus. Primus autem articulorum fuit, vt sequitur. *Primò, quod de cætero Fratres, & Patres de Obseruantia humiliter, & carissimè recipiant Patrem Ministrum Prouinciæ in suis Conuentibus, Domibus, & Eremitorijs, & ei obediant simplicitèr, & de plano, sicut ex Regula tenentur, in omnibus, quæ ad suum spectant officium, dictusque Minister eos benignè, & piè tractet, consoletur, & foueat sicut Pater filios.* constat autem tunc temporis Ministros Ordinis, habuisse dumtaxat Conuentuales, & Obseruantes solummodo Vicarios, & in ijsd. in articulis, & constitutione nominantur ex vna parte Claustrales, idest Conuentuales, & ex altera Obseruantes, igitur declarantur, & appellantur Obseruantes Filij Ministrorum Conuentualium; afferunt hanc bullam Vuading. to n. 5. in Regest. bulla 190. Martini V., & ex eo de Gubernatis to. 2. Orbe Seraph. lib. 6. cap. 4. folio 37.

Eugenius Papa Quartus scripsit ad Ministrum Generalem, qui tunc temporis erat Antonius de Rusconibus, sequentem epistolam, post approbationem, quam egerat, de electione duorum Vicariorum pro Obseruantibus, ab eodem Generali facta.

Dilecto Filio Antonio de Rusconibus, Sacræ Paginæ Professori, Ordinis Minorum Gener. Ministro, &c.

Cum omnia à Nobis gesta cupiamus conseruari, tum illa maximè perpetuam habere firmitatem, & optamus, & operam adhibemus, quæ pro Diuini cultus augmento, & Religionis conseruatione à nobis matura, & digesta deliberatione contingit ordinari. Non dubitamus, tuam deuotionem esse memorem eorum, quæ in Ciuitate Senarum conclusa fuerunt à te de Vicarijs institutis à te citrà, & vltrà Montes pro regimine Fratrum tui Ordinis, qui de Obseruantia nuncupantur, quam dispositionem, & ordinationem nostris literis Apostolicis confirmauimus, Deoque cooperante, non pœnituit Nos huiusmodi ordinationis, quandoquidem omnia inter vos Fratres dicti Ordinis postmodum pacificè successerunt, nec dissidia, clamores, aut aliæ contentiones, sicut aliquando aliàs cum Christifidelium scandalo, contingebant, interuenerunt, &

quod tuo Ordini non parum decus affert, ipsorum de Obseruantia dicti Ordinis Fratrum Minorum numerus creuit, & reputatio eorum vita, inter Populos est adaucta, quibus attentis, & alijs rationibus animum nostrum mouentibus, volumus, & tua deuotioni strictè mandamus, vt in generali Capitulo proximè celebrando, aut alibi, nihil prorsus facias, aut intentes, quod prædictæ ordinationi nostræ aliqualitèr contradicat, nisi fortè alitèr Nos duxerimus mandandum, ideoque Ministris Prouincialibus mandabis, vt de dictorum Fratrum de Obseruantia regimine nullatenus se intromittant, nisi eo modo, quo fuit Senis concorditèr ordinatum. Datum Romæ 1446. pridie nonas Maij Pontificatus nostri anno 16. Vuading. affert to. 5. ad annum 1446. num. 2. Orb. Seraph. to. 2. cit. lib. 6. cap. 7. folio 75: Antonium autem Rusconium Ministrum Generalem, ex Conuentualibus fuisse indubium est etiam Aduersarijs, vt in sequenti Capitulo clarescet; ait igitur Pontifex Eugenius, Obseruantes esse de Ordine ipsius Ministri generalis: ibi *Fratrum tui Ordinis, qui de Obseruantia nuncupantur, & quod tuo Ordini non parum decus affert, ipsorum de Obseruantia dicti Ordinis Fratrum Minorum numerus creuit*, quid sibi vult Fratres de Obseruantia esse Ordinis Ministri Generalis, qui erat Conuentualis, præerat Conuentualibus sui Ordinis alumnis, moderabatur Obseruantes, sui Ordinis asseclas, nisi ex visceribus Ordinis, de quo ipse Minister Rusconius erat, prodijsse? non enim Obseruantes erant idem formalitèr cum Conuentualibus, aliàs, non essent hi Obseruantes, & illi Conuentuales, erant igitur Ordinis Conuentualium effectiuè, & originalitèr, & hac de causa subiecti Ministro Conuentuali, & eiusdem Ordinis de quo ipse erat, testante Eugenio.

Cum vigerent in Gallia multæ contentiones, & diffidia inter Fratres Conuentuales, & nonullos alios eiusdem Ordinis, qui separati viuebant à Communitate Ordinis in quibusdam cœnobijs, à Ministris Generalibus sibi concessis, pro obseruanda Regula absque priuilegijs, & ad pacem, & concordiam reuocari nequirent, vtraque pars adijt Concilium Constantiense,

ſtantienſe, quod illis temporibus initium ſumpſerat, à quo benigne auditi, de conſenſu partium, anno 1415., Apoſtolica Sede vacante, nono Kal. Octob., dedit decretum, in quo conceſſum eſt in tribus Prouincijs, Franciæ, Burgundiæ, & Turoniæ, Fratribus ſub rigore Regulæ viuentibus, qui ab eodem Concilio, titulo Fratrum Regularis Obſeruantiç decorati ſunt, poſſe deinceps eligere Vicarios in illis Prouincijs de ipſa ſua ſtricta Obſeruantia, hosque tres Miniſtros, vnum Vicarium generalem trium Prouinciarum, hac lege, quod Vicarij Prouinciales in ſcriptis præſentati Miniſtris Prouincialibus Prouinciarum, deberent infra triduum confirmari cum omni plenitudine poteſtatis, reſeruata facultate ipſis Miniſtris perſonalitèr viſitandi, corrigendi &c., & Vicarius generalis præſentatus in ſcriptis Miniſtro generali, deberet ab eodem infra triduum confirmari, cum facultate Miniſtro generali viſitandi, &c., prælibato Vicario non obſtante &c.: Verba Concilij accipias, ex ſeſſ. 19. *Nos igitur eorum ſupplicationibus tanquam iuſtis benignè annuentes, cupienteſque multa ſcandala veſtri Ordinis tollere, atque vnitate in ea conſeruata, Fratres in pacis dulcedine conſeruare, ſtatuimus, & decernimus eiſdem ſupplicationibus fore prouidendum, vt de facto tenore præſentium eis prouidemus, iuxtà formam pèr Reuerendiſſimos Patres Dominos, Iordanum Albanenſem de Vrſinis, ipſius Ordinis Protectorem, & Petrum tituli S. Gryſogoni Præsbiterum Cardinalem Cameracenſem, vulgaritèr nuncupatos, S.R.E. Cardinales, & alios ex parte huius Sacri Concilij ſuper hoc deputatos, ſpecialitèr auiſatam, ordinatam, & traditam, atque per Religioſum virum Fratrem Ioannem Rocca, in ſacra pagina Profeſſorem, & Vicarium Miniſtri Generalis antedicti, vna cum alijs pluribus Magiſtris, & diſcretis Patribus ipſius Ordinis ex vna parte, & Fratres prænominatos Conuentus repræſentantes, ex alia concordatam: videlicet, quod Fratres Conuentuum prædictorum de cætero, & quouſque aliud ſuper hoc per Sacrum Concilium generale fuerit ordinatum, poſſint, & valeant, quilibet in ſua Prouincia, eligere de ſua ſtricta Obſeruantia vnum Fratrem idoneum, quem in ſcriptis*

V 3 *Miniſtro*

Ministro illius Prouinciæ præsentatum, ipsum dictus Minister infra triduum, post huiusmodi præsentationem, suum Vicarium constituere debeat ad ipsos regendum in solidum, loco, & vice eius, & eis prouidendum in omnibus quibuscumque, & ipsis modis, quibus ipse Minister Prouincialis etiam prouidere posset, ità quod de ipsorum Fratrum regimine in nullo possint se intromittere dicti Prouinciales, vel Custodes, sed ad ipsos Vicarios cura, & correctio eorum omnino pertineat, excepto, quod ad suæ superioritatis cognitionem, Minister Prouincialis, ipsos possit visitare, si voluerit in propria persona, & tunc punire de consensu Maiorum, & discretorum Conuentus, in quo fiet hæc visitatio, quidquid punitione dignum repererit, quem si constituere renuent modo prædicto, ex tunc constitutio eiusdem præsentati ad Vicarium Ministri Generalis inferius annotatum, deuoluatur, & pertineat absolutè. Qui quidem Vicarij huiusmodi trium Prouinciarum possint, & debeant vna cum Fratribus discretis sibi subditis, & forma solita insimul eligere inter se vnum alium Fratrem, ad hoc sufficientem, & idoneum pro eorundem Vicariorum, correptione, & totius huius strictæ Obseruantiæ, in prædictis Prouincijs meliori regimine, quem per eos in scriptis Ministro generali Ordinis, qui erit pro tempore, humiliter præsentatum, ipse Minister super illos suum Vicarium constituere infra triduum post illam præsentationem, benignè debeat, & caritatiuè, alioquin ipso triduo transacto, sit, & habeatur Vicarius ipsius Generalis auctoritate ipsius Sacri Concilij constitutus, &c. Possit tamen Generalis Minister, qui est, & qui erit pro tempore, ipsos Fratres, & Conuentus in sua persona, quoties voluerit, visitare, prælibato Vicario non obstante, & punire, si quid in dicta visitatione puniendũ repererit, sicut moris in Ordine, vt aliàs facere consueuit. Veruntamen non intendimus, quod prædicti Vicarij propter mortem, aut depositionem illorum, quorum vice funguntur, possint à suis officijs remoueri, vel in eis impediri, nisi super hoc assensus Maiorum, & discretorum sibi subditorum prius interuenerit, ad quos semper eos deponere, & alios eligere, antedictis Generali, Prouincialibusque Ministris præsentare, modo, & forma premissis,

sis, (quoties fuerit opportunum) volumus, & decernimus pertinere. Et inferius. *Cæterum cum iuxtà sententiam sapientis, volatilia ad sibi similia libenter conueniant, statuimus, quod quando Fratres huiusmodi Obseruantiæ, peregrinationis studio, vel aliàs per Mundum proficiscuntur, ad loca Conuentus Communitatis Ordinis declinent, si voluerint, ad alia verò loca Fratrum in Obseruantia sibi similium semper declinare teneantur, iuxtà quod in statutis Ordinis continetur*.

In hoc decreto aduertere necesse est, duas partes fuisse, apud Patres Concilij, inter se diffidentes, vna fuit ex parte Generalis Ministri Ordinis, cuius vices tenuit, vt eius Vicarius ab eodem constitutus, vt suas ageret partes, Frater Ioannes Rocca, alijs Rota, simul cum plurimis Magistris, & discretis Ordinis Patribus, altera Fratrum, qui Obseruantiam strictam (*vtor verbis Concilij*) sequebantur, & maximè auebant prosequi; prima pars appellatur Communitas Ordinis, quid autem intelligendum sit nomine Communitatis Ordinis, & quinam Fratres essent, qui Communitatem Ordinis struerent, iam dictum est cap. primo, & alibi sæpè sparsim (erant enim Conuentuales,) vnde hac de causa in postremis verbis allatis dicitur; *Ad loca Conuentus Communitatis declinent*: secunda, ibidem nomenclaturam sortitur strictæ Obseruantiæ, vel Regularis Obseruantiæ: secundo considerandum venit adhuc præfatos Fratres strictæ Obseruantiæ post huiusmodi priuilegium electionis Vicariorum, stetitisse tam in capite, quam in membris subiectos Ministris Ordinis, eorum visitationibus, & correctionibus modo, & forma, vt in decreto dicitur, quod sane cum recens fuerit priuilegium, indubium est antea fuisse in omnibus, ac per omnia eisdem Ministris præfatos Obseruantes immediatè subiectos, sicut Fratres Communitatis, nullibi enim legitur antea habuisse vllam à Ministrorum obedientia exemptionem, & ipsimet Obseruantium Scriptores, hanc primam agnoscunt authenticam separationem ab Ordinis Communitate, vide, quæ diximus cap. p. §. Et ex his.

Ab hoc priuilegio Gallorum, excitati sunt Fratres de Familia Itali, stiteruntq; se pedibus Eugenij Quarti, enixè illum deprecantes, vt ad similitudinem priuilegij prælibati pro tribus tantum Prouincijs Gallis concessi, eos quoque suppari modo, imò sodalitatem eorum vniuersam, prosequeretur fauoribus. Annuit Summus Pastor, nam edita Bulla: *Vt Sacra Ordinis Minorum, &c.* Romæ 1445. 3. Idus Ianuarij Pontif. anno 16., non ablata subiectione Ministro Generali, illos aliàs liberauit à Conuentualium dominio, & quia præfata constitutio data fuerat pro Vltramontanis, aliam parem confecit pro Cismontanis; Eugenij autem mentem haud difficile fuit Obseruantibus inclinatam habere, quia exemplar inspexit Concilij Constantiensis, quod, & à Martino Quinto fuerat imitatum, vt ipsemet recenset in prælibata Bulla, *Vt Sacra &c.*, & quia constitutio duorum Vicariorum concordata etiam fuerat cum Ministro Generali Rusconio in transitu Senarum, licet prius pro Vltramontanis dumtaxat priuilegium exemptionis dedisset, voluit extensum ad Cismontanos postea.

Has Pontificum dispositiones, quas legere quisque poterit in Vuadingo tom. 5, suis annis, & temporibus, & in Orbe Seraph. tom 2. lib. 6. cap. 7, & in Chronol. Seraph. ex parte, Successoribus haud displicuisse patet ex his, quæ diximus cap. p. §. illi Minores, fueruntque Nicolaus Quintus, Calixtus Tertius, & Pius Secundus, omnesque indemnem seruarunt auctoritatem Ministri Generalis Conuentualium super Obseruantes, quo ad confirmationem Vicariorum Generalium, visitationem, ac correptionem.

Ex his patet tàm Concilium, quàm Pontifices prælibatos, noluisse ius Ministrorum deturbare in Obseruantes ab initio suæ institutionis habitum, ac semper seruatum, hoc autem nulla ratione alia capi potest actum, nisi quia erant Patres eorum, de illorum gremio exierant, illis annuentibus, condescendentibus, ac concedentibus, Familiam suam erexerant, erectam, vt augeretur, enutrierant, defenderant, custodierant, pauerant fauoribus, ac gratijs, ac tandem, vt filiam dilexerant,

rant, ac tractauerant, vt parum suprà ostensum est, igitur de mente Pontificum, Obseruantes sunt filiales Minorum Conuentualium, aliàs, vt quid illos extraneis subiectos relinquere, cur non totalitèr liberare à iugo seruitutis? filij igitur erant Conuentualium, & vt tales à Patria potestate noluerunt amouere, vt Parentes suos agnoscerent, ac venerarentur, colerent, ac diligerent, & ne tam citò obliuiscerentur Patrum suorum, dum ab eodem Ordine proditos se agnoscerent; Si quæ alia potior causa valet adduci, audire desidero, nunquam tamen ab assignata mouebor, nisi adducenda sit omnino euidens, ac intellectum ad oppositum trahens: vnde sic erigo argumenta, pro origine concludenda, ab auctoritate Pontificum.

Martinus Quintus, Eugenius Quartus, Nicolaus Quintus, Calixtus Tertius, ac Pius secundus, qui voluerunt à Conuentualibus separatos Obseruantes ad exemplar Concilij Constantiensis, nunquam ius Prælationis in eos abstulerunt à Conuentualibus, subditos imò Ministris generalibus reliquerunt, sicut ab initio eorum fuit Familia, modo tamen, & methodo ab ipsis assignata, sed hoc esse nequit, nisi quia ab ipsis oriundi erant, traxerant spiritum, ac habitum, & eorum filios esse agnoscebant, dominium enim Ministrorum Conuentualium non erat sicut dominorum in seruos, vel Principum in Vassallos, igitur ad similitudinem Patrum naturalium in filios; sicut enim Parentes naturales, eo quod genuerunt filios, tenentur eos alere, victum, & vestitum procurare, ac prębere, eos dirigere in moribus, & instruere circa viam salutis &c., ità moralitèr loquendo tenentur Superiores suo modo hæc præstare, & sicut filij tenentur Parentibus in his, quæ non sunt contra Deum conscientiam, & bonos mores, parere, ità Religiosi proportionalitèr, iuxtà promissum obedientię votum, tenentur obedire suis Superioribus in his, quæ non sunt contrà Deum, Animam, & Regulam, cum ergo Pòntifices voluerint seruari imperturbatum ius Superiorum in Patres Obseruantiæ Regularis, seù strictæ Obseruantiæ, id patrati sunt,

ſunt, quia agnouerunt illos eſſe filios Miniſtrorum.

Argumentum ſecundum Martinus Quintus, vt diximus, confirmauit articulos concordiæ editos de conſenſu Conuentualium, & Obſeruantium pro bono pacis, & inter hos, Obſeruantes nuncupantur filij Miniſtrorum Conuentualium, qui Conuentuales erant. Eugenius Quartus aſſerit Obſeruantes eſſe Ordinis Miniſtri Generalis Conuentualis, qui, & Obſeruantibus, & Conuentualibus præerat, & hoc, vt parum ſuprà diximus, adducendo extenſam auctoritatem, effectiuè, non formalitèr, quia iam diuiſi erant ab Ordine per eiuſdem Pontificis conſtitutionem: *Vt Sacra Ordinis, &c.* igitur ex ore Pontificum Obſeruantes ſunt filij Conuentualium, & ab illis originem traxerunt.

Argumentum tertium ab auctoritate Concilij Conſtantienſis, iam parum ſuprà tranſcripta, (cum enim Pontifices allati, imò Leo X. in vtraque Bulla Vnionis, prætereant meritò Concilium Baſileenſe, quia acephalum, licet in eo ſit confirmatum decretum Concilij Conſtantienſis, nos quoque illud nil pendimus.) Concilium Conſtantienſe poſt longam contentionem inter Miniſtros Ordinis, & Communitatis, Conuentualitatis videlicet, & Patres ſtrictæ Obſeruantiæ, de communi partium conſenſu, decreuit in tribus Prouincijs Franciæ, Burgundiæ, ac Turoniæ, poſſe Obſeruantes, ac debere ex ipſorum inſtituto eligere Vicarium, Prouincialem, confirmandum à Miniſtro Prouinciali, & ab ipſis Vicarijs Prouincialibus, Vicarium generalem, confirmandum a Miniſtro generali Ordinis, cum omnibus alijs iuribus &c., qui quidem Miniſtri, vt ſæpiùs dictum eſt, erant Conuentuales, & Miniſtri Communitatis Ordinis, ideſt Conuentualitatis (vide cap. primum, &c.) igitur ſecundum Concilium ſtrictæ Obſeruantiæ Fratres, ſunt deſcendentes, oriundi, ac originarij Conuentualium, aliàs, vt quid hanc ſubiectionem intactam relinquere in Fratribus de Obſeruantia, & illam præcipere in nouis Superioribus ex ipſorum viſceribus electis, ſi hæc vis originis non obſtitiſſet, ac naturali ratione dictaſſet eſſe manutenendam,

nendam, & præcipiendam? igitur, &c.

Dico secundo Patres Regularis Obseruantiæ non extitisse in rerum natura sub initium Religionis Minorum, sed post duo ferè sæcula, conclusio licet euidentèr ex dictis in prima euincatur, ad vberiorem tamen notitiam, magis hic roboratur, dimissis auctoribus à P. Franchino adductis sect. 2. & 3. antiquior, id extra vllam obscuritatem fatentibus, ne actum nouiter agamus, tum quia ab Aduersarijs in antiquior. sect. 2. & 3., & cap. 16. lib. 8 § 4. tom. 2. Orb. Seraph., nec soluuntur, vel extrà veritatis semitam trahuntur, vt ex dictis in prima conclusione quisque facile conijcere quibit.

Probatur igitur conclusio in hunc modum. Patres de Regulari Obseruantia, dicti prius de Familia, in Italia, Gallia, & Iberia, & in reliquis Orbis Terræ partibus habuerunt initium post duo ferè sæcula ab Ordinis origine, quæ fuit, vt aliàs diximus anno 1208., vel 1209, igitur non extiterunt ab initio Religionis, antecedens probatur, incipiendo ab Italia, in hac enim negare non possunt primitus illuxisse, quam in cęteris oris, Familiam suam, vt ex dictis in prima conclusione patet, & patebit ex subijciendis, scribit enim Vuadingus eorum Oraculum, vt putant, veritatis, tom. 4. Annal. ad annum Christi 1368. nu. 10. *Hoc anno Ordinis Reformatio toties ab alijs intentata non tamen prudentèr directa, humile, sed stabile sumpsit initium, in homine vndequaque ex statu, & statura, corporis effigie, & nomine contemptibili, sed genere, & pietate spectabili. Is fuit Pauluccius Fulginas, cuius ortum, Parentes, & vita primordia aliàs descripsimus, à Ioanne de Vallibus, & Gentile Spoletano zelum paupertatis, & strictioris suæ Regulæ Obseruantiæ, in tuguriolo Sancti Bartholomæi, in solitudine Brulliani, edoctus, ad quam assequendam semper aspirauit, igitur, &c.* Narrans autem occasionem, & modum, quibus Frater Pauluccius nactus fuit locum Brulliani, subdit numer. 11. *Dum in his versaretur exercitijs, venit Minister Generalis Thomas Frignanus, eam in Vrbem comitia Prouinciæ Sancti Francisci celebraturus, quibus sumptus, & quidquid opus erat, abundè ministrauit*

niſtrauit prædictus Hugolinus, diſſoluto cœtu, Generalis Miniſter, & Prouinciæ Rectores pro receptis beneficijs gratias acturi in eius domum conuenientes, dum ſe, ſuaque, viri conſecrant obſequio, præmonitus à Paulucceio, petijt huic ſuo conſanguineo, & pauculis ſocijs, tuguriolum concedi Brulliani: Annuit optimi Herois precibus Frignanus, deuinctus tum receptis beneficijs, tum arctâ multorum annorum neceſſitudine, quo recenſito, iterum ſcribit num. 12: *hoc itaque anno in domuncula iſta, in loco horroris, & vaſtæ ſolitudinis, Fulgineum inter, & Camerinum, radices fixit Pauluccius, & fundamenta iecit, eo ſolidiora, quo humiliora, Regularis Obſeruantiæ*, & de occurſu, & accurſu, vel incremento ſodalitij loquens, ſubijcit num. 13. *Quorum numerus ità creuit, vt augere oportuerit domicilium, & ſacram ædiculam. Aucto amplius ſodalitio, & diffuſa per omnem in circuitu regionem fama Sanctæ Societatis, plures accurrerunt vndique Fratres, quam ſub vnius tuguriolí anguſtijs potuerint contineri, Obtinuit proindè infrà breue tempus à prædicto Generali Ordinis Præfecto, eiuſque Succeſſoribus in Prouincijs S. Franciſci, Romana, & Tuſcia, cœnobiola multa, &c. Porro Brullianum, tanquam omnium primum, maiori proſecuti ſunt reuerētia, tum domeſtici, tum externi, &c. Paſſim huius ſodalitij incrementa ſe vobis offerent, & multa ſuberit materia, vt auctorem frequenter commendemus*. Vnde ad hæc To. 5. folio 101. ad annum 1415. num. 22. *Hoc anno Frater Albertus à Sarthiano* (hic fuit vnus ex primoribus naſcentis Familiæ aſcetis) *Cluſina Diæceſis in Thuſcia, oppido Pij Quarti Patria, ad Obſeruantes à Patribus Conuentualibus, tranſiuit, annos natus triginta*, & num. 23. *Regularis Obſeruantia in Italia hoc anno maiores vires ſuſcepit, firmioremque ſpem conceperunt Patres ſtabiliendi inſtituti, ex decreto Conſtantienſi, ſuprà relatos pro domibus Gallicanis conceſſo. Triginta quatuor erant humiles ædiculæ in Italia, quibus hoc anno acceſſit totius Ordinis primæua, à Sancto Franciſco commendatiſſima, Domus Sanctæ Mariæ Angelorum, in Agro Aſſiſiate, Portiuncula nuncupata, conceſſit hanc Miniſter Generalis, annuentibus Patribus Prouinciæ Sancti Franciſci, maximè ijs, qui habitabant ad*

Sacram

Sacrum Conuentum Assisij, vbi Sancti Patriarchę Corpus honorificè colitur, reseruatis tamen sibi quotidianis, & amplis oblationibus, & pecuniarijs eleemosinis, quæ in ædicula multis miraculis, Gloriosa Virginis apparitionibus, & diuturno S. Francisci incolatu celeberrima, à numeroso concurrente Populo, fiebant, & num. 24. folio 102. ad marginem scribit: *Tenue adhuc Obseruantiæ initium*, in corpore verò: *Horum virtutem, & qualitates Nicolaus Farensis, B. Ioannis Capistrani socius ità describit. Patres nostri pauci erant numero, humiles, & abiecti in conspectu hominum, sed magni, & accepti in conspectu Dei, Religione insignes, fide præcipui, paupertate diuites, sub humilibus, & pauperculis habitaculis degentes, &c: Numerus Fratrum per omnia dispersorum erat exiguus, neque sufficiebat ministerio domestico, inter ducentos circitèr, paucissimi erant Sacerdotes, ita vt in ædiculis Reatinis, alternis vicibus, vnus sacra perageret & in nocte Natiuitatis Dominicæ primam Missam Græci, secundam ad fontem Columbæ, tertiam in Podio, celebraret. Pauci etiam erant docti ante aduentum quatuor cęlestium præconum, Bernardini Senensis, Ioannis Capistranensis, Alberti à Sarthiano, & Iacobi Piceni*, & num. 25. ad labrum ad annum 1390. *Horum Eremicularum Vicarius, quem supra diximus, Ioannes à Stroncenio prudenter agebat.*

Hæc pro veritate Annalista, vt dicunt veritatis, scribit de sua oriente, & adolescente Familia; assignat autem Reformatorem Fratrem Pauluccium, qualitatem eius naturalem, ac sęcularem, Patriam, ac Parentes, qualitatem eius moralem in Religione, & gradum, in sæculo, namque fuit Patria Fulginas, de prosapia Vagnotia, vt testantur literæ ad ipsum directæ Ministrorum, penes Orbem Seraph. tom. 2. lib. 6. cap. 2. fol. 9. & 10. descriptæ, consanguineus Hugolini de Trincis, Domini Ciuitatis Fulginei, ac propterea dictus de Trincis, statura, & corporis effigie indecorus, sed moribus sanctis effulgens, in Religione verò laicæ classis, Regulæ obseruationi admodum studens, pius, ac deuotus, & humilis; Annum reformationis initialem, fundamentalem, radicalem, scilicet 1368.

1368., locum humilem primarium, videlicet, Brullianum, socios Fundatoris, pauculos Fratres, post multos annos dicens, eiusdem fuisse adhuc tenue initium, ducenti vix numerabantur in sodalitio circitèr, anno 1415: Tandem non adhuc egressi erant ab Eremitorijs anno 1390., & post B. Paulucci um, hos eremiculas moderabatur Ioannes à Stroncon cui igitur credendum de origine, initio, ac primæ auræ tractu Familiæ Fratrum, oraculo veritatis eorum, an Aduersarijs? ille de fundamento sui instituti rationabilitèr meditatus est, omnia substantialia, & accidentalia assignando, non loquendo de separatione Obseruantium à Conuentualibus, quæ separatio etiam, vt suprà diximus, infensa est Aduersarijs, libentèr gratis etiã si admitteretur, sed de reformationis initio initiante, loco, anno, socijs, &c. Aduersarij, nullo scipione substentati fatentur, igitur deferant ipsi quoque Vuadingo, imò veritati, & nos quoque cum illo, pro eadem stamus.

Alter, Vuadingi secutus vestigia, votum suum profert, videlicet Pater Michael Angelus à Neapoli Prouinciæ Obseruantium Terræ Laboris Lector Iubilatus, Auctor Chronol. Seraphicæ luci concessæ anno 1650. Neapoli, hic folio 86. scribit de sua Familia sequentia, vt aliàs sæpè diximus, quæ necesse habemus nunc repetere, literis grandiusculis.

ORIGO

Regularis Obseruantiæ apud Italos.

ANNO Domini 1368. Hugolino de Trincis, Vrbis Fulginei Principe fauente, à Patre Fratre Thoma Frignano Ordinis Ministro Generali, domunculam Brulliani, in loco horroris, & vastæ solitudinis, inter Fulgineum, & Camerinum, Frater Pauluccius Fulginas obtinuit, in qua reformationis, toties ab alijs intentata, non tamen prudenter directa, radices fixit, & fundamenta, eo solidiora, quo humilia, Regularis Obseruantiæ, iecit,

iecit, post aliqua: *Patri Fratri Thomæ de Frignano in officio Generalatus successit Pater Frater Leonardus de Giffono, seù de Giffonibus, qui pullulantem hanc Congregationem, & fauoribus, & beneuolentia prosecutus est*, inferius Anno 1390. *Frater Paulus occulis orbatus, & viribus deficiens, iam octogenarius, socium suum Fratrem Ioannem Stronconium, virum perfectum, doctum, egregium Concionatorem, & Regularis Obseruantiæ zelatorem. super omnes Fratres Obseruantiæ, suum constituit Commissarium*, & folio 87. *Frater Ioannes Stronconius, Fratrum Minorum Obseruantium Vicarius, Conuentus, & Fratres ipsorum, maxima prudentia, & Regulari Obseruantiæ, Ministros Conuentuales plurimo obsequio, & gratioso regimine, habebat propitios, ità scandala euitabat, dissidia, & lites procul faciebat, & placido incremento Familiam suam dilatabat, vt anno 1415. triginta quatuor essent humiles ædiculæ in Italia, quibus hoc anno accessit domus Sanctæ Mariæ Angelorum, Assisij, Portiuncula nuncupata. Quam Obseruantium Congregationem quatuor cælestes pracones, Bernardinus Senensis, Ioannes Capistranensis, Albertus à Sarthiano, & Iacobus Picens dilatauerunt, quibus ducibus, Familia Obseruantiæ adeò subcreuerat, quod Minister Generalis Frater Gulielmus de Casali, super ipsam Familiam, anno 1438. Sanctum Bernardinum Senensem, accedente Eugenij Papæ Quarti ordinatione, Vicarium Generalem instituit.*

Pater Haroldus ad annum 1375., in Epit. ad Annal. Vuadinг. to. 7. folio 1006., discriminando Minores, scribit: *Alij enim, Fratres Conuentuales à tempore Innocentij Quarti dicebantur, qui collegialiter in Conuentibus viuebant, vt Pontifex hoc nomine declararet eorum Ecclesias ijsdem gaudere priuilegijs, quibus gaudent aliæ, in quibus plures personæ ad publica officia conueniebant, hoc tamen tempore cœpit id nomen strictius vulgò sumi, ad eosque tantum referri, qui strictiorem vitam non sequebantur, eo quod isti maiores Conuentus sibi retinebant. Alij ex aduersò, Fratres Eremitoriorum dicebantur, qui loca deserta incolebant, vt quorum propterea Tuguria, & Oratoriola, Conuentuales, seù Collegiales Ecclesiæ, dici non poterant, nec earum gaudebant*

debant

debant priuilegijs, neque Communitatem in suis functionibus obseruabant. Alij, Fratres Familiæ dicti sunt socij Fratris Paulucij, quorum Congregatio à peculiari instituto, seù potius eiusdem instituti obseruantia, peculiaris dicebatur Familia, quo, eos, titulo, Prouincialis in literis appellat, Fratres Regularis Obseruantiæ, ijdem ipsi sunt, sed qui huius nominis, auctoritatem postea habuerunt ex decreto Concilij Constantiensis, & alijs Romanis Pontificibus, eo quod Regulam sine dispensatione, vel priuilegijs relaxantibus obseruarent, hæc eadem verba cap. 3. allata sunt initio, §: Aliqui ex Patribus &c., sed alia de causa, vt ibi.

Idem auctor, ad annum 1368, agnouerat Fratres de Familia, quos hic commemorat, occulos ad primam lucem aperuisse cum Vuadingo, etenim de suo sodalitio nouiter insurgente super fundamentum Brulliani, auctore Fratre Paluccio, qui præfatum locum obtinuerat, ait: *Hic ergo Paluccius, aduocatis socijs, ea Regularis Obseruantiæ iecit fundamenta, quæ in ingens ædificium, surrexerunt, nullo vnquam tempore ruiturum.*

Hi etiam auctores, cum vniformem habeant loquendi formam cum Vuadingo, non patiuntur decantatam explicationem de separatione à Conuentualibus, vt comminiscuntur iterum Aduersarij in antiq. folio 40. nu. 10., quam superius, sæpè reiecimus; & quidem in Chronologia, ità expresse agitur de origine, vt abigatur omnis separatio, dixisset enim, separatio, non origo, igitur in Italia non fuerunt Patres de Familia, & Regularis Obseruantiæ ab initio Religionis, cum annus 1368., non fuerit 1208., igitur, & in alijs Mundi partibus, quia post reformationem Italam, omnes aliæ incœperunt.

De Gallica reformatione scribit Chronolog. citatus folio 8, originem pariter his dictis describens, literis pariter grandiusculis.

APVD GALLOS.

Anno 1388., post aliqua. *Excitauit Dominus Spiritum trium Religiosorum* (qui fuerint nemo Scriptorum commemorat)

morat) *Fratrum in Prouincia Turonia, vt collapsam disciplinam restaurarẽt: hi vel suis, vel aliorum precibus, à suo illo Pseudo Ministro Generali Patre Fratre Angelo, obtinuerunt, vt sibi concederetur cęnobium aliquod solitarium, in quo à turbis remoti, viuere possent secundum Regulæ puritatem: Mox imperante Fratre Angelo, Frater Ioannes Philippi præfatæ Prouinciæ Minister, eis humanissimè tribuit Conuentum Mirabelanum Diœcesis Pictauiensis:* post aliqua. *Defuncto Fratre Ioanne Philippi, qui summopere illis fauit, ijs locis, quæ tunc possidebant, præsertim Mirabelano, deturbati sunt*, post aliqua. *Superuenit postea alia procella sub Alexandro Quintò, & Ioanne Vigesimotertio, sub qua fluctuarunt vsque ad Concilium Constantiense, in quo solidius iacta sunt fundamenta Regularis Obseruantiæ in Gallia; Sancta enim Synodus Constantiensis exemit Fratres prædictos Obseruantes ab obedientia Ministrorum Conuentualium, eisque Obseruantibus Prouinciarum Turoniæ, Burgundiæ, & Franciæ, ex se ipsis eligendi Prouincialem Vicarium, facultatem concessit, qui Prouincialis Vicarius à Ministro Prouinciali deberet confirmari infrà triduum*, & paucis interiectis; *A quo tempore in his tribus Prouincijs Regularis Obseruantia stabilita fuit*, hæc cum Vuadingo to. 5. ad annum 1415. nu. 6. 7. & Gonzaga.

Magno incremento, (hæc leguntur tom. 2. Orb. Seraph. cap. 3. initio) *prosperabatur Sancta Reformatio Regularis Obseruantiæ in Italia, & anno* 1388. *ad alias Regiones felicibus auspicijs propagata, etenim in Gallia, cum propter Schisma Pontificum, scissamque in duas partes Religionem, res in deterius tenderent, & Fratres viuerent liberius, habentes aduersas acies, ad quas confugerent, dum suæ stationis disciplinam abhorrerent, excitauit Dominus Spiritum trium Religiosorum Patrum in Prouincia Turoniæ, vt collapsam disciplinam instaurarent; Hi vel suis, vel aliquorum precibus, à suo Pseudo Ministro Generali* (non ab Antonio Pireto vti habet Gonzaga p. 1. pag. 8., qui non nisi anno 1405. assumptus est ad supremum Ordinis regimen, sub obedientia Innocentij Septimi veri Pontificis) *obtinuerunt, vt ipsis concederetur cœnobium aliquod Solitarium, in quo*

à turbis remoti, viuere possent secundum Regulæ puritatem: Mox imperante Angelo, Frater Ioannes Philippi, præfatæ Prouinciæ Minister, eis humanissimè tribuit Conuentum Mirabelanum Diœcesis Pictauiensis, in quo adiunctis alijs Fratribus sui charismatis æmulatoribus, summa laude, & religiosa quiete, dum vixit prædictus Minister, perseuerarunt, & paulò post; *Conuentus Mirabelanus fuit omnium primus Regularis Obseruantiæ in Gallia, atque inde ad alios transisse reformationem constat ex Concilio Constantiensi, in quo cum decerneretur quid agendum esset circa Fratres, & Domos huius nouæ plantationis, deputatis Vicarijs, qui eos regerent, præceptum est; vt eis restitueretur, & aggregaretur Conuentus Mirabelanus*, quem (inquit Concilium Constantiense sess. 19) *volumus, & expressè ordinamus, curæ, & regimini prædictorum Vicariorum subesse, ea ex causa, vt sicut in eo hæc stricta Regularis Obseruantia in partibus illis sumpsit exordium, ità in illo tanquam in aliorum speculo semper elucescat.*

Hæc eadem omnino scripserat Pater Marcus Vlyssip. 3. p. Chron. lib. p. cap. 29., vbi etiam principaliter agit de Gallorum Obseruantium recursu ad Concilium Constantiæ, vt liberarentur à subiectione Minorum Conuentualium, à quo omnes citati Vuading., Chronologus, & de Gubernatis historiam prænarratam acceperunt, igitur non ab initio Religionis, in hac parte Orbis, fuerunt Patres de Familia, seù Regularis Obseruantiæ.

Ingressum, & initium in Iberia Obseruantiæ Regularis ponit Pater Marcus citatus cap. 10. in anno 1399., in margine scribit. *L' Anno 1399. hebbe principio l' Osseruanza in Castiglia.* In corpore autem: *Comminciò con non minor feruore, e prospero principio à piantarsi la Sant' Osseruanza in Ispagna nel Regno di Castiglia, nel medesimo tempo, & hebbe per Fondatori alcuni huomini Santi: Il primo fù il Santissimo Fra Pietro di Villa Creces, il quale essendo Maestro in Teologia, si separò da Padri Conuentuali, facendo vita Eremitica in vna grotta vicina à San Pietro d' Arlazza, doue stette vent' anni, di doue sì partì puoi, e diede*

diede principio alla Riforma l' anno 1366. (postremi numeri versi sunt superius, cum inferius volui deberent, ne fiat magna in auctore contradictio, ità vt 66. debeant poni 99., & fiat in totum 1399.) *La prima Casa, che fondò fu quella di Salzeda nella Prouincia di Castiglia, dopò quella d' Agilera, e quella dell' Abroscio vicino à Vagliadolid, &c.*

Sed Marcum Vuadingus fatetur assertorem anno 1399. Beatum Petrum Villacretium fundasse Regularem Obseruantiam, quem secutos dicit Gonzagam, & Petrũ Salazarium in Chronicis eiusdem Prouinciæ, quidquid sit de hoc, viderint ipsi; Vuadingus ipse negat B. Villacretium Fundatorem fuisse in Iberia Regularis Obseruantiæ, sed auctorem probat huius initij B. Petrum de Santoyo, primum persuadet tom. 4. ad annum 1476., & seqqu., & tom. 5. ad annum 1404. nu. 14., & 1448. num. 4., secundum verò tom. 5. ad annum 1431. n. 6., de quo scribit. *Vir fuit pietate, & rerum agendarum peritia insignis, Oppido natus Santoyo in tractu Campensi, ad Religionem matura ætate, Sacerdotio insignitus, ipso die, quo primitias in Altari Deo consecrare decreuerat, insalutatis parentibus, & amicis, qui ad solemnia primæ Missæ conuenerant, accessit. Initiatus in Conuentu Castri Casaris, vulgò Xerisij sub disciplina Patrum Conuentualium, & paulò post, emissam solemnem professionem, visione monitus cœlesti in domo Pinciana, contulit se ad Cœnobiolum Aquileriæ, vbi per annum commoratus, Petro Regalato Magistro, vita restituta leges tulit, & didicit perfectè. Hinc Hierosolymam profectus, & in regressu per Italiam S. Bernardini Senensis doctrina imbutus, domos multas suæ Prouinciæ Castellana, ad disciplinam hanc amplexandam induxit.*

Quibus sequentia subscribit de Gubernatis tomo 2. Orb. Seraph. lib. 6. cap. 4. folio 34, & 35. *Deo itaque disponente, Obseruantiæ Regularis in Italia sub Sancto Bernardino, alijsque eius aurei sæculi Heroibus felicissima, & sanctissima primordia, atque progressus animaduertens, post maturam considerationem, nouum hoc vitæ genus, pro faciliori, & firmiori totius Ordinis Reformatione, Villacretiano instituto præferendum esse iudicauit, &*

de facto in Hispaniam reuersus, eius institutionem, & propugnationem toto conatu promouit. Opposuerunt se se Santoyo Villacretiani discipuli pro solo suo antiquo conseruando instituto contendentes, &c., & paulò inferiùs. *Vigebant ergo in Hispanijs Villacretiana Recollectio (sic enim vocatur B. Petrus Regalatus in decreto S. R. C., quo, vt legimus, approbatus est eius cultus anno* 1683. *die* 24. *Iulij* 17. *Aug.) & Regularis Obseruantiæ institutum à Sanctoyo inuectum, sed hoc multò diffusius. Tandem cedente paulatim Villacretiana peculiari Congregatione, Obseruantiæ Regularis integrum corpus longè praualuit, firmissimas radices egit, & cæteris suppressis per Orbem vniuersum ramos extendit: B. Patrem Fratrem Petrum Sanctoyum primum suum in Hispanijs, atque principalem Fundatorem agnoscit; Villacretium verò, Regalatum, & alios horum socios, sua erectionis occasionarios debet confiteri. Pincis, seù Vallisoleti, primum Conuentum ad Obseruantiæ Regularis normam reformauit; vndè multiplicatis socijs, atque Conuentibus, sanctissimum institutum per Hispanias, Lusitaniam, & per Orbem nouum, incredibili fuit amplitudine dilatatum*, & post pauca.

Ergo Petrus Sanctoyus iam Sacerdos, & ætate aliquantò prouectus, in Conuentu Xerisij, de Ordinis Communitate, Minoritica vota solemnitèr professus, & paulò post in Recolecta domo Aquileriæ sub B. Petri Regalati disciplina, vitæ normā strictioris edidicit, exindè peracta Sanctorum Locorum peregrinatione, post aliqualem in Palestina incolatum, in Italiam venit, vbi S. Bernardino, iam prædicationis, & sanctitatis fama celeberrimo, Magistro, Regularis Obseruantiæ instituta particularia edoctus, ipsa vti populorum saluti, nec non amplianda, atque firmanda Religionis magis accommoda, deportauit in Hispanias.

Sub Regalato autem anno 1404. *vix quartum ætatis lustrum ingresso, Aquileræ ad Recolectionem admisso* (non enim ætate prouectus inter Conuentuales vota nuncupauit, vt dictū est, & vix ingressus quartū ætatis lustrū, ad Recolectos se recepit) *non potuit Sanctoyus nisi circa annum* 1410. *leges recolectionis ediscere. Regularis Obseruantiæ in Italia mirificos progressus, &*

cla-

clarissimam S. Bernardini famam non nisi circa annum 1420. *intueri, & in Patriam deportare istud institutum, ibi tamen fuisse auidè susceptum*, post aliquas lineas.

Lopetius de Salinas, (quem, & Lopetium Salazarium, & Lupum de Salinis nominat Vuading.) ex primis Villacretij discipulis, iam anno 1415. *pauperrimum Poza Conuentulum ex loci Domini pietate construxerat, post Villacretium, anno* 1422. *defunctum, eius constitutionum tenacissimus assertor; ipsas contra Sanctoyum Italicæ Obseruantiæ methodum introducere molientem, ad vltimum vsque spiritum propugnauit anno* 1427. *(vt ipse in suo testamento confitetur), optimos nactus suæ Sanctæ Recollectionis Patronos Petrum Fernandez de Vellasco, Comitem de Haro, Regni Castellæ Comestabilem, & Beatricem Manrique illius Coniugem, &c.*

Et folio 37. §. quia habet: *Ex quo liquidò concludas, Lopetianos, Villacretiana institutionis zelantissimos assertores, vsque ad annum* 1460. *cum Obseruantibus, nullo modo conuenisse. Dicerem ergo, saluo meliori iudicio, Villacretij, & similium speciales secessus, Recollectionem potius specialem, quam totius Ordinis reformationem intendisse, Obseruantiæ Regularis normam à Sanctoyo in Hispanias inuectam.*

Ab his omnibus Aduersariorum sermonibus accipimus primò: originem Obseruantiæ non ab initio Religionis in Iberia extitisse, sed multò post, seu Villacretium eius auctorem autument, siuè B. Petrum Sanctoyum teneant, igitur, &c.

Secundo à Conuentualibus originem duxisse Obseruantium institutum in Hesperia, etenim B. Petrum Villacretium fuisse prius Conuentualem antequam Villacretianam societatem strueret, imò Minerual laurea inter eos decoratum, scriptores ennarrant, & Vuadingus ipse fatetur tom. 4. ad annum 1376, cum quo Gubern. to. 2. folio 30., similitèr B. Petrum Sanctoyum extitisse Conuentualem, indubium est penes eosdem auctores, vt paulò ante diximus, siuè igitur detur gloria fundationis Obseruantiæ in Hesperia Villacretio, siuè Sanctoyo, ex Conuentualium gremio prodijsse conficitur.

Tertiò Villacretianam Congregationem, vsque ad vltimum Spiritum subditam fuisse Conuentualibus, & ideò refundendam esse in ipsorum ius, ac dominium, cum enim obedierit vsque ad annum 1460., quo extincta est, & vixit, Ministris Conuentualibus, nulla ratio suppetit alijs deferendam esse hanc Congregationem, ac societatem, ex quo concludendum etiam, Beatum Petrum Regalatum, qui teneris sub annis subiuit iugum Franciscanæ Religionis, & in ea vota emisit in consortio Conuentualium, & postea fuit Villacretij consortio aggregatus, ad Conuentuales spectare ijsdem de causis: *Cum cæteris facilius concordabimus, quæ de Villacretio leguntur, nempè quod anno 1404. secundum suæ Congregationis pauperrimum Aquilleriæ Conuentum posuerit, atque paulò post B. Petrum Regalado tenerrimum adhuc adolescentulum, natus quippè anno 1390. ætatis suæ 14. solemnia Franciscanæ Religionis vota nuncupauit in Ordinis Communitate*, (idest penes Conuentuales, inter quos iam recensuerat Villacretium, vt mox diximus, Religioni Minorum se ipsum litauit) *Sanctissimis moribus emicantem, suo consortio aggregasse legatur*: scribit Vuadingus tom. 5. ad annum 1404. num. 14., & 1448. num. 4., cum quo cohæret Orb. Seraph. tom. 2. fol. 30: à primo igitur ad vltimum recapitulando, cum in Italia, Gallia, & Iberia illuxerit multò, & multò post reformatio Patrum de Familia, & strictæ Obseruantiæ, neque hoc refundi valeat in puram separationem, vt probauimus, à natiuitate Religionis Minorum, sapientèr, imò omninò necessario concluditur, Patres de Familia, seù strictæ Obseruantiæ, vel Regularis Obseruantiæ, non vixisse in Religionis exordio. De origine in alijs regionibus, multò post à prędicta Religionis institutione, legi possunt auctores Ordinis nostri, & Orbis Seraph. tom. 2. locis cit.

Probatur 2. quia iuxtà initium, & incrementum Familiæ Obseruantium, assignantur eorum Vicarij, prius deputati à Ministris Ordinis, & Conuentualibus, dehinc auctoritate Pontificum, & Concilij Constantiensis ab ipsis, ex se ipsis

electi.

electi, cum subordinatione ad Ministros Conuentuales superius ennarrata igitur, &c. antecedens patet ex dictis cum ipsis met Aduersarijs, qui primum Vicarium deputatum à Ministro Friniano, dicunt fuisse B. Paulucceium, post hunc Ioannem a Stronconio, & à Gulielmo, D. Bernardinum, B. Ioannem a Capistrano, & Ioannem Mamberti à Rusconio, audiatur de Gubernatis tom. p. Orb. Seraph. folio 300. cap. 19. num. 4. *Hoc solum præmonere debui, praextitisse in Gallicis ante Concilium Constantiense duos Obseruantium Vicarios, non tamen sub titulo Vicariorum Generalium, dehinc ex speciali Concilij Constantiensis diplomate Vicarios Generales, non tamen, vel pro vniuerso Obseruantia corpore, vel pro Familia saltem Vltramontana, sed pro solis tribus erectis in Gallia Prouincijs, seu Vicarijs: Similiter in Italia B. Frater Pauluccius de Trincis, sub titulo Commissarij amplissimam super Obseruantes suos à plerisque Ministris Generalibus auctoritatem excepit, (vt suo loco fusius dicetur,) B. etiam Ioannes de Stronconio post obitum Paulucij anno* 1405. *de Ministri Generalis speciali mandato, cum titulo Vicarij Generalis, Obseruantes in Italia gubernauit, & S. Bernardinus præter minorem, quam prius habuerat, amplissimam anno* 1438. *à Gulielmo Ordinis Primicerio, potestatem, cum titulo Vicarij Generalis super vniuersam in Italia Familiam, excepit ab Eugenio Pontifice speciali diplomate confirmatam*, & num. 5. *Verior itaque, & legitima Vicariorum generalium institutio pro vtraque Familia anno* 1443. *recensetur, quando Antonius de Ruscombus electus in Ministrum Generalem*, (hunc fuisse Conuentualem, idem auctor expressè confitetur tom. p. cit. lib. 3. §. 33. fol. 185., & alibi.) *iubente ipso Pontifice*, (id non iussit Pontifex, sed approbauit, & concordatum habuit Senis, vt fieret deinceps simili modo, & mandauit, vt patet in hoc capitulo ex auctoritatibus adductis, §. Eugenius, &c.) *Eugenio, B. Ioannem de Capistrano citrà montes, & Ioannem Mamberti pro Vltramontanis nominauit, expeditisque ad vtrunque literis patentibus, instituit suos respectiuè Vicarios Generales ex plenitudinis potestate, quæ Ministro Generali super Ordinem vniuersum*

 compe-

competere, quomodocumque intelligatur: quod, vt firmius, & independentèr à Fratribus de Communitate Ordinis stabiliretur, perpetuò inter Obseruantes priuilegio, anno 1446, Eugenius ipse Pontifex, edita bulla: Vt Sacra Ordinis &c., inferiùs lib. 6. de Obseruantibus referenda, decreuit, vt Obseruantes ipsi in vtraque respectiuè Familia sui, seorsim cogendo capitula, proprios sibi Vicarios Generales, à Ministro statim confirmandos, eligerent &c. igitur non sunt ab initio Religionis Minorum computandi Patres de Familia, quia caput, & membra cohærere, & simul esse debent, vt erigatur corpus, & non truncus.

Probatur 3. quia sodalitas Beati Patris Francisci ab vno Fundatore instituta, cum vna esset, in plures sodalitates, & membra, Apostolica permissione diuisa est, ita loquitur Gregorius XIV., vt in bullar. Roman. tom. 2. fol. 699., in Bulla edita 1593. ad instantiam Patrum Capuccinorum. *B. Francisci Confessoris Sodalitas ab vno Fundatore instituta, & ad eundem Dei finem ordinata, vtriusque Seraphica Religionis nomine nuncupata, in plures Sodalitates, & membra, Apostolica permissione diuiditur, & quasi circumamicta varietate, prout pietas diuersimodè suadet, corde vno, & anima vna Deum colit, & instar agri Dominici, varios, atque vberes fructus quotidiè profert, & distinctiores, & abundantiores, vt confidimus, in dies proferre non cessat.* Vna igitur fuit Religio, & Sodalitas à S. Patre Francisco instituta; quæ ex Apostolica permissione diuisa est in plura membra, sed ista membra, quæ diuisionem fecerunt vnius Religionis, fuerunt Patres de Familia, qui, vt loquamur in sensu Aduersariorum, separati sunt à Conuentualibus, & de hac separatione locuti sumus cap. p. §. Ex his, & huius separationis testimonia, & permissiones, seu concessiones, habemus primò ex Concilio Constantiensi, secundò ab Eugenio Quarto, tertiò à Leone Decimo, vt ibi diximus, & Patres Capuccini, vt liquet ex Bullis citatis in hoc cap. Clementis Septimi, & Pauli Tertij, igitur, cum diuisio, diuidentes, & diuisum non fuerint ab initio Religionis, & diuidentes, & diuisi, ac diuisum fuerint ferè post duo sæcula, imò

post

post tertium, si loquamur de Patribus Capuccinis, Patres de Familia, diuidentes, non fuerunt ab initio Religionis.

Confirmatur: tres fuerunt in Ordine Minoritico principales Pontificum approbationes, vna tempore Innocentij Tertij, & Honorij item Tertij, tempore Sancti Patris superstitis, altera tempore Eugenij Quarti, Martini Quinti, & Concilij Constantiensis, & postrema tempore Clementis Septimi, & Pauli Tertij, prima fuit pro oriente Religione, secunda pro Patribus de Familia, seu strictæ Obseruantiæ, seu Regularis Obseruantiæ, & tertia pro Patribus Capuccinis, secunda distat à prima, quæ fuit anno 1209., vel circitèr, & 1224., per duo integra sæcula, nam prima approbatio partialis fuit edita anno 1415. à Concilio Constantiensi, & totalis anno 1446. ab Eugenio Quarto, tertia distat à prima per tria integra sæcula, & amplius, vt videri potest in Bullis, ergo Patres Obseruantes non fuerunt initio Religionis Minorum, quod autem secunda approbatio fuerit pro Patribus Obseruantibus, inconfessò est apud omnes, & Bullæ sonant pro ipsis, imò ipsis, petentibus, instantibus, & exorantibus fuerunt concessæ, igitur, &c. Cum autem Conuentuales non sint à Pontificibus reprobati, nec solum tolerati, imò approbati, nec aliam suæ approbationis tesseram, aliamque suæ institutionis tabulam, quam Honorij Tertij: *Solet annuere Sedes Apostolica, &c.* expedita Beato Patri Francisco, adhuc viuente, prima approbatio erit pro ipsis; & ipsi erunt instituti à Sancto Patre Francisco, cęteri verò suis, post ipsos, temporibus, quando Sedi Apostolicæ placuit, cum deriuatione à principali Fonte Minorum Conuentualium. [illegible]

Probatur 4. Patres de Obseruantia dicuntur etiam Reformati, vt patet ex vtraque Bulla Vnionis, & Concordiæ Leonis Decimi: *Ite, & Omnipotens Deus*, esse autem reformatum, quod est passiuum, vt diximus initio huius capitis, est in meliorem, vel priorem formam esse redactum, vel reductum, igitur prius non erant reformati, & postea fuerunt, & erant non reformati, consequentia probatur, si enim ante esse reformatum

matum erant reformati, ergo priusquam reformarentur erant reformati, & sic in infinitum, nam de istis prioribus reformatis, qui erant ante reformatos, quæritur vtrum essent antequam reformarentur &c., & patet etiam, quia reformari importat relationem de genere passionis, quæ nequit esse, sicut omnis relatio, ante suum subiectum, & fundamentum, igitur nullus poterit esse reformatus, & talis per relationem reformati denominari, antequam sit ipsa relatio, tum quia nequit esse effectus formalis sine forma, igitur tunc fuerunt denominati reformati, & reuera reformati, quando aduenit illis reduci in antiquum statum, non reformationis, sed formæ, ergo ipsi reformati non erant sub illa forma, nec reformati appellabantur, qui sub illa extabant, quinam igitur erant, qui stabant sub illa forma, qui instituti fuerunt à S. Patre Francisco, & secuti sunt illius vestigia, & præcepta adimplerunt, Conuentuales videlicet.

Confirmatur primò: Patres Obseruantes sunt reformati, igitur prius non reformati erant, consequentia patet, quia aliàs essent reformati, antequam essent reformati, erant igitur, & non reformati, isti autem, qui erant ante reformatos, & non reformati, prius erant reformatis, igitur reformati sunt illis posteriores, quando autem fuerint reformati, & præcesserint quanto tempore non reformati, & quinam fuerint isti non reformati, patet ex dictis, & repetitis superius.

Confirmatur 2. reformari, cum sit, vt diximus passio, & passio sit effectus, illatioque actionis, ex auctore sex principiorum cap. 3. de passione, necessario prodire debet agentis actione, distincti à passo, vel sub alia ratione, qua patitur, agentis, quando agens in se ipsum agit; *Non est autem in agente passio, sed in eo, quod agitur, & operantis actum suscipit, percutiens enim pati non dicitur, sed materia actum suscipiens*, ait ibidem citatus auctor, erit ergo quærendus reformans, & quidem distinctus ab alijs suppositis reformatis, sed iste primus reformans pro exoriente Familia fuit B. Paulucciuss, vt diximus supra, pro crescente, & addolescente in tota Italia S. Ber-

S. Bernardinus, vt pariter parum supra vidimus, igitur, &c. quando autem fuerint isti reformatores, & ex quo fuerint gremio, & cuius auctoritate id egerint, non est cur repetamus, cum possit ex parum supra dictis accipi, igitur, &c.

Et quidem de Sancto Bernardino apud P. Franchinum sect. 2. num. 5. P. Ricciolius Soc. Iesu in sua Chronologia reformata tom. 3. p. 3. catalog. 6. de Fundatoribus Ordinum Militarium, & Claustralium, hæc scripsit: *Franciscanorum Conuentualium Ordo à Sancto Francisco Assisinate institutus anno 1207., vel vt habet Genebrardus 1209., confirmatus est anno 1212. ab Innocentio Tertio, & ab Honorio Tertio anno* 1223, & postea debito tempore, & loco. *Minorum Obseruantia Ordo, dictus Lignipedum, seu Soccolantium, institutus à S. Bernardino Senensi, circa annum* 1400. *reformante Ordinem S. Francisci*; cuius verbis se conformat P. Petrus de Alua, & Astorga ab eodem P. Franchino allatus sect. 3. num. 9. in lib. cui titulus Prodigium naturæ, (qui S. C. I. displicuit, & ab eadem extitit confixus) in apparatu operis tabula 5. *Anno* 1442. *initium sumpsit Reformatio, cuius auctor fuit S. Bernardinus, dicta Zoccolantium*, igitur cum Reformatores, & reformati, per lustra, & sæcula fuerint post institutionem Religionis Sancti Francisci, indubium est fuisse extorres ab eius initio, in quo non fuit necesse Reformatoris, & Reformatorum, sed Sancti Institutoris, & Sanctorum eius Filiorum, ac sequacium.

Non parum aguntur Aduersarij hoc argumento, pertentant tamen ab eo se liberare, ideoque in antiquior num. 65. fol. 31., & num. 76. fol. 37. & num. 81. fol. 44., & tom. 2. Orb. Seraph. fol. 229. §. Ricciolius, 233. §. ad conclusiones, & 235. §. si dicas, Respondent. *Ricciolium intelligendum esse, non de rigorosa institutione, sed de separatione, cum enim Sanctus Bernardinus iuxtà Ricciolij placitum, Ordinem S. Francisci reformauerit, & reformare sit ad pristinam formam reducere, non Obseruantes de nouo instituit, sed in antiqua Franciscana vita forma segregauit, vndè Obseruantes iam præexistisse cognoscas*

gnoscat in Ordine S. Francisci secundum Ricciolium; Item quod *Reformatores, & Reformati nasci non potuerunt ex nihilo de nouo, nec erant sæculares, nec reformarunt Conuentuales suis in libertatibus permanentes, & ab Obseruantia condistinctos; Erant igitur Zelotes, & Regulam Obseruantes quamplurimi in Ordinis Communitate Minores, qui videntes, quod maior pars in libertatem tenderet, exire ab his, & separatam Congregationem incolere maluerunt: Ecce quid importet reformari, non aliud, quam in pristinam formam renouare, ergo praexistiterat hæc antiqua Regula Obseruantia, nec interierat (quod fingi posset subterfugium), at ne per relaxationes suffocaretur, fuit ad Zelantium securitatem à Fratre Paulutio separata*; tertiò tandem dicunt, quod *reformare est agere, & cum agere supponat esse, iam erant, iam praexistebant Obseruantes, qui reformabant, & ità Obseruantes, quos praexistere necesse fuit, reformabant primò se ipsos, quod sanè intelligendo, non repugnat, zelum namque suæ Regulæ profitentes inconcussum; periculum relaxationis ex altera parte considerantes ineuitabile, inter multitudinem ad libertatem declinantem, ab ista digressi, separata, licet tenui in Congregatione, separatam Familiam sibi delegerunt, &c. Hoc fuit perfectissimum reformationis genus Congregationem separatam, vbi absque tumultu in antiqua, & rigidiori disciplina perseuerarent in pace, reformabant, & alios, non quidem Conuentualium Congregationem, quæ nec re, nec nomine adhuc extabat, sed de Fratribus illis, qui in Ordinis Communitate libertatem primò sectantes, ex Sancto Zelantium exemplo, melius in separatis Cœnobijs considerato allecti, ad pristinam vitæ perfectionem reuertebantur*: vndè post tot discursus hoc ephiphonemate concludunt. *Obseruantes reformabant, ergo praexistebant.* Sed.

Contra est primò, reformari est ad pristinam formam reduci, vel ad meliorem, vt diximus cum Calepino, reformare est ad priscam, vel meliorem formam reducere, igitur qui reformantur, amiserant formam, vel in totum, vel in partem, qui reformant, amissam formam, vel dedecoratam, restituunt in

in ſuo iam priſco ſtatu, in quo fuerat, iam amiſſo, vel decore, depulſâ denigratione, & dedecore, vnde igitur habetur, quod reformatio ſit ſeparatio, & ſeparari ſit reformari, hoc etiam fine, vt perfectio ſeruetur?

Contra 2. ſi reformari, vt concedunt Aduerſarij eſt in priſtinam formam reuocari, igitur ſupponitur amiſſa forma, aliàs cum *idem manens idem, ſemper ſit natum facere idem* 2. de gen. t. 56., formam priſtinam non eſſet neceſſe reuocare, cum eſſet præſens, & eundem effectum præſtaret.

Contra 3. ſi perfectiſſimum genus reformationis eſt ſegregari ab imperfectis, vt ſeruetur perfectio, & hac non amiſſa, vel denigrata, igitur Catholici auſugientes à partibus heterodoxis, eſſent Catholici reformati, optimi Catholici ſæculares auſugientes à ſæculo, ne ſuis illaqueentur piaculis, eſſent reformati, vnde Anachoritæ, Eremitæ, & omnes, qui relinquentes omnia ad loca deſerta ſe receperunt, eſſent reformati, igitur &c.

Contra 4. Concilia, (vt patet in Concilio Tridentino) multa, ac varia pro neceſſitate ediderunt ſtatuta, & decreta reformationis, non vt ſegregarent bonos mores ſeruantes, ac Diuina præcepta, à non ſeruantibus, ſed vt qui deperditos mores, & à lege Domini exleges facti erant, reducerent ad ſanctitudinis ſemitam, quam triuerunt Sancti, & ipſi forſan aliquando calcauerunt, igitur &c., idem dici debet de multis ſanctis, de quibus paſſim in breuiario, & actibus eorum legitur reformaſſe Ordinem, Clerum &c., hi enim non ſegregauerunt bonos à malis, ſed malos, ad ſemitam rectam reuocauerunt.

Contra 5. ſi perfectiſſimum genus reformationis conſiſteret in prædicta ſegregatione, igitur, quando Chriſtus Ieſus Iudex viuorum, & mortuorum in die Iudicij vniuerſalis ſegregabit oues ab hædis, ideſt electos à præſcitis, vt dicitur D. Matth. 25. 32. Sanctos omnes reformabit, & in perpetuas æternitates dicendi erunt, & erunt reformati, gaudete igitur, quia veſtrum agnomen ad Cęlos euolabit, vt ſeruetur in Sanctis, in perpetua sæcula.

Contra

Contra 6. nam quid sit reformari exprimitur in vtraque Bulla Vnionis Leonis Decimi, sicut, & reformare, siquidem in Bulla prima *Ite*, &c. de reformatione dicitur, initio ferè. *Nouissimè verò diebus istis, quasi hora vltima apparuerunt viri aliqui zelantes pro domo Israel, succiderunt lucos, & demoliti sunt delubra, ac vbi abundabat peccatum, adiuuante Domino, curauerunt per introductam reformationis normam, vt superabundaret gratia*; reformare igitur in Ordine Minorum, est destruere peccata, abusus &c., igitur reformari erit à peccato liberari &c., non igitur segregare, & segregari, nec vnquam in præfatis Bullis, aliud esse reformare, ac reformari, quam reduci, ac reducere ad Obseruantiam puram, ac rigorosam sine priuilegijs Regulæ, legitur.

Contra 7. Quia Leo Decimus in bulla Vnionis Omnipotentis, &c. concedit Fratres Conuentuales se reformare volentes, posse si voluerint permanere sub cura, & regimine Prælatorum Conuentualium, cum aliquo signo distinctiuo à ceteris reformatis viuentibus sub cura Prelatorum Obseruantiæ Regularis, & quod talis reformatio fieri debeat ab ipsis Prælatis Conuentualibus, iuxtà priuilegia Apostolica. *Statuimus etiam, quod si Fratres Conuentuales, quandoque se reformare voluerint, reformatio ipsa iuxtà priuilegia Apostolica eis concessa, per suos Generalem, & Prouinciales Magistros, dumtaxat fieri debeat, &c.*, inferius verò. *Præterea volumus, quod illi ex Fratribus Conuentualibus, qui de cætero vitam reformatam, sub Generalis, seù Prouincialium Magistrorum cura ducere voluerint, sub eorum regimine permanere possint, dummodo aliquo signo notabili distinctiuo, distinguantur & discernantur ab illis, qui vitam Regularem, sub Generali, seù Prouincialibus Ministris, ducunt &c.*, igitur reformari non est segregari, nec reformare segregare ab alijs; & ex his accipimus, Reformatorem non debere esse necessario reformatum, cum Prelati Conuentualium, à quibus fieri iubetur reformatio suorum Conuentualium manentium sub suo regimine, non sint reformati; secundo non esse idem esse Obseruantem, reformatum, &

Obser-

Obseruantem reformatum de Corpore Regularis Obseruantię, nam initio Religionis antequam refrigesceret caritas, erant Obseruantes, non reformati, nec de corpore Obseruantiæ Regularis, & Reformatorum, Conuentuales possunt esse Obseruantes, & Reformati, & non sunt de corpore Reformatorum Obseruantium, item non per hoc, quod Reformati Obseruantes de corpore Obseruantiæ, sint Obseruantes, sequitur, quod sint illimet Obseruantes, qui initio Religionis, fuerunt, vt toties dictum est, aliàs illi quoque fuissent reformati.

Contra 8. reformare est agere, cuius passio, & effectus, est reformari, igitur simul sunt, & non sunt, quia relatiua sunt simul natura, & posita, se ponunt, & perempta, se perimunt, sed reformati non fuerunt ab initio Religionis, igitur, nec reformantes, similitèr reformantes, non fuerunt ab initio Religionis, quis enim reformare debebat, non reformandum, & quid reformari debebat, cum forma Sanctitatis tunc inciperet, & obseruantia Religionis, nec quidquam erat deperditum, imò in auge perfectionis? Cum igitur Patres Regularis Obseruantiæ sint reformati, sunt simul cum suis reformatoribus, & nemo illorum tetigit exordium Religionis.

Contra 9. reformare est agere, igitur non supponit esse reformans, quia denominatio est effectus formalis formæ denominantis, & effectus formalis est ipsamet forma communicata subiecto, non igitur forma ante effectum, nec effectus ante, vel post formam, licet igitur actio supponat esse naturale, & fundamentum actionis, non tamen supponit illud, vt stat sub forma actionis, imò actio illud tale formalitèr constituit, sic vice versa arguitur de reformari; non ergo supponuntur ad reformare reformantes, vt tales reduplicatiuè, vel Obseruantes, vt reformantes reduplicatiuè, & reformati, vt Obseruantes reformati, ideſt de Corpore Regularis Obseruantiæ &c.

Contra 10. Obseruantes reformabant, igitur non præexistebant, vt reformantes, aliàs essent reformantes, antequam

essent,

essent, cum reformantes constituantur per formam reformationis, quæ non est, nec intelligi potest, nisi quando est ipsa actio reformationis, præexistebant igitur, vt simplicitèr Obseruantes, sed simplicitèr obseruans, sæpius dictum est, non est Obseruans reformatus de corpore Reformatorum, vel Regularis Obseruãtiæ, igitur,&c. etenim D. Bonauẽtura, D. Antonius, & socij Sancti Patris Francisci, qui fuerunt vt octo, & in gradu heroico Obseruantes Regulam S. Patris Francisci, fuissent de corpore Obseruantium, & Reformatorum, quod est absurdum, præextiterat igitur antiqua Regulæ Obseruantia, & consequentèr præextiterant Obseruantes, sed non Regularis Obseruantiæ, vel de Familia, vel Strictæ Obseruantiæ, vel Reformantes, & reformati, vel strictioris Obseruantiæ, & quocunque nomine nuncupentur, Patres isti.

Probatur 5. auctoritate potioris Patrum de Obseruantia benefactoris Leonis Decimi in Bulla prima Vnionis: *Ite vos, &c.* in qua vsus Saluatoris parabola de Patre Familias mittente operarios primo mane, hora tertia, sexta, & nona in vineam suam, D. Matth. 20., his verbis fatur de Vinea Religionis Minorum, initio. *Ad hanc vineam excolendam, primo mane, oriente iam Sole, misit ipse Pater Familias Angelum illum ascendentem ab ortu Solis, habentem signum Dei viui, Beatum Franciscum, qui comitantibus mira sanctitatis viris, prima vitis huius iecit fundamenta. His successerunt viri Religiosi, qui duce Beato Bonauentura, muros huius vineæ, iam vtique ruinam minantes, hora tertia, Trinitatis Sanctæ virtute, & adiutorio reparauerunt. Post hos veluti hora sexta, prodierunt spiritu feruentes, Fratres nonulli, qui à Sacro Viennensi Concilio, tanquam à Deo missi, & confortati eneruatam plenè disciplinæ censuram, ad sua principia reuocarunt. Hora verò nona, moriente Domino suo, ingruentibus in dies malis, & scandalosis huius vineæ agricolis, suscitauit Spiritum Adolescentis, paucorum videlicet Fratrum, qui signifero Nominis Iesu Bernardino ductore, & præside, Sacri Concilij Constantiensis freti præsidijs, languentem, imò penè mortuum per Orbem vniuersum,*

Ordinem

Ordinem viuificarunt. Nouissimè verò diebus istis, quasi hora vltima, apparuerunt viri aliqui zelantes pro domo Israel, succiderunt lucos, & demoliti sunt delubra, ac vbi abundabat peccatum, adiuuante Domino, curauerunt, per introductam reformationis normam, vt superabundaret gratia. Hæc Leo Decimus. In his verbis distinguuntur tempora institutionis Religionis, & restaurationis eius, institutionis vnicum fuit, restaurationis plura, nam prima restauratio facta est à D. Bonauentura, secunda in Concilio Viennenn, tertia à D. Bernardino, quarta, quasi hora vltima (non vltima) ait Pontifex, quasi diuinans, post istam expectandas alias reformationes, vti de facto accidit, nam exierunt è Familia Fratres strictioris Obseruantiæ, & à Conuentualibus Capuccini,) ab aliquibus Zelantibus & quidem nemo inficietur restaurationes factas fuisse diuersis temporibus, & à diuersis prius non extantibus, id enim apertum est ex ipsis Bullæ verbis, & ex assumpta parabola Christi Domini, quam exponens Sanctus Gregorius Magnus homil. 19. in Euangelio post initium, ait; *Hic itaque Pater Familias ad excolendam vineam suam, mane, hora tertia, sexta, nona, & vndecima operarios conducit: quia à Mundi huius initio, vsque ad finem ad erudiendam plebem fidelium, Prædicatores congregare non destitit; Mane etenim Mundi fuit ab Adam usque ad Noe; hora uerò tertia à Noe usque ad Abraham, sexta quoque ad Abraham usque ad Moysen, nona autem à Moyse usque ad Aduentum Domini, undecima uerò ab Aduentu Domini usque ad finem Mundi, in qua Prædicatores Sancti Apostoli missi sunt, qui mercedem plenam, & tardè uenientes acceperunt. Ad erudiendam ergo Dominus plebem suam, quasi ad excolendam uineam suam, nullo tempore destitit operarios mittere, quia, & prius per Patres, & post modum per legis Doctores, & Prophetas, ad extremum uerò per Apostolos, dum plebis suæ mores excoluit, quasi per operarios in uinea cultura laborauit;* Patres autem de Familia, reformati, Obseruantiæ Regularis à Pontifice non assignantur pro mane, pro hora tertia, vel sexta, sed nona, qua habuerunt ductores ex Concilio Constan-

tienſi in Gallicanis partibus, & D. Bernardinum in Italia, & vndecima, quando ab ipſo Leone datum eſt caput Reformatis, igitur &c., vnde cum Pontifex in hac hora vndecima aſſerat introductam reformationis normam, dat etiam intelligere, tunc re vera formatum fuiſſe, ac perfectum Obſeruantiæ Regularis Ordinem, ac sodalitatem completam, & quidem rationabilitèr, quia antea non habebat eorum corpus caput abſolutè, ſed caput capitatum, ideſt ſub vero, ac legitimo capite, quod erat ex Minoribus Conuentualibus, vt ſuperius probatum eſt, igitur Patres de Regulari, ſeù ſtricta Obſeruantia, vel de Familia, ex Pontificis oraculo non fuerunt ab initio Religionis, ſed poſt multum tempus, ac ferè, imò plus quam bina ſæcula; nec enim aliud capi poteſt ex allegatis verbis.

Contra primam concluſionem inſurgunt Aduerſarij probando Conuentuales non fuiſſe inſtitutos à S. Patre Franciſco, non inualuiſſe nomen Conuentualium ferè ſub initium Religionis, non eſſe hos Conuentuales cum priſcis eoſdem, non poſſediſſe &c., igitur Conuentuales non fuerunt ab initio Religionis, & conſequentur non potuerunt ab ipſis originari Obſeruantes; imò cum S. Pater inſtituerit ſuos filios ſub nomine Minorum, ſine poſſeſſionibus, in rigidiſſima paupertate, ſuę Regulæ præſcriptæ obſeruantes, taleſq; fuerint in principio Minores, conſtat Minores Obſeruantes fuiſſe ab initio Religionis, & potius Conuentuales originatos ab Obſeruantibus.

Hæc omnia ſuis locis eneruata ſunt, & oſtenſum etiam altè hallucinari Aduerſarios in illo verbo Obſeruantes, quod cum æquiuocum ſit, & aliquando deſignet Minores, Obſeruantes Regulam in puritate, aliàs verò Minores de corpore Regularis Obſeruantiæ, ſemiplenè compacto ante Leonem Decimum, quia cum capite capitato, & ſub capite Minorum Conuentualium, & plenè formato ſub ipſo Leone anno 1517, vt patet ex vtraque Bulla vnionis, ſæpius citatis, non eſt cur aſſumatur nomen Obſeruantis primò modo ad ſignificandos, & enunciandos Minores Regularis Obſeruantiæ; fuerunt igitur

tur Obseruantes Minores initio Religionis, sed non Minores reformati, strictæ Obseruantiæ, Regularis Obseruantiæ, & strictioris Obseruantiæ, ac de Familia, qui quando illuxerint, iam actum est, & satis ostensum in Superioribus, ex quibus elucet sodalitatem Patrum de Familia, ac Regularis Obseruantiæ annis multis stetitiſſe in statu imperfecto, perfectam verò dumtaxat fuiſſe Leonis Decimi temporibus, quando illi efformatum est caput, quod absolutè in membra influeret.

Obijciunt etiam contra vtramque conclusionem in prolog. Antiq. fol. 5. & 6. num. 10., & tom. 2. Orb. Seraph. lib. 6. cap. 16. §. 2. fol. 210. num. 10. §. ne tamen &c., Iulius II. in suo diplomate, *Exponi Nobis*. Dat. Romæ die 18. Aprilis 1512., ait Obseruantes ipsos esse veros S. P. Francisci (non Conuentualium) filios, & imitatores in arctiſſima paupertate fundatos &c., quod Clem. VIII. longè posteriori tempore in Bulla, *Ex iniuncto &c.* Dat. Romæ die 7. Septembris 1602. anno sui Pontificatus XI. de strictioris Obseruantiæ professoribus confirmauit, vbi cum in §. 2. dixiſſet, eos eſſe veros, & indubitatos filios S. Francisci, in §. 2. grauiſſimo præcepto mandat, ne quisquam imposterum eos appellare, aut dicere audeat, Nouos Religiosos &c. Clarius etiam Leo Decimus in literis pluribus Apostolicis: *Ite, & vos &c.*, & *Omnipotentis Dei* 1517., & in alijs, *licet aliàs postquam statueramus &c.* die 6. Decemb. 1517., vbi diffinitiuè sic ait. *Quodque ipsi Fratres de Obseruantia, & Reformati veri, & indubitati Fratres Ordinis S. Francisci, & eius Regulæ obseruatores semper fuerint, ac Diuina fauente gratia sint futuri, sine aliqua interruptione, seù diuisione à tempore edita Regula per B. Franciscum, vsque ad præsens*, & in alijs, *Vniuersis &c. Celebrato nuper &c.* die 12. Aprilis 1518, vbi contra nonullos de alia Religione, clariori expreſſione sic definit. *Inter eosdem Fratres Obseruantes huiusmodi, & alios Mendicantes prædictos hunc Ordinem seruari mandamus, quod Minores Obseruantes huiusmodi antiquum semper locum teneant, quem Ordo S. Francisci in similibus actibus tenere alibi consueuit; igitur Obseruantes idem repræsentant,*

quod Ordo S. Francisci hactenus repræsentauit, esto igitur, Minores illi, qui ab Ordine condito ad vsque Religionis eiusdem diuisionem in pura Regula Obseruantia perseuerarunt, absque illo addito Obseruantes, simpliciter Fratres Minores dicerentur, eosdem tamen esse in re non possumus ambigere.

Respondeo hanc obiectionem, esse nobis, & Patribus Regularis Obseruantiç communem, & ideò ipsos quoque teneri eidem satisfacere, hoc autem sic accipiant. Certum est Patres Capuccinos physice non extitisse sub initium Religionis, sed post tertium sæculum prodijsse, vt suprà diximus, mediatè ab Obseruantibus, & immediatè à Conuentualibus; Clemens enim Septimus in sua *Religionis Zelus*, edita Viterbij anno 1528. quinto nonas Iulij, anno sui Pontificatus 5, primus omnium illis facultatem impertiuit vitam eremiticam ducere, & quantum humana patitur fragilitas, Regulam Beati Francisci obseruare, & Paulus Tertius in sua *Exponi Nobis, &c.* lata Romæ anno 1536. octauo Kal. Septemb., anno sui Pontificatus 2, Clem. VII. facultatem Ludouico, & Raphaeli de Foro Sempronij, Ordinis tunc Minorum Conuentualium, concessam, confirmauit, & extendit, & Vicarium Congregationis eligendi &c. potestatem dedit, secundus post eundem Clementem, quas Bullas superius in hoc eodem capite citauimus. Tum quia id expresse testatur Paulus Quintus, in constit. *Ecclesia Militantis Regimini*. Romæ 15. Octob. 1608 anno 4. illis verbis. *Cum itaque, sicut accepimus à nonnullis, reuocatur in dubium, an Fratres eiusdem Ordinis S. Francisci Capuccini, sint verè Fratres Minores, & etiam quoniam Regulam Sancti Francisci profitentur, filij Sancti Francisci, cum tempore Sancti Francisci instituti non fuerint &c.*, & paulò inferius. *Hac nostra perpetuò valitura constitutione, auctoritate Apostolica declaramus, Fratres Capuccinos esse verè Fratres Minores, ac etiam (quamuis tempore Sancti Francisci minime instituti fuerint), cum tamen eius Regulam profiteantur &c. filios S. Francisci &c*, hac tamen veritate, & Pontificia attestatione non obstante, imò trium Pontificum, vt diximus aperta

confes-

confeſſione, aſſignantibus tempus eorum inceptionis, ac originis, & à quibus deſcendant. Vrbanus Octauus, in diplomate, *Saluatoris, & Domini noſtri &c.* Dat. Romæ 28. Iunij 1627. anno 4., extante in Bullario Romano tom 4 fol. 127. Bulla 68., vt tolleret dubitationem, quæ exorta erat occaſione prædictorum verborum Pauli Quinti: *Quamquam tempore B. Franciſci inſtituti non fuerint.* An videlicet Capuccini ex vera, & nunquam intermiſſa linea Sancti Franciſci originem trahant? *attentius*, inquit §. 4., *conſiderantes, eorundem Fratrum Capuccinorum originem, ſeù principium illorum eſſe realitèr, & cum effectu computandum à tempore primaua, & originalis inſtitutionis Regulæ Seraphicæ, cuius Obſeruantiam ipſi Fratres Capuccini ſemper ſine aliqua interruptione continuarunt, &c.*, & in fine. *Hac noſtra perpetuò valitura conſtitutione, Fratres Capuccinos præfatos fuiſſe, & eſſe ex vera, & nunquam interrupta linea, ac veros, & indubitatos Fratres Ordinis Sancti Franciſci, & illius Regulæ obſeruatores, ſubque ipſius B. Franciſci Regula militaſſe, & adpræſens quoque militare.*

Quomodo autem hunc gordianum nodum exoluant Aduerſarij, audiamus ſcribentem P. Dominicum de Gubernatis tom. 2. Orb. Seraph. lib. 10. cap. 5. fol. 586. num. 61. *Nec tamen defuerunt, qui contra informationes ad literarum huiuſmodi expeditionem Pontifici exhibitas, rationibus in contrarium editis, conquarerentur: in dubium quippè vocari non poteſt, quod quatenus Seraphicam Fratrum Minorum Regulam ſanctè obſeruant, à tempore Sancti Franciſci fuerint inſtituti, licet ſub hac præciſa Capuccinorum norma alitèr dicatur. Hæc ego, ſaluo meliori iudicio, ità componenda crediderim, ne Pontifices in iſtis, tametſi, nec ad fidem, nec ad mores ſpectantibus, ſibi inuicem contradixiſſe dicantur; ita ut Paulus Quintus dixerit, Capuccinos ſub præciſis ſuarum particularium conſtitutionum, ideſt, vt ſcholaſticè loquar, quatenùs ſeparatam Capuccinorum Congregationem efformant, à tempore Sancti Franciſci non fuiſſe inſtitutos, ſed ex tunc uerè numerandam ipſorum ſeriem, quatenus ad Seraphicæ Regulæ puritatem uiuere gloriantur, & hoc uoluit Vrbanus.*

Si hæc solutio euacuat contradictiones, & veritatem ipsam allata distinctio seruat inconcussam, eandem, & ipsi accipiant, ne idem Pontifex Leo Decimus, qui, vt in vltima probatione vidimus secundæ conclusionis, tempus fatetur inceptionis Patrum Regularis Obseruantiæ, longè distans ab institutione Minoriticæ Religionis, sibimet contradictorius habeatur, dum in allata ab Aduersarijs constitutione, vult eosdem à tempore S. Francisci institutos fuisse.

Multa tamen habeo vobis dicere, quæ, & modo portare potestis. Primum Bullam prælibatam Leonis Decimi in obscuris degisse ante auctorem Chronologiæ Seraphicæ, de cuius veritate authentica posset iure obrepare dubitatio, non solum hac de causa, sed quia, vt manifestè apparet, nullo motiuo, nulla accepta occasione, vel continuatione similis sermonis, intruduntur præfata verba ab Aduersarijs allata; etenim cum intentum illius Bullæ sit stabilire Crucem Obseruantium deferendam in digniori loco, quid causæ, habet cum hoc decreto, quod Obseruantes sint indubitati Fratres Ordinis S. Francisci? &c. Tum quia de Cruce ferenda in potiori loco, anno eodem, nondum elapsis sex mensibus in constitutione *Omnipotentis Dei*, *Vnionis*, & *Concordiæ*, fuerat diffinitum, cur autem id ex professo recens stabiliretur, ignoratur causa. Secundum, data veritate constitutionis, ne Pontifex sibimet aduersetur, eius dictum esse explicandum, & ly semper virtualitèr, inchoatiuè, idealitèr, pronosticè, ly sine interruptione, & diuisione à tempore editæ Regulæ, paritèr, virtualitèr, idealitèr, in esse signato, non exercitè, formalitèr, & physicè accipiendum; Successores enim in suis Patribus seminalitèr continentur; & cum illis esse dicuntur filij virtualitèr, alij, mediatè, in esse ideali, & signato, alij formalitèr; series enim, & propago continuata per lineam rectam à descendentibus ab vno stipite, computat omnes filios ortos, etiam non immediatè ab ipso stipite, pro ipso stipite, sed vario modo, nam immediatè à se genitos, immediatos, primarios, primogenitos dicit, ab istis prodeuntes, mediatos, &

propriè

propriè nepotes; sic omnes homines dicuntur filij Adam, & Euæ, & Nepotes; sic Christus Dominus dicitur filius Adam, Abraham, & Dauid, cum tamen immediatè sit filius Virginis, & ità descendentes à suo stipite dependent ab eo, vt secundum legem naturæ id semper impediat inter illos Matrimonium, ait Scotus 4. d. 40. q. vn. §. de secundo. *In lege naturæ illa sola, vt dictum est in primo gradu* (scilicet cognatio carnalis) *in linea descendente* (impedit Matrimonium) *ex illo verbo Adæ: Relinquet homo Patrem, & Matrem quantum ad copulam Coniugalem, & non intelligitur tantum de Patre proximo, sed de quocumque in linea recta, ità quod si Adam hodie viueret, non posset ducere aliquam vxorem*, & non alia ratione, nisi quia omnes descendentes à stipite per lineam rectam computantur vt filij stipitis, quia vt habet proloquium philosophicum, quod est causa causæ, est etiam causa causati, licet ab eo immediatè non omnes pendeant, sed multi mediatè; ità in moralibus per locum à proportione, vel à simili, omnes descendentes, vel immediatè, vel mediatè ab vno Fundatore per rectam lineam, dicuntur stipitis filij, mediatè loquendo de remotis, & immediatè de à se institutis, cum hoc tamen, quod immediati filij dicuntur immediatè descendentes à stipite.

Ità euenit in casu nostro. Fundator inclytus, & ferax, Diuina fauente gratia, fuit, & est Diuus Franciscus magnus Pater, & Patriarcha, iuxtà illud suæ collectæ: *Deus qui Ecclesiam tuam Beati Francisci meritis fœtu noua prolis amplificas, &c.* & quidem arborem proceram suæ Familiæ anno 1210. plantauit, quæ in altum elata, multos germinauit ramos, vt initio, & in fronte huius tractatus ostendimus, duos autem edidit præcipuos suo tempore, à dextris Patres de Obseruantia, & à sinistris Patres Capuccinos, ramus, vterque, germen viride, viuax, fœcundum filijs, repleuit Orbem Terrarum, nunquam enim arbor ista effeta otio stertit. Arbor à Sanctissimo Patre in Ecclesiæ solo funditus radicata, quam nunquam eradicare valuerunt rigidissimi Aquilo, & Borea,

est Minoritica Sodalitas Conuentualium, ramus dexter sunt Patres Regularis Obseruantiæ, qui suo tempore, ab anno videlicet 1368. &c. emanauerunt ab eadem Arbore, vt suprà probatum est, ramus læuus, sunt Patres Capuccini, qui circitèr anno 1528. ex eadem Arbore geniti sunt, vt supra paritèr enarrauimus, tàm Arbor, quàm rami computantur filij Fundatoris, immediatè Arbor ab eo instituta est, mediatè rami, omnes sunt rectæ lineæ, & descendentes à Fundatore, & hac etiam de causa dicuntur sine diuisione, sine interruptione descendisse à Fundatore, quia prodeunt recta linea, non transuersali, Conuentuales enim geniti sunt immediatè à Sancto Patre Francisco, ab his Obseruantes, & Capuccini.

Ad formam igitur argumenti fit satis. Iulius Secundus, ait, Obseruantes esse veros, & indubitatos filios S. Francisci, immediatos, ac primogenitos, id non intelligit Pontifex asserere, esset enim contra ipsam veritatem, vt suprà probatum est, mediatos, per lineam tamen rectam deductam à Conuentualibus, id sapit dictum Iulij Secundi, & id veritas amplectitur: idem ad dicta Clem. VIII. adaptatur, sunt strictioris Obseruantiæ candidati, filij Sancti Patris Francisci, non primò primi, ac primogeniti, sed filij, quia à filijs immediatis tandem deducti, scilicet à Conuentualibus, per lineam rectam, non transuersalem, vnde hac de causa, nec noui dici debent Religiosi, sed antiqui: Quo ad literas Leonis *Ite*, & *Omnipotentis*, dicimus de hac materia nullum haberi sermonem in illis, nec deduci manifestè, vel implicitè, Obseruantes esse institutos à Sancto Francisco, imò oppositum planè habetur in Bulla *Ite*, vt in vltima probatione clarescit, non esse videlicet immediatè institutos, & mane genitos, nec hora tertia, sed sexta incompletè, & completè, ac plene hora vndecima, & cum in altera, *Omnipotentis*, asserat Pontifex, Superiores Obseruantium Vicarios, à primæua, ac fundamentali eorum institutione, vsque ad annum 1517. fuisse à Ministris Conuentualium confirmatos, nil aliud indicare vult, nisi Conuentuales esse primogenitos, & ab his processisse per verã originem

Obser-

Obſeruantes, id etiam inſinuare prætendit, dum Baſilicam fundamentalem totius Religionis Aſſiſienſem, in qua Religionis Inſtitutor requieſcit, Conuentualibus adiudicat, eiuſque poſſeſſionem priſcam illis confirmat: quaſi dicere velit: Vobis Conuentualibus huius Baſilicæ cura debetur, ac demandatur, ſicut hactenus patratum à vobis extitit, quia filij primogeniti eſtis tanti Patris, & vt tales in veſtram à die obitus eius, deuenit poſſeſſionem iure hæreditario, cum tunc nulli alij eſſent filij, nec ex conſequenti hæreditas diuidenda foret, aliàs ſi non fuiſſent primogeniti, ſed Obſeruantes, Sacram illam Baſilicam, àc Cœleſte pignus in ea ſeruatum, illis, vt de iure, iudicaſſet conſignandam. Ad auctoritatem ex conſtitutione licet aliàs &c. Obſeruantes nuncupantur veri, & indubitati Fratres, non tamen immediati, & ſemper eius Regulæ Obſeruatores ſine aliqua interruptione, ſeù diuiſione à tempore editæ Regulæ per B. Franciſcum, hoc intelligitur idealitèr, in eſſe ſignato, virtualitèr, exemplaritèr, inchoatiuè &c., non formalitèr, & exercitè, aliàs ſibimet contradictorius eſſet Pontifex, proptèr à ſe dicta in Bulla *Ite &c.* Tandem, quem ſenſum habeant, ac lætantèr deglutire valeant verba alterius conſtitutionis: *Quod Minores Obſeruantes teneant antiquum locum, quem Ordo Sancti Franciſci tenere conſueuit*, relegant Aduerſarij cap. 2. §. Sed nec dedignatus eſt, &c., & ſequentes.

Obijcies 2. Obſeruantes appellantur Reformatores, & reformati, at reformare eſt agere, & agere ſupponit eſſe, igitur antequam eſſent primi Reformatores, qui fuerunt Obſeruantes, erant ipſi Obſeruantes.

Reſpondeo hanc obiectionem iugulatam iacere in publica ſtrata ad dium, vt videri poteſt parum ſupra §. non parum aguntur, ideò dumtaxat deſideratur miſericors aliquis, qui vicibus Tobiæ fungatur, ac ſepeliat mortuam; ſed ictus iterum iterantur, Obſeruantes appellantur Reformatores, Obſeruantes de Corpore Obſeruantiæ negatur, nam probatum eſt primos Reformatores, qui Familiam inſtituerunt, & vt adoleret

leret, lactauerunt fuisse Conuentuales, Obseruantes, hoc est, qui erant zelum habentes in seruanda puritate Regulę conceditur, reformare est agere, vt sic, negatur, tale agere conceditur, agere supponit esse, fundamentale concedo, formale nego igitur &c., fuerunt Obseruantes, erant ipsi Obseruantes, hoc est de Famili, strictæ Obseruantiæ, Regularis Obseruantiæ negatur, Obseruantes, idest zelum nutrientes de seruanda inuiolatè Regula conceditur, hi autem erant Conuentuales, vt probatum est: præcedebant isti Obseruantes in Religione à multo tempore, antequam primus dies Familiæ illucesceret, sed non de Familia, quia nondum fuerat concepta, nec meditata. Obseruandum tamen est nullam adesse necessitatem Reformatorem alicuius societatis esse de illius corpore, vt diximus parum supra probat. 4. contra septimo, nam Pontifices solent Visitatores Apostolicos pro aliqua Religione reformanda destinare, vel Prælatos sæculares, vel Eminentissimos Cardinales, non assumptos è gremio illius sodalitatis, vndè absolutè loquendo falsum est dicere, Reformatores fuerunt reformati, sed dumtaxat in subiecta materia, & in sensu explicato; secundo, actionem, seù ipsum agere supponere quidem esse agentis fundamentale ad agendum, sicut omnis effectus suam causam, prioritas autem in causa sufficit si sit instantanea, & naturæ, vt docet Scotus 2. dist. p. q. 3 §. tenentes &c., vbi ait, quod causa non causat, nisi in quantum præcedit effectum natura, quod de causa libera docuerat in p. d. 39. sub E, & repetit 2. d. 5. q. 2. suprà C, & in 3. d. 18. q. vn. K, & alibi sæpè; vndè cum Refòrmatores per Aduersarios sint Agenres, eorum esse ad reformare supponitur materialitèr, & quantum ad necessitatem agendi, potest præire actionem reformationis dumtaxat natura, dato igitur, & non concesso, quod Reformatores essent Obseruantes in sensu Aduersariorum, non probatur eorum præcessio, nisi pro instanti naturæ, non autem ab initio Religionis ferè per duo sæcula, si loquamur de statu semipleno Patrum de Obseruantia, & per tria, & amplius, sæcula, si loquamur de statu pleno, & completo

pleto acquisito à Leone Decimo, quid autem acquirant per instans naturæ, viderint ipsi, scio nil capere posse.

Multò magis ex vsque modo dictis remanet explosa prætensio Patrum Capuccinorum de Primogenitura Franciscanæ Filiationis, quam cum nequeant sibi physicè vindicare Patres de Regulari Obseruantia, multò minùs expectare ipsi queunt adiudicandam ipsis, longè enim sunt tempore posteriores in approbatione Apostolica, & exierunt ab Obseruantibus mediatè, & immediatè à Conuentualibus, super quam posterioritatem, ac descendentiam, post Vrbani Octaui allatam parum suprà constitutionem, extat testimonium Sanctissimi Innocentij Vndecimi de verbo ad verbum in probatione quarta primæ conclusionis huius capitis adductum, vndè ne Vrbanus Octauus habeatur Paulo Quinto Antecessori, & Successori Innocentio Vndecimo, contradictorius, via trita, & secura ad omnes ambiguitates eliminandas, erit indicata distinctio pro Patribus de Obseruantia, videlicet Patres Capuccinos, esse veros, ac indubitatos Fratres Sancti Francisci, non immediatos, & primogenitos, sed mediatos, cum quo stat esse per rectam lineam, non interruptam, nec diuisam, quia non à transuersalibus geniti.

CAPVT

CAPVT SEPTIMVM.

Minores Regularis Obſeruantiæ fuiſſe Minoribus Conuentualibus Subditos, & eorum Vicarios à Generalibus Miniſtris Minorum Conuentualium confirmationes accepiſſe probatur.

HANC quoque veritatem obſcurare nituntur Aduerſarij, Patres Regularis Obſeruantiæ fuiſſe Subditos Conuentualibus, & Superiores Vicarios, à Miniſtris Conuentualium,electionis confirmationem accepiſſe, & cum nequeant ſubiectionem ſuam omninò abſcondere, videte quid meditati ſunt die, ac nocte, ne prælationem fateantur hanc maximam in Conuentualibus extitiſſe: aiunt confirmatores ſuos,Miniſtroſque ratam habentes electionem ſuorum Vicariorum, iuxtà Concilij Conſtantienſis, & Summorum Pontificum mandatum, fuiſſe Superiores Communitatis Ordinis, non Conuentualium, diuidentes Communitatem Ordinis à Conuentualibus,illam volentes ex Minoribus declinantibus à perfecta Regulę norma conflatam ex parte, ex parte non; Conuentuales verò, Minores aiunt, qui diſpenſatiua priuilegia à tempore Martini Quinti ſecuti, & amplexi ſunt; Communitatem Ordinis cum ſenecta vberi à priſcis ſalutant temporibus, Conuentuales adoleſcentes,ſine norma ſenectutis, & canitie, vix intuentur, ſe ipſos canos dicen-

dicentes ætate, ac bonis moribus, hæc fæpiùs memorata,& commemorata funt, manfa, ac remanfa, eiecta, & repulfata funt in capitibus fuperioribus, hìc tamquam ad lidium lapidem reuocantur, vt poftremam fubeant fententiam, rigorofo exacto examine. Sed prius audiamus quæsò Aduerfarios fuo genio loquentes: aiunt in antiquior. fol. 53. num. 8., & tom. 2. Orb. Seraph. lib. 6. cap. 16. fol. 239. §. à Superioritate verò. *Concedo itaque, Obferuantes, à fua feparationis exordio vltrò Prælatis de Communitate Ordinis obedientiam præftitiffe, tum quia ipfi pauci erant, tum quia in nullo adhuc difpenfatiuo fuper Regulam priuilegio relaxata, non dici non poterat effe vera Sancti Francifci Religio. Vbi verò Communitas Ordinis à Martino Quinto Pontifice priuilegia Regula mitigatiua obtinuit, dupliciter confiderari debet, primò quatenus pro maiori fui parte difpenfationibus adhærebat, quo fenfu ad effugiendum relaxationis periculum, ab ipfa voluerunt Obferuantes, auctoritate Apoftolica, feparari, fub proprijs Generalibus, & Prouincialibus Vicarijs cum plena iurifdictione conftitui. Secundò confideratur ipfa Communitas Ordinis, quatenus non vniuerfa priuilegijs difpenfatiuis inhæreret, imò, & integras Clarenorum, Coletanorum, & Amadeorum Congregationes in Regula puritate viuentes continebat; vndè, & Miniftrum Generalem totius Ordinis cum omnimoda præeminentia conferuabat. Hoc fenfu nunquam detrectarunt Obferuantes Miniftrum Generalem totius Ordinis de illa Communitate aßumptum cum determinata dependentia, recognofcere. At Conuentualibus, vt talibus formalitèr aliquando eos fubiectos extitiffe, nec qui illa dixit aufus eft afferere, aliàs, nec ipfe Franchinus aufus eft afferere.*

In hoc voluntario difcurfu, vt libet fatantur Aduerfarij, Communitatem, à Conuentualibus extorrem faciunt; Communitatem diuidunt, fecantque in duas partes, malam, & bonam, prima fequebatur priuilegia Martiniana, ac relaxationes, ab his fe abftinebat immunis altera, Regulæ puritati tota commiffa, hæc Congregationes Clarenorum, Coletanorum, & Amadeorum, (vt alibi) Obferuantium amplexabatur, illa

Minores

Minores relaxatos, ac priuilegiatos. Communitas recta Ministrum Generalem totius Ordinis, cum omnimoda præeminentia conseruabat, igitur eligebat, salutabat, reuerebatur, colebant, & illum Obseruantes: quid autem dicendum de altera parte Communitatis, vtique vitiosa, secundum Aduersarios, quia relaxationibus studens, quapropter ab illa segregari Obseruantes elegerunt, quia, *qui tetigerit picem inquinabitur ab ea*, Ecclesiastic. 13. 1., *& qui communicauerit superbo, induet superbiam*, ibidem, *& cum Sancto, Sanctus eris, & cum viro innocente, innocens eris, & cum electo, electus eris, & cum peruerso peruerteris*. Psalm. 17. 26. 27, dispersa fortassis ibat acephala sine vllo capite, vtique secundum Aduersarios, quia caput erat alterius partis, vt aiunt: hoc autem commentitium est sine vllo fundamento eructatum, quia vnicus Minister separatos, & non separatos, priuilegijs gaudentes, & non gaudentes, pleno, & independenti iure regebat, nec vllo vel minimo tempore viduitatem passa est Religio Minorum, vel binos salutauit veros, & legitimos Superiores Ministros Generales ante totalem separationem Leoninam, & quidem indiuisam, & interruptam seriem, ac lineam infractam in Ministris Generalibus, agnoscit cum cæteris Scriptoribus Ordinis, Pater Dominicus de Gubernatis to. p. Orb. Seraph. loc. citandis, paulò post.

Sed quam longè distent à vero Aduersarij quisque diudicare valebit ex lectura præhabita capitis primi, vbi demonstrauimus Communitatem Ordinis fuisse dumtaxat ex solis Conuentualibus, Congregationes omnes, ipsosque Obseruantes fuisse secatos ab eadem, & Ministros Generales Conuentuales, non Clarenos, non Amadeos, Coletanos, & Obseruantes, extitisse: Ex lectione autem capitis quarti memor erit beneuolus lector, Conuentuales non à Martino Quinto, primò primum priuilegia paupertatis rigorem lenientia accepisse, sed ferè per duo sæcula præeuntia; Non tam citò quoque Aduersarij obliuiscantur confessionis, post tot ambages, & circuitus negationum, editæ, de prima separatione Familiæ

liæ, secuta, quando Brullianum, oratore Principe Hugolino Trincio, à Generali Ministro Friniano, læti susceperunt incolendum Obseruantes; segregatio enim bis, nullo coactis tormento, acta est ab Obseruantibus, à Conuentualibus (non à Communitate), vt à relaxationibus, dixerunt, eorum fierent extorres, & potius, extorquentes sensum locutionis Rodericianæ, quod Obseruantes exierunt à Conuentualibus, maluerunt, sibi ipsis contradicendo, asserere exitum illum fuisse à Conuentualibus separationem, quam veram, ac realem natiuitatem à Conuentualitate. Hoc vnum scio, distinctionem Communitatis à Conuentualitate, & Communitatis partitionem in bonam, & malam, relaxatam, & non relaxatam, à nullo Scriptore, edictam fuisse. Auctores se produnt Aduersarij, fides ergo stet penes ipsos, illis tamen non credendum, labor primi capitis declarat.

Vacat etiam examinare illa verba. *Concedo itaque Obseruantes, à sua separationis exordio vltrò Prælatis de Communitate Ordinis obedientiam præstitisse, tum quia ipsi pauci erant,* (non est hæc ratio paritionis, sed quia votum obedientiæ illos perurgebat, & nondum Concilij, vel Pontificum auctoritate à Ministrorum subiectione liberi facti fuerant) *Tum quia illa nullo adhuc dispensatiuo super Regulam priuilegio relaxata, non dici non poterat esse vera Sancti Francisci Religio.* Planum est. Communitas non relaxata dispensatiuo priuilegio super Regulam erat vera Religio Sancti Francisci, & ob hanc causam illi libentissimè obsequebantur Obseruantes, igitur Communitas dispensationibus vtens, non fuit vera Religio Sancti Francisci per Regulam oppositorum, oppositis opposita conueniunt, in hoc autem à toto Cœlo errant, & iniuriam Pontificibus dispensantibus faciunt, quippè qui dispensando, non fiunt destructores, sed modificatores, & eorum dispensatio, non eatenus relaxatio nominatur, quod inobseruantiæ norma fiat, vti forsan prætendunt Aduersarij, dum relaxatam dicunt Communitatem à priuilegijs, & hac de causa ab illa separari voluisse Obseruantes, & contrà hoc assertum collyrium parauimus

uimus errore sexto, & iterum sequenti capite occulis lippientibus medebimur; vapulat igitur nimis ab Aduersariorum dictis Communitas Ordinis, quæ vna iugitèr extitit à primæua Religionis institutione ad vsque Leonis Decimi tempora 1517; tunc enim in duas secata partes, non amplius visa est in terris degere, nec superstes, & sospes commigrauit in sodalitatem Obseruantium, vti comminiscuntur Aduersarij locis citatis; hoc enim nomen nunquam sortiti sunt, nec Bullis Pontificum, nec auctoritatibus Scriptorum, nec à communi vsu loquentium, Obseruantiæ strictæ, Regularis, de Familia, Reformatorum nacti sunt nomina, suas sine lite retineant nomenclaturas, Communitatis nomen, vitam communem eodem modo viuentium, non singularem, vt aliàs diximus cap. primo, exprimit, à qua recesserunt Congregationes omnes, Conuentuales vita illa vniformi conuiuebant, & quia tunc habebant non conuiuentes Congregationes subditas, ideò etiam, inter alias causas, nomen Communitatis Ordinis tenebant, quando autem Congregationes omnes Leone Decimo mandante in tertium transierunt, idest, in Obseruantes, vel Conuentuales, tunc Communitatis nomen deletum est, superstitibus his duobus, Conuentualium, & Obseruantium.

Præhabitis his paucis, telam nostram ordiamur, diuidamus tempora à temporibus, diem à tenebris discretum, vt intueamur. Certum habeatis hoc vnum, iam probatum, & concessum: Patres Regularis Obseruantiæ primum caput non capitatum salutasse anno 1517., quando iubente Leone Decimo in Bullis Vnionis *Ite*, & *Omnipotentis*, vnus ex Reformatis, & primus, electus est in Ministrum Generalem Christophorus Numaius Foroliuiensis, inantea enim Vicarios coluere iubentes, non Ministros. Hos igitur Vicarios aliquando deputatos habuerunt à Ministris solis ex ipsorum beneuolentia, & condescendentia, à nullo coactis, & impulsis, ab anno 1368. vsus Vicariorum cœpit vigere in B. Paulucciio Vagnotio, alias Trincio, post ipsum, Ioannes Stronconius Eremicolas pascebat, & imperabat, & sic deinceps. Vuading.

tom.

tom. 5. ad annum 1415. num. 25. loquitur his verbis. *Id sua mansuetudine, & humilitate obtinuerant Paulucciu Fulginas, & Ioannes iste Successor, vt Ministri Generales, & Prouinciales, quidquid opus erat huic augendæ Congregationi, spontè concesserint, vt Congregationes, seu Comitia particularia celebrarent, Vicarium sibi eligerent, priuatis legibus regerentur, &c.* Anno verò 1415. in Concilio Constantiensi tres Gallicanæ Prouinciæ pro solis ipsis obtinuere Vicarios, hoc sæpius in Superioribus fatum est. Tandem ab Eugenio Quarto anno 1446. constitutione, *Vt Sacra Ordinis Minorum*. Vicarios pro vniuerso Ordine acceperunt, & possederunt usque ad annum 1517.; Eugenianos tamen, & Constantienses Vicarios à Ministris Ordinis habuerunt confirmandos in eorum electionibus: Hæc omnia in superiori capite probata sunt, & declarata, quæ hic sufficiat tetigisse persunctoriè, vt his in memoriam rehabitis, videamus an aliquod fluxerit tempus, quo Vicarij Obseruantes effugerint subordinationem à Ministris, non aio Communitatis, vt ipsi etiam fatentur, sed Minorum Conuentualium.

Dico igitur Vicarios priscos, qui à Ministris Ordinis fuerunt deputati ad curam, & tutelam pusionis, & ephebi Obseruantiæ, vel pusæ Familiæ, fuisse constitutos à Ministris Conuentualium, qui, & Ministri Ordinis, & Communitatis dicebantur. An autem huiusmodi Vicarij dicerentur Prouinciales dumtaxat, vel etiam Generales, cum sit lis de lana caprina, illam libentèr dimitto exagitandam Patribus de Obseruantia regulari: & quidem solummodo Prouinciales extitisse autumant auctor Chronol. Seraph., Marianus, Vlysipp. Vuading. citati, cum ijsdem concordante Patre Dominico de Gubernatis lib. 6. cap. 7. fol. 65. tom. 2. Orb. Seraph. *Licet enim, hæc de causa*, ait ibi, *Beatus Ioannes Stronconius, Sanctus Bernardinus, Beatus Nicolaus Vzanius præfati, vnà cum Beato Pauluccio Primicerio Commissarij Generales dici possint, quatenus à Ministris Generalibus instituti, Generalem quandam, vti diximus in suos respectiuè auctoritatem sibi commissam*

missam exercuerunt: quia tamen eatenùs plenam, & absolutam non habuerunt potestatem, qualem Successores; nimirum talem, ac tantam, qualem, & quantam habent Ministri Generales, visitandi, vocandi, citandi, admonendi, corrigendi, puniendi, Capitula conuocandi, Prælatos, & Officiales instituendi, puniendi, suspendendi, & amouendi, subrogandi, Commissarios, Visitatores, Reformatores destinandi, & demum omnia, & singula faciendi, & exercendi, quæ Generalis ipse facere potest, & exercere, ideò communitèr in catalogo Vicariorum Generalium non recensentur. Sed Vlyssipp. p. 3. Gonzaga p. p. Chronol., & Vuading. in Annal., ac Didacus de Lequele in Hierarch. Francisc. tom. 2.; illos tantum recensent, qui præfatam auctoritatem habuerunt. Vno autem ore, & calamo S. Bernardinum Senensem omnium primum constituunt, licet in institutionis anno discrepent: hæc de Gubernatis; qui, vt citauimus 2. probat. 2. conclus. cap. superiori. tom. p. fol. 300. reijcit etiam S. Bernardinum à veriori serie Vicariorum Generalium, quamuis ibidem fateatur amplissimam sibi commissam in Italia super vniuersam Familiam fuisse potestatem à Ministro Generali Gulielmo, ab Eugenio Quarto confirmatam, legitimamque, ac veriorem vult inceptam lineam Vicariorum à B. Ioanne de Capistrano citra Montes, & Ioanne Mamberti vltra Montes; & ambo instituti ab Antonio de Rusconibus Ministro Generali, literis patentibus, fuerunt.

Probatur primò conclusio, quia tunc vigebat Communitas Ordinis, quæ ex solis Conuentualibus constituebatur, vt cap. primo abundè probatum est ex professo, & sparsim in alijs capitibus, igitur, &c.

Probatur secundò: Quia tunc viuebant Conuentuales, hocque nomen Conuentualium inualuerat, non Familiæ, Obseruantium, Amadæorum, Coletanorum, &c. in Ordine, quare nec dici poterat Minister Generalis Obseruantium, vel Coletanorum, igitur solummodo Conuentualium, relegatur caput tertium.

Probatur tertiò: Quia soli Conuentuales primitus, primigenij,

migenij, immediate instituti fuerunt à S. Patre Francisco, qui nunquam defuerunt in tot, & tam altis tribulationibus, vt possint cum B. Paulo de se ipsis dicere: in profundo Maris fuimus, &c. & ab his omnibus eripuit nos Dominus, & sua infinita bonitate eripiet, si nos aliàs quassari proptèr peccata nostra, sibi arridebit, vt cap. 2. per totum, omnibus palpandum, proposuimus, & conuicimus igitur, &c.

Probatur quartò: Minores Conuentuales præsentes, illi qui tempore Leonis X., & qui initio Religionis solum triuerunt metijdem sunt, & identitatem specificam moralem seruant, qui superiores Ministros habuerunt, vt videre licet cap. 5., igitur cum Franciscana Sodalitas vnico Ministro legitimo ante Leonem Decimum dixerit Aue, Conuentuales habentes Ministrum Generalem, iste Ordinis Conuentualium Minister erat, & Religionis Franciscanæ, igitur ab hoc Ministro confirmabantur electi Obseruantium Vicarij, cum nullus alius suppetat in hoc officium se intrudens, igitur prisci Vicarij, &c.

Probatur quintò: Patres de Obseruantia de gremio Conuentualium, & de eorum femore originem traxerunt, vt in superiori capite, conclusione prima, ostendimus, & ab illis consequentèr, essentialitèr dependent, Conuentualium igitur fuit officium, Vicarios pro Familia nouitèr insurgente, deputare, & instituere.

Probatur sexto: Primus Minister, qui Familiam instituere concessit fundandam in loco horroris, & vastæ solitudinis Brulliani, fuit Thomas de Friniano, qui anno 1368. Ordinem regebat, vt sæpissimè, ipsismet Aduersarijs fatentibus, recensuimus; Frinianus autem Minister Generalis Conuentualium fuit, igitur prisci Vicarij à Ministris Conuentualibus deputationem acceperunt, & auctoritatem in Fratres de Familia, Minor probatur, quia, & tunc soli erant Conuentuales, vt dictum est, & quia posteriores Ministri, à quibus non variatur linea deducta à Friniano, & Frinianus ipse cum illis illibatam seruat eandem, fuerunt Conuentuales, vt manife-

ſtabitur poſt pauca, & videri poteſt in p. cap. §. illi Minores igitur &c.

Probatur ſeptimo: Quia Miniſter Generalis, qui ſanctæ Mariæ Angelorum ædiculam conceſſit Patribus de Obſeruantia vnà ſimul cum Patribus Prouinciæ S. Franciſci, & maximè his, qui incolebant ſacrum Aſſiſienſe Cœnobium, fuit Conuentualis, & hic quoque Commiſſarios ſuos deſtinauit pro Familia, illamque beneficijs locupletauit, & quidem maiori qua potuit liberalitate, quod patet ex prædicta conceſſione, igitur &c. antecedens ſic oſtenditur, quia in prælibata conceſſione, vt narrat Vuadingus relatus in ſuperiori capite, probatione tertia primæ concluſionis, referuauit Miniſter eleemoſinas oblatas à fidelibus eidem ædiculæ, Patribus habitantibus in præfato Conuentu Aſſiſienſi, quæ tribuebantur quotannis, & mos iſte ſeruatus eſt vſque ad annum 1644. tempore Vrbani Octaui, qui aliter, vt inferius etiam dicemus, diſpoſuit, ſed eleemoſinæ prænarratæ Conuentualibus vſque ad annum 1644. ad præſcriptum reſeruationis, & literarum diuerſorum Pontificum, vt ad calcem operis dicetur, fuerunt iugitèr conſignatæ, nec enim alienigenæ, vel exteri à Minoribus Conuentualibus illi ſacroſanctæ Baſilicæ obſequium, ac ſeruitutem exhibuerunt, nec eſt, qui poſſit incolatum in illo ſacro habitaculo ſe degiſſe, recenſere, niſi fuerit Conuentualis, igitur Miniſter Generalis, qui præcipuè dominabatur Aſſiſienſi Monaſterio, & illud inhabitantibus Fratribus, fuit Conuentualis, & idem dicendum de ſubſequentibus.

Probatur octauo: Quia Miniſtri Generales, qui primos Vicarios pro Familia elegerunt, & ad illam regendam, fouendam, enutriendam, ac cuſtodiendam deſtinarunt, fuerunt illius inſtituti, à quibus ſegregati ſunt, vt loquamur ad placitum Aduerſariorum, & ſeparati, Patres qui erexerunt in Domo B. Franciſci Familiam Obſeruantium, ſed Conuentuales erant, à quibus ſteterunt à longè, vt probatum eſt ſuperius ex verbis ipſorum Aduerſariorum cap. ſuperiori §. in hac reſponſione, & §. probatur modo primo, igitur Miniſtri

Genera-

Generales, qui exhibuerunt Vicarios priscos, ac primos Patribus Obseruantibus pusionibus, & ephebis, extiterunt Conuentuales.

Dico 2. Ministros instituentes Vicarios pro Patribus de Familia exegea, vel exepheba, fuisse paritèr ex Minoribus Conuentualibus, non ex simplici Communitate, vt libet Aduersarijs.

Probatur primò, quia hoc tempus potest computari ab anno 1415. quando Patres de Regulari, vel stricta Obseruantia inceperunt gaudere Vicarijs, auctoritate Concilij Constantiensis, saltem pro Prouincijs Gallicanis tribus, Turonia, Francia, & Burgundia vsque ad Eugenium Quartum, in hoc autem temporis interuallo Ordinem moderari sunt inter alios Antonius de Massa, Gulielmus de Casali, & Antonius Rusconius, qui fuerunt Conuentuales, igitur &c. probatur minor, siquidem; de Antonio de Massa hæc scribebat auctor Chronol. Seraph. folio 90. *Trigesimum quintum Generale Capitulũ Assisij 1424. In generali Capitulo Assisij celebrato anno 1424. Generalis Minister electus est Frater Antonius de Massa, qui Schismate ablato, & in Concilio Constantiensi praeunita Ecclesia, sub Martino Quinto, creatus fuit, multumque relaxatus, Ordinem relaxauit; & bonis Fratribus sui status Obseruatoribus, & Zelatoribus, contrarius fuit, & sub eo diuisio Ordinis inchoata fuit, & decretum Constantiense procuratum* (in hoc error irrepsit quia anno 1415. iam fuerat editum decretum pro Gallicanis Prouincijs à Synodo Constantiensi, & patrata aliqualis diuisio in Ordine, vt sæpius dictum est) *qui tandem Assisij fuit generalatu priuatus honesto modo; quia nimis Ordo sub eo relaxabatur, & priuatione Generalatus, fuit ad Episcopatum Massanum translatus*; (durum videtur honori adiudicatum, fuisse eum, qui oneri mulctæ subijciendus erat, si fuisset delinquens; nec priuatus potest dici, qui expleuerat, sex annos officij, sicut multi alij.) *Quamobrem sua professionis verè Zelatores, & Obseruantiæ Regularis amatores, cœperunt à Conuentualibus, & cura Ministrorum recedere*. Si Antonius de Massa erat

relaxatus, non erat de corpore Zelantium, sed Conuentualium, à quibus, vt à relaxatis, ex dictis Patrum de Regulari Obseruantia recedebant ipsimet Obseruantes: idem omninò denuò testatur de Gubernatis tom. 3. Orb. Seraph. fol. 82. sect. 2. cap. 78. cuius verba rescripsimus cap. p. §. pro Coronide, vbi etiam Gulielmum de Casali Conuentualem fuisse fatetur, & de eodem tomo p. fol. 184. num. 17. dixerat: *Grauia negotia sibi à Pontifice commissa in Etruria peracturus, incidit Senis in grauem morbum, vbi proptèr tot, quæ recurrebant expeditiones Familiæ nouæ Regularis Obseruantiæ, multiplici incremento per omnes Prouincias se diffundentis &c. statuit eis alium præficere, qui suas vices summa obiret potestate. Nouit rem gratam Pontifici se facturum, cui cogitationem hanc instillauerat Ioannes Capistranensis, dicens nullo modo Obseruantiam Regularem in recenti hac Familia stabiliendam, nisi inciperet à Capite, & haberent huius vitæ sectatores, qui præirent exemplo: Sub Mensem itaque Iulium vocatum ad se Bernardinum Senensem, Religioni gratum, vniuersis venerandum, Vicarium, & Commissarium instituit super omnes Regularis Obseruantiæ professores in Prouincijs Italiæ*, & folio 300. cap. 19. eiusdem tomi num. 3. *Talibus, ait, itaque doctrinis operante Capistrano, S. Bernardinum primum habuerunt cum potestatis plenitudine Vicarium anno* 1438. *à Gulielmo Generali constitutum, & Apostolico diplomate confirmatum; deindè anno* 1443. *Antonius de Rusconibus in Generalem Ministrum electus, statim rigoroso Pontificis præcepto* (non hoc tunc præcepit Pontifex, sed approbauit, vt diximus aliàs), *B. Ioannem de Capistrano in Cismontanis, & Ioannem Mamberti pro Vltramontanis deputauit in Obseruantia Vicarios Generales, quos Eugenius Pontificia auctoritate confirmauit*: cuius autem fuerit instituti, & cui sodalitati nomen dederit, quosque præiret Minores Rusconius, edisserit idem auctor eodem anno lib. 3. §. 33. fol. 185. num. 3. *Anno*, inquit, 1446. *apud Montem Pesulanum Conuentualium suorum generalia Comitia celebrauit, à quibus in Italiam regressus &c.* ibi nu. 4. *Florentiæ iterum expleto secundo trien-*

nio

nio Conuentualium suorum congregauit Synodum generalem, in qua de Obseruantibus iterum sibi subijciendis validè, sed frustra pertractatum est, & fol. 373. num. 18. *Similitèr*, ait, *nihil dicendum de Florentinis (Comitijs) ab eodem (* scilicet Antonio de Rusconibus, de quo ibi sermo) *Generali indictis, prater, quod Obseruantes à cateris comitiorum gestis abstinentes, soli supplicationi publica, seù processioni Conuentualium interfuerunt*; igitur Massanensis, Calalensis, & Rusconius, qui delegerunt, & ordinauerunt Vicarios pro Familia, cum fuerint Conuentuales, ab his dominati sunt Regularis Obseruantiæ alumni.

Probatur secundò. Generales pro lactante Familia probatum est fuisse Conuentuales, probabimus fuisse paritèr Conuentuales in eius virili ætate, igitur, & in adolescentia conuincitur fuisse Conuentuales, non enim Ordo variatus est, nec series Ministrorum ab exteris accepti fuerunt. Tandem id euidens nimis faciunt Pontificum auctoritates Eugenij IV, Nicolai Quinti, Calixti Tertij, Pij Secundi, ac Leonis Decimi, relatæ in cap. primum in probatione prima primæ conclusionis, quas pro subijcienda conclusione iterum rescribemus; Tum quia rationes pro prima conclusione huius capitis id euincunt.

Dico 3. Ministros confirmantes Vicarios Generales Patrum de Obseruantia in virili ætate constitutos fuisse semper Conuentuales, & præcisè sub hoc nomine Conuentualium acceptos, non Communitatis, vel Ordinis; accipienda est, autem secundum nostram mensuram virilitas Obseruantium ab anno 1446., vel circitèr, quando Eugenius Quartus approbauit electionem patratam a Ministro Generali Rusconio duorum Vicariorum, B. Ioannis de Capistrano pro Familia Cismontana, & Ioannis Vmberti pro Vltramontana, ab istis enim Pater de Gubernatis, aliàs citatus, enumerare incipit, *veriorem*, inquit, *seriem Vicariorum suorum*, & vsque ad postremas, vtraque series viginti septem Vicarios sibi ascišcit, vsque ad electionem primi Ministri Generalis de Obseruantia

Christophori Numaij anno 1517. ordinatam à Leone Decimo, relegatur fol. 300. cap. 19. tom. p. Orb. Seraph. numer. 5., vbi per extensum dat nomina huiusmodi Vicariorum.

Probatur primò, Assignando secundum tempora Ministrorum, eorum infractam lineam ad nutum, imò manifestam Aduersariorum confessionem repetitam. Etenim primus huius virilitatis Minister fuit Rusconius, qui, vt asserit de Gubernatis allatus in secunda probatione conclusionis, Conuentualis fuit, & primos veriores Vicarios pro tota Familia Cismontana, & Vltramontana nominauit, deputauit, & plena auctoritate constituit.

Secundus post Rusconium, qui fuerat electus anno 1443. Patauij, fuit Frater Angelus Serpetrus Romæ in Cœnobio Araçeli anno 1450. ad Generalatus officium euectus, de hoc Ministro idem de Gubernatis tom. p. cit. lib. 3. 3. §. 34. num. 4. narrat: *Anno ab hinc tertio congregatis Perusij ad generalem Synodum suis Conuentualibus, de reducendis intrà se ipsos Obseruantibus principalitèr, & toto studio fuit pertractatum*.

Tertius, Serpetro suffectus est Frater Iacobus Bosalinus, de quo ibidem de Gubernatis §. 35. fol. 188. num 3., *Bononiam itaque anno 1454. conuocauit suorum Conuentualium generalia Comitia*, & in his narrat vniuersis suffragijs in Ministrum Generalem fuisse assumptum, antea enim fuerat à Nicolao V. in Vicarium Generalem deputatus.

Quartus, post Bosalinum enumeratur Frater Iacobus de Sarzuela, cui idem auctor cit. fert testimonium electionis, & professionis, ibidem § 36. fol. 190. numer. 2. *Cum ergo*, inquit, *Fratribus innotesceret, gratissimum fore Pontifici, si Sarzuelanum ad Ordinis gubernium assumi contingeret, Romæ ad Aram Cęli congregati sunt, tum de Ordinis Communitate, tum de Obseruantia iuxtà Calixtinæ Bullæ tenorem vniuersi vocales*, & post pauca. *Putauerunt Obseruantes se iuxtà tenorem Bullæ Calixtinæ conuocandos ad suffragia ferenda, sed in ipso electionis limine, lecto per Rodericum Cardinalem breui Pontificio, significatum est, quibusdam de causis placuisse Sanctissimo Domino*, vt

vt pro illa vice suffragia non ferrent in Ministri Generalis electione, sed separatim vnaquaque Obseruantia Familia suos procrearet Vicarios. Errauit prorsus Marcus, dicens Obseruantes in hac electione fuisse suffragatos. His è Conclaui esclusis, omnium suffragijs Sarzuela creatus est Generalis Minister, anno 1457., & tol. 374. rescribit. *In Capitulo Generali Romæ celebrato* 1458. (annum excessit ab eo quod dixerat) 19. *Maij in Conuentu Ara Cœli de mandato Calixti Tertij Obseruantes speciali breui Apostolico, ab electione exclusi sunt, & Conuentualium omnium votis Iacobus de Sarzuela creatus est Generalis Minister*; in his, vt apparet, Conuentuales confundit cum Ordinis Communitate. *Romæ*, ait, *ad Aram Cœli congregati sunt, tum de Ordinis Communitate, tum de Obseruantia iuxtà Calixtina Bullæ tenorem vniuersi vocales* post, vocales eligentes solos fuisse Conuentuales affirmat, igitur &c.

Quintus, qui successit Bosalino, fuit Frater Franciscus à Ruuere (postea Sixtus Quartus Summus Pontifex renunciatus) vt tom. p. cit. § 37. fol. 192. num. 4. scribit. *De Francisco à Ruuere Ministro Generali Perusij electo anno* 1464 *num.* 6. *celebratis anno* 1467. *Florentiæ fuerum Conuentualium Comitijs, multisque salubritèr ordinatis, summo omnium consensu, & Ciuium applausu confirmatus fuit in officio*, & hunc fuisse Conuentualem concedunt alibi, vt aliàs diximus, Aduersarij tom. 2. Orb. Seraph. lib. 6. cap. 16. §. 4. fol. 244. §. vltrò itaque concedo, & sequenti quin, & hodie, & fol. 553. lib. 9. cap. 9. num. 154. vbi de Conuentualibus agit. *Duos etiam de suis videlicet celebratissimos illos Sixtum Quartum, & Sixtum Quintum in Apostolica Petri Cathedra Christiani Orbis exultatione viderunt adoratos*. Duos quidem nomine Sixtos, nam, & Alexandrum Quintum, & Nicolaum Quartum paritèr adoratos de suis viderunt, prætèr Visdominum vnius diei Pontificem, alij enim tres enumerati à Scriptoribus fuerunt ex deuotione Minores, & Iulius Secundus Nouitius, & in antiquior. fol. 61. num. 107., & 108. habent enim: *Do itaque manus: Sixtum Quartum inter Conuentuales, vel in Ordinis Communitate*

nitate, (itaque sunt vnum, & idem Communitas, & Conuentualitas) *fuisse receptum*, *Professum*, *Magistrum*, *Regentem*, *atque Ministrum Generalem*, & loquitur de Sixto IV.

Sextus, Venetijs anno 1469. ad Generalatum vocatus extitit Frater Ioannes Zanettus Vtinensis, de quo recenset de Gubernatis tom. p. cit. fol. 193. § 38. num. 2. *Anno 1472. Conuentuales suos ad Ferrariam ad Comitia conuocauit, vt ex Regulæ præcepto Ordinis sui negotia pertractaret.*

Septimus, additur Frater Franciscus Nanius Sampson Vrbini electus 1475., de quo loco cit. fol. 193 §. 39. num. 1. fine habetur. *Obseruantium Familiam suis legibus permisit, ac nullo tempore voluit turbari, quod dum alij obycerent, inuidiam, & odium declinans, iocosè respondebat; vt quid me pediculosis Fraterculis immisceam? neque est cur vos tanti illos faciatis, vt misellos amplius contristetis:* ibi num. 2. fol. 194. *Generalia suorum Conuentualium Comitia opportunis temporibus, & illæsa semper cum Obseruantibus pace, celebrauit.*

Octauus, adnumeratur Egidius Delphinus electus Interamne anno 1500., de quo memoratus auctor fol. 196. num. 9. tom. p. narrat. *Indignati Conuentuales se à Ministro Generali ex se ipsis assumpto ità contemptibilitèr haberi, &c.* post: *Obseruantini insuper ferre non poterant se tot Pontificum, Conciliorumque Generalium decretis munitos, & fauoribus vbique multiplicatos, magno disciplinæ decremento, ad consortium Conuentualium, à quibus, restituendæ Regularis Obseruantiæ titulo, recesserant, artificiosè, sub specioso titulo Vnionis reduci.*

Nonus, fuit Frater Raynaldus Gratianus de Cotignola, de quo testatur idem scriptor fol. 197. §. 41. num. 1. *Communibus Conuentualium suffragijs electus est Minister Generalis in illo generalissimo Aracælitano consessu Frater Raynaldus Gratianus è Cotignola Romandiola Oppido* 1508., & fol. 198. num. 2. *Cum verò malè haberet* (loquitur de eodem Raynaldo) *multos Ministros, præsertim Bonifacium de Cena Prouinciæ Franciæ Ministrum, quod illæ Congregationes Amadæorum, Clarenorum, Coletanorum, aliaque magis adhærerent Familiæ Obser-*

Obſeruantium, quam ſuo inſtituto Conuentualium, inito cum Miniſtro Generali conſilio, impetrarunt literas Pontificias, quibus multa in fauorem Conuentualium, & præiudicium Obſeruantium continebantur.

Decimum locum tenet Frater Philippus Bagnacaballenſis, de quo ibidem § 42. *Romæ ad Sanctos Apoſtolos electus eſt Miniſter Generalis Philippus Porcatius, Egidij Delphini Socius, anno 1510. &c.*

Vndecimus, & poſtremus Miniſter Generalis confirmans Vicarios Obſeruantinos, extitit Frater Bernardinus Prato de Cherio, de quo loco cit. idem auctor fol. 199. ſcribit. *Electus Aſſiſij 1513. annis tribus Ordinem ſumma rexit prudentia: anno 1516. die 11. Maij ſuorum Conuentualium Capitulum generale indixit in Patria, in nobili, (*ait Vuadingus*), & affluentiſſimo Lombardiæ Ciſpadanæ, Oppido Cherij.*

Legendus eſt etiam idem Pater de Gubernatis eodem to. lib. 3. à folio 373., & ſequentibus, vbi dicta repetit, & item tom. 3. Orb. Seraph. p. p. ſect. 2. incipiendo à Generali Mozaniga ab anno 1454. vſque ad annum 1513., vbi definit in hæc verba. *Aſſiſij Patres Conuentuales anno 1513. (*vt probat Vuadingus*) ſub Gomeſio Luſitano Vicario Generali, Capitulum Generale habuerunt, in quo Frater Bernardinus Pratus de Cherio, vir morum honeſtate præclarus, creatus eſt Ordinis Primicerius, vltimus è Conuentualibus.* Si vltimus è Conuentualibus, reliqui omnes, qui illum præierant, fuerant Conuentuales, Vicarios Obſeruantinos confirmantes, igitur ex ipſorum Aduerſariorum teſtimonio iudicandum venit an Vicarij Obſeruantium, quos negare nequeunt fuiſſe vſque ad Leonem X., & tot quot fuerunt confirmati à Miniſtris Ordinis, acceperint à Miniſtris puræ Communitatis confirmationem, an verò à Miniſtris Conuentualibus. Sed vt tollatur omnis ſcrupulus, abigatur omnis hæſitatio, & deſtruatur omnis occaſio aereæ locutionis.

Probatur vltimò, concluſio auctoritatibus Pij Secundi, & Leonis Decimi adductis in primo capite §. Illi Minores, in

quibus

quibus apparet manifesta testificatio confirmationis factæ Vicariorum Obseruantinorum à Ministris Generalibus Conuentualium, & decretum Concilij Constantiensis, ordinationem Eugenij Quarti, Calixti Tertij, & Nicolai Quinti fuisse inter Obseruantes, & Conuentuales, & quia auctoritas Leonis admodum sapit, iterum placet illam insuflare in Aduersariorum aures, ait Pontifex in constitutione *Omnipotentis Dei, &c. Aliqua per eosdem Ministrum, & Magistrum, aliosque ipsius Ordinis Professores, firmitèr, & inuiolabilitèr obseruanda, motu proprio, & ex certa nostra scientia, ac matura cum eisdem Cardinalibus, Præsidentibus deliberatione præhabita, duximus statuenda, videlicet, quod præfati Antonij Magistri Generalis Fratrum Conuentualium Successores, ab eisdem Fratribus Conuentualibus, pro tempore electi, confirmationem ab eodem Ministro Generali, & Successoribus suis Ministris Generalibus totius Ordinis, quemadmodum Vicarij Generales, tunc de Familia nuncupati, petere tenebantur*, & post. *Quodque in singulis Prouincijs, deputati ad regimen Fratrum Conuentualium, de cætero Magistri Prouinciales Fratrum Conuentualium, cum suis sigillis, vocari, & à Ministris Prouincialibus Regularis Obseruantiæ, in Prouincijs iuxtà morem dicti Ordinis respectiuè pro tempore existentibus, confirmationem electionum, de eis pro tempore factarum, eo modo, quo Vicarij Prouinciales, olim de Familia nuncupati à tunc Ministris Prouinciarum Fratrum Conuentualium. petere tenebantur, etiam petere teneantur. Quodque tam Generalis, & Prouinciales Ministri præfati, tam ante, quam post Generalis, & aliorum Magistrorum confirmationem huiusmodi, tam Generali, & Prouincialibus, quam alijs Fratribus Conuentualibus huiusmodi, & eorum, ac aliorum Tertij Ordinis Fratrum, & Sororum nuncupatorum, qui eatenus sub Ministro Generali Conuentualium fuerant, regimine nullatenus se intromittere, aut eos, per se, vel suos Commissarios, visitare, seù corrigere possint, nec aliquam iurisdictionem seù superioritatem, in ipsos exercere valeant, præterquam cum ipsum Generalem Ministrum, pro tempore existentem, ad ipsorum Fratrum Conuentualium domos,*

domos, & loca declinare contingerit, quo casu ipse Minister eosdem Fratres Conuentuales paternè visitare, ipsique Fratres Conuentuales eundem Ministrum generalem, tanquam totius dicti Ordinis Superiorem, omni cum caritate, & dilectione recipere debeant, dummodo idem Minister Generalis, nunc, & pro tempore existens, nihil iudicialitèr circa ipsos Fratres Conuentuales, ac domos eorum, ac loca, & etiam Monasteria Monialium sub eorum cura degentium, exerceat, nisi eo modo, quo Minister Generalis tunc Fratrum Conuentualium super Fratres de Familia, & eorum domos, & loca, & Monasteria Monialium, tempore conuocationis dicti Capituli Generalissimi, exercebat, exercere possit. Hæc, & nihilominùs ad rem nostram locutus est Pontifex, & quamuis in Conuentuales ediderit rugitus, quibus, illos exterrens, percussit, auferens ab eis potestatem, qua potiebantur in Obseruantes, illamque in uerso Ordine, istis tribuens, in Conuentuales; tamen tum illos viuere, ac sospites deinceps voluit esse, & qua fuerint, & in quos potestate donati, manifestè aperuit. Ait ergo Obseruantes vsque ad illud tempus obstrictos hac lege fuisse, vt suorum Vicariorum Generalium exposcere, & expectare tenerentur à Ministris Generalibus Conuentualium confirmationem electionis, ità paritèr Vicarios Prouinciales à Ministris Prouincialibus Conuentualium in vnaquaque respectiuè Prouincia, non ait à Ministris Communitatis, sed expressissimè Conuentualibus: subdit, Ministros Generales Conuentualium ad illud vsque tempus, anni videlicet 1517., diuertentes ad domos, loca, & Monasteria Monialium Obseruantium, exercuisse in ipsos potestatem visitandi &c., quam sublatam à Ministris Conuentualibus, viceuersa supparem dixit posse eandem, non excedentem, exercere, eadem de causa diuertendi ad domos, & loca, ac Monasteria Monialium Conuentualium, in Conuentuales Ministrum Generalem Obseruantium, igitur, quod à Sede Apostolica dictatum est, tenendum est, iudicandum est, propugnandum est, non reiciendum, negandum, & oppugnandum.

Hanc

Hanc auctoritatem Conuentualium Ministrorum, Conuentualium verè propriam, ac naturalem descendentem à naturali origine (quam habuerunt Obseruantes ab eisdem) & ideò, vt aliàs diximus capite superiori, à Pontificibus non ablatam, licet limitatam, agnoscit etiam Leo exercitam fuisse, non fuisse duntaxat idealem, & in esse signato, vel legalem, & voluntariam, vt postea extitit in Ministris Obseruantium, & ideò nulla vice illam deduxerunt ad praxim; & quia absolutè Pontifex docet Vicarios fuisse confirmatos à Ministris Conuentualibus, nec limitat tempus, & tempora, nec lustra huius exercitij, ratio suadet id intelligendum à tempore decreti Constantiensis Synodus, & vniuersalitèr, pro tota Sodalitate Obseruantina, à constitutionibus Eugenianis; siquidem illa dispositio de Vicarijs confirmandis aliquibus in Prouincijs, exijt à Concilio Constantiensi, & fuit completa pro toto Ordine ab Eugenio Quarto, cum igitur Leo de hac loquatur, dirigit sermonem ad illius initium, non ad finem solum, vel ad medium, Pontificia igitur locutio tractans de hac dispositiua ordinatione ad initium, medium, & finem referenda venit, si velimus fundatè loqui, ex quo etiam sumitur, vt à loco ab auctoritate, ratio probandi à Concilio Constantiensi, nomine Communitatis, intellectos Conuentuales fuisse, siquidem eadem est dispositio Eugeniana, vel similis, ac Constantiensis, quæ in ijsdem Ministris deducta est vsque ad Leonem, Leo autem hanc exercitam fuisse testatur à Conuentualibus, igitur Conuentuales etiam erant Ministri in Ordine, ad quos cecidit Constantiensis dispositio, quod cum negent Aduersarij, nodum soluere, si queunt, tenentur, sed videant, ne quærant nodum in scirpo, dum à nodo se liberare voluerint.

Quæ possent contrà has conclusiones vrgere Aduersarij, soluta sunt in superioribus suis locis, & ideò ne actum peragamus, properemus ad alia.

CAPVT

CAPVT OCTAVVM.

Regulam, quam profitentur Minores Conuentuales eandem esse essentialiter ostenditur, cum illa, quam profitentur Minores Regularis Obseruantiæ, & S. Pater Franciscus ordinauit.

OMNEM lapidem mouerunt Aduersarij, vt Minores Conuentuales expertes facerent Minoritici instituti. Non mentior, etenim si Conuentuales vouent Regulam à Pontificibus mitigatam, & hac de causa in essentia, & quidditate omninò discrepantem ab illa, quam seruandam tradidit Sanctus Pater Franciscus, & iurant se toto vitæ suæ tempore Patres de Obseruantia veneraturos, quis propugnare audebit Conuentuales institutum sequi Sancti Patriarchæ Francisci? si cingulum exuerunt eius militiæ, quomodo sub eius vexillo militabunt? quis eos dignoscet à tanto Patre genitos si tesseram filiorum eius abijecerunt? hùc igitur diuersitas ista essentialis dirigitur, hùc labor eorum tendit; non enim patiuntur Conuentuales habere consortes in Minoritico viridario, tantum abest, quod fateri defendant se ab ijsdem genitos. Non absurdiorem Aduersarijs adscribo sententiam, ab ea, quam ipsimet sibi ipsis imponunt, auctores sunt huius dicacitatis, non ante hac ab vllo meditatæ, hìc seruare nequeo subtilium Principis iugitèr tenendum

rendum Catholicum, Religiosum, ac Minoriticum consilium, documentum, verius naturale mandatum. *De intentione*, inquit p. d. 8. q. 5. d., *istorum Philosophorum Aristotelis, & Auicenna nescio, sed nolo eis imponere absurdiora, quam ipsi dicant, vel quod ex dictis eorum necessario sequatur, & ex dictis eorum volo rationabiliorem intellectum accipere, quem possum*; siquidem nimis se produnt, & verba ipsa sunt notæ manifestæ animi conceptus; conceptum sermonem tenere non potuerunt, & ideò his præcisè verbis locuti sunt. *Regula Minorum in suo rigore non modificata diuersa est à Regula Minorum priuilegijs Apostolicis mitigata*, (& ne patiantur eorum verba vllam declarationem, & interpretationem de accidentali discrimine, protestationem hanc emiserunt.) *Nec tamen velim, accipias hic modum in rigore philosophico, qui, scilicet non variat rem cuius est modus, sed in sensu morali diminuente, priuilegia namque mitigatiua per qua modificata est Regula Minorum, eius de substantia diminuunt, dum infringunt paupertatem in communi*, (*vt catera interim ommittam*), *cuius prarogatiua prae omnibus Ecclesia Catholica Religionibus singularis euadit*; (vt verò quo sensu animus eorum, & mens exuberet agnoscamus, perhibent iterum testimonium, superaddendo dicta dictis, hoc ephiphonemate sermonem terminantes,) *vndè Regula modificata, & non modificata substantialitèr differunt*: hæc locutos de verbo ad verbum, attentè, candidissime Lector, Aduersarios, tuis met oculis videre poteris in antiquior. ad beneuolum Lectorem in calce, & tom. 2. Orb. Seraph. lib. 6. cap. 16. fol. 206., & iterum in antiquior. fol. 102. numer. 171., & fol. 265. tom. 2. cit. §. concedo itidem, vbi refricando dictorum suorum memoriam, scribunt: *Repugnantia namque ad possidendum in communi, & in particulari non est simplex gradus, sed species essentialitèr diuersa à repugnantia ad possidendum in particulari tantum; vndè falsum est in Minorita sic dispensato conseruari paupertatis virtutem in gradu statui Minoritico substantialem, nempè carentiam dominij, quia paupertas Minoritica essentialitèr escludit dominium in particulari, & in communi*.

His

His autem postremis verbis aperiunt Aduersarij motiuum, à quo acti sunt sustinere modificationem Regulæ Franciscanę, illam essentialitèr, intrinsecè, ac substantialitèr deijcere à suo esse, destruere quidditatiuè, ac substantialitèr immutare; est autem, vt aiunt ibi, & alibi, vt dicemus capite subsequenti, quia Regula Minorum intrinsecam repugnantiam habet dominij, tum in particulari, cum in communi, cum autem modificatio det facultatem, indulgeatque possessionem bonorum in communi, hinc est, quod destruat rationem eius formalem; Hanc repugnantiam nullam esse, imò repugnantem in sequenti capite demonstrabimus, hic autem, modificationem non parturire diuersitatem essentialem à re immodificata aperiemus.

Aliàs autem errore sexto, & capite quinto diuersitas hæc essentialis reiecta fuit, satis, vt reor ad veritatem vindicandam; relegatur, si libet cap. 5. §. Conantur Aduersarij, & sequentes; hic alia suppeditabimus non leuis momenti.

Diuus Thomas, Angelicus Doctor 2. 2. q. 188. art. 7. quærit vtrum habere aliquid in communi diminuat perfectionem Religionis, & respondendo ad quæstionem, ait, *Respondeo dicendum, quod sicut suprà dictum est, perfectio non consistit essentialitèr in paupertate, sed in Christi sequela, secundum illud Hieronymi super Matthaum, quia non sufficit tantum relinquere, inngit Petrus, quod perfectum est, secuti sumus Te, paupertas autem est sicut instrumentum, vel exercitium perueniendi ad perfectionem*, & post multa in fine resolutionis concludit. *Ex quo patet quod conseruare pecuniam, aut quascunque alias res communes ad sustentationem Religiosorum Congregationis eiusdem, vel quorumcumque aliorum pauperum, est perfectioni conforme, quam Christus docuit suo exemplo, sed etiam Discipuli post resurrectionem, à quibus omnis Religio sumpsit originem, pretia prædiorum conseruabant, & distruebant illis, prout cuique opus erat*, & ad primum soluendo argumentum, inquit: *Ad primum ergo dicendum, quod sicut dictum est ex illo verbo Domini* (quod erat ex D. Matt. 19. *Si vis perfectus esse, vade*,

& vende omnia quæ habes, & da pauperibus) non intelligitur, quod ipsa paupertas sit perfectio, sed perfectionis instrumentum, & sicut ostensum est minimum est inter tria principalia instrumenta perfectionis; nam votum continentiæ præeminet voto paupertatis, & votum obedientiæ præfertur vtrique. Quia verò instrumentum non propter se quæritur, sed propter finem, non tanto aliquid sit melius, quanto maius est instrumentum, sed quanto est magis fini proportionatum, sicut Medicus non tanto magis sanat, quanto maiorem dat medicinam, sed quanto medicina est magis proportionata morbo, sic ergo non oportet, quod Religio tanto sit perfectior, quanto maiorem habet paupertatem, sed quanto eius paupertas est magis proportionata fini communi, & speciali. Et si daretur, quod excessus paupertatis faceret Religionem perfectiorem secundum hoc, quod est pauperior, non tamen faceret eam perfectiorem simpliciter: Posset enim esse, quod alia Religio excederet in his, quæ pertinent ad continentiam, & obedientiam, & sic esset simpliciter perfectior, quia quod in melioribus excedit, est simpliciter melius: Possessio igitur bonorum in communi nedum non destruit votum paupertatis, sed fieri potest, quod Religio, quæ possidet sit perfectior simpliciter Religione, quæ non possidet secundum D. Thomam, qui habere diuitias in communi docet quidem respectiuè diminuere perfectionem Religionis, sed non destruere, imò: *Aliqua Religio*, inquit, *esset imperfecta sine possessione bonorum*: vndè in corpore quæsiti distinguit tres gradus Religionum, alia enim est Religio, quæ ordinatur ad corporales actiones actiuæ vitæ, alia ad contemplandum, alia quæ ordinatur ad contemplata alijs tradenda. *Et ideò*, inquit, *tribus gradibus Religionum suprapositis triplex gradus paupertatis competit. Nam illis Religionibus, quæ ordinantur ad corporales actiones actiuæ vitæ, competit habere abundantiam diuitiarum communium*, (& parum suprà dixerat: *Sic ergo patet, quod Religio, quæ ordinatur ad actiones corporales actiuæ vitæ, puta ad militandum, vel ad hospitalitatem sectandam, imperfecta esset, si communibus careret diuitijs*) *illis autem Religionibus, quæ sunt ordinatæ ad contem-*

contemplandum, magis competit habere possessiones moderatas, nisi simul oporteat tales Religiosos per se, vel per alios hospitalitatem tenere, & pauperibus subuenire. Illis autem, quæ ordinantur ad contemplata alijs tradenda, competit vitam habere maximè ab exterioribus sollicitudinibus expeditam; quod quidem fit, dum modica, quæ sunt necessaria vitæ, congruo tempore procurata conseruantur, & hoc Dominus paupertatis Institutor docuit suo exemplo, habebat enim loculos Iudæ commissos, in quibus recondebant ei oblata, vt habetur Ioannis duodecimo, & post habet verba suprascripta, *ex quo patet, quod conseruare pecuniam, aut quascunque alias res communes ad sustentationem Religiosorum, &c.*

Idem Sanctus Doctor p. 2. q. 97. art. 4. ad primum astruit, quod quando cum aliquo dispensatur, vt legem communem non seruet, non debet fieri in præiudicium boni communis, sed ea intentione, vt ad bonum commune proficiat: quoties igitur Summi Pontifices partialitèr paupertatis rigorem lenierunt, id non egerunt in præiudicium boni communis paupertatis, ac essentialis eius rationis, sed ea intentione, vt ad bonum eius commune proficeret, scilicet, ad facilius illam tolerandam, & conseruandam.

Cuius ergo sit sententiæ Sanctus Doctor, an dispensatio, verius mitigatio Pōtificia, destruat paupertatis votum? conficitur ex eius dictis, nec destruere, nec perfectionem eius abradere, licet aliquando diminuere queat, secus tamen aliquando: perscrutemur modo, quid senserit subtilis Doctor.

Scotus in 3. d. 34. q. vn. vbi quærit. Vtrum virtutes, dona, & beatitudines, & fructus sint idem habitus inter se, §. Sed contra, docet, contra Henricum, eundem habitum specie disponere ad sustinendum modo perfecto, & supremo, sicut, & infimo. *Præterea*, inquit, *circa terribilia conuenit virtutem humanam rectè tenere medium, igitur rectiùs, & rectissimè quantum possibile est tali natura, sed hoc ex habitu fortitudinis eiusdem speciei, qui potest intendi secundum gradus, qui non variant speciem, igitur idem habitus specie disponit ad*

sustinendum modo perfecto, & supremo, sicut, & infimo, & §. contra. A. agit contra D. Bonauenturam dicentem, quod conuenit per virtutes agere rectè, per dona perfectè, & per beatitudines expeditè, ait enim Doctor: *Contra hoc, eadem virtute rectè ago, quia virtus est rectitudo potentiæ, & perfectè ago, quia virtus est perfectio habentis in se, & qua opus eius est, habitus faciens expeditè, & facilitèr operari*, & §. ad argumentum in oppositum R., quod erat Henrici §. ad quæstionem, qui ad probandum modum operandi inhumano modo, esse distinctum à modo operandi à modo humano, & superhumano, & ideò virtutes perficere hominem modo humano, & dona modo super humano, & beatitudines modo inhumano, adducit rationem, quia virtus heroica spectat ad modum operandi inhumano modo, hanc enim virtutem, inquit, coniecturatur Philosophus opponi bestialitati, quæ est inhumana circa delectationes vitiosas, quod soluens Doctor, ait, *Ad illud Philosophi de virtute heroica, quod adducitur pro opinione prima, dico, quod in omni bonitate assignat quatuor gradus, qui sunt eiusdem habitus in specie, scilicet, perseuerantiam, continentiam, temperantiam, & heroicitatem, perfectissima igitur virtus in eadem specie manens est heroica, & sic metaphoricè loquuntur aliqui, quod perficit modo inhumano, quia scilicet, non est communitèr hominis ad illum gradum, licet eiusdem speciei, attingere, & quod adducitur per oppositum de bestialitate posset similitèr dici, quod esset excessus in eadem specie, sed melius potest dici alterius speciei, quia circa aliud obiectum, sed ex hoc non sequitur propositum, quia circa multa contingit errare, & vitiosè agere, sed circa tantum vnum scilicet, perfectè circumstantionatum contingit rectè agere, rectiùs, & rectissimè, licet igitur bestialitas sit alius habitus à communi vitio humano, quia est circa aliud obiectum, non sequitur heroicam esse alterius speciei à virtute humana, quia circa idem obiectum ordinat, sed excellentiùs, nec est manifestum hanc excellentiam non posse esse per alium gradum eiusdem speciei.*

Itaque secundum nostrum Doctorem non differunt specie virtus

virtus heroica, & non heroica, quando tendunt circa idem obiectum, sed sunt vna, & eadem species specialissima virtus, qua quis rectè potest agere, rectiùs, & rectissimè, igitur paupertas rigorosa non discrimabitur specie à paupertate non rigorosa.

Eminentissimus à Lauræa tom. 2. in 3. sent. disp. 32. de virtute heroica art. 8. quærit, an virtus heroica specie differat ab alijs virtutibus? Respondet heroicam naturalem philosophis notam non differe specie a virtute communi, vt temperantia heroica à temperantia communi, siue in alio subiecto, siue in eodem antequam ad heroicum gradum peruenisset, sed dumtaxat accidentalitèr, rationes autem multas assignat; etenim, siue distinctio virtutum sumatur ab intrinseco, siue ab extrinseco, nihil reperitur in heroica virtute, quod faciat eam essentialitèr, ac specificè distingui ab alia communi eiusdem speciei, eadem enim temperantia secundum eadem intrinseca prædicata, entis, qualitatis, habitus, electiui, & regulabilis à recta ratione circa sensibilia voluptuosa, fieri potest heroica, si maiori cum energia, & passionum victoria, facilitate, ac promptitudine exerceatur, idem dicendum, si de materia, seù obiecto, ac fine tam extrinseco, quam intrinseco loquamur, nam temperantia, v. g. siue communis, siue heroica respicit pro obiecto formali bonitatem moderationis appetitus sensitiui circa sensibilia voluptuosa, & frenationem passionum circa eadem, quæ duo, inquit, sunt finis intrinsecus huius virtutis, extrinsecus verò est fælicitas, quæ ex huiusmodi virtutum possessione acquirenda proponitur, ergo cum ista tantum siuè intrinsecè, siue extrinsecè dare possint specificationem habitibus, si non sunt diuersa specificè in virtute heroica, & communi, istæ duæ non differunt specie. Tum quia habens heroicam virtutem, temperantiam, v. g. non differt specie à se ipso pro tempore, quo eam non habebat, sed communem, nam quod facile, vel facilius, aut facillimè abstineat ab inordinatis sensibilibus, non facit, vt abstinentia hæc sit alia virtus, sed solum quod sit maior, vel

à Pralatorum Ordinis legitima obedientia recesserunt &c. Anno autem 1316. Lugduni in Gallia ad Summi Pontificatus apicem Ioannes XXII. electus fuit, Quare Generalis Minister Michael de Cesena Summum Pontificem adijt, cui Fratres illos, vt inobedientes, rebelles; & Apostatas pro veritate manifestando, literas ab Apostolica Sede obtinuit, quibus prafatorum carceratio, & omnimoda regularis animaduersio pracipiebatur, ordinauit insuper particularibus literis Pontifex Fratri Beltrando Prouinciæ Aquitaniæ Ministro, vt omni conatu Fratres illos ad obedientiam, ad Habitus, & Caputij formam, & ad Ordinis Communitatem reduceret, folio 42. subditur. *Resipuerunt omnes, prater viginti quinque, qui obstinatè, & imprudentèr nimis contendebant, Pontificem in his, quæ pracipiebat eis, peccasse, & Fratres, secundum hanc declarationem viuentes, peccare. Regulam etiam S. Francisci eandem esse cum Euangelio, proindè eius pracepta à Pontifice indispensabilia; In hos tamquam hareticos iussit Pontifex Fratrem Michaelem* (de Monaco) *prædictum Inquisitorem animaduertere &c.; Extrauagantem illam composuit, qua incipit quorundam exigit &c. registratam sub titulo de verborum significatione &c.* Hæc Congregatio ibidem appellatur rebellis pseudo Congregatio.

Mendum irrepsit in Orbe Seraph. tom. p. fol. 614. dum Fratres Spirituales, qui egerunt pro rigore paupertatis seruando contra Communitatem Ordinis in Concilio Viennensi coram Clemente Quinto anno 1311., & ab eo libentèr auditi, annuit petitionibus eorum, expediendo decretalem: Exiui, vt in corpore iuris, confunduntur cum his Fratribus, qui pseudo Congregationem præfatam inierunt; Congregatio enim superseminata fuit, vt dicebamus, post Clementis V. obitum: Tum quia nulla fuerat illis occasio recedendi à Prælatorum obedientia, cum obtinuerint à Pontifice à se petita; Accedit, quod eorum zelus optimus fuit, laudatur proinde à Leone Decimo in Constitutione *Ite vos*, vt diximus supra cap. 6. prob. 5. primæ conclusionis, his verbis. *Post hos velati hora sexta prodierunt spiritu feruentes Fratres nonulli, qui*

Sacro Viennensi Concilio, tamquam à Deo missi, & confortati, eneruatam penè disciplina censuram ad sua principia reuocarunt; Si sanctè egerunt, & optata consecuti sunt, cur suscitatos ferè statim à cacodæmone, iudicabimus, de electo frumento in Zizania conuersos? alij igitur, Narbonenses suscitati à malo spiritu, ab illis exiuerunt.

Horum Narbonensium initium, medium, & finem reportat fatiùs, & clariùs Vuadingus tom. 3. Annal. ad annum Christi 1317., & 1318., sub Ioannis Vigesimi-secundi anno 1., 2., & 3., à quo Chronol. Seraph. auctor recepit sup a posita. Ad nostra hæc faciunt ex fol. 187. num. 14. *Recesserunt itaque non solum ex Conuentu Narbonensi illi quadraginta sex, quos Pontifex suis literis distinctis nominibus recensuit, & septemdecim ex Conuentu Biterensi, verum, & alij se his adiunxerunt, peruenitque omnium numerus ad sexagesimum, vel, vt alij volunt, ad septuagesimum quartum, qui Auenionem abeuntes, non declinauerunt ad Fratrum cœnobium, sed serò venientes, pernoctarunt præforibus Palatij, sequenti die introducti ad Pontificem, in spiritu lenitatis eos audiuit, & querelas accepit, sed cuncta iudicans friuola, præcepit eis, vt ad Fratrum cœnobium declinarent, & ad Ordinis obedientiam redirent. Reluctantes, iussit sub honesta custodia recludi, donec maturiùs in eorum negotijs ageretur, causamque, viua vocis oraculo, commisit discutiendam Fratri Michaeli de Monaco, ipsius Ordinis Minorum hæreticæ prauitatis in Regione Prouinciæ, & Comitatibus vicinis, Inquisitori, quem in eodem officio, illic præcessit Frater Ioannes de Vernais. Resipuerunt omnes, præter vigintiquinque, obstinatè, & imprudentèr nimis, contendebant Pontificem in his, quæ præcipiebat eis, peccasse, nec in ijs, quæ declarauerat circa Fratrum vestitus, cellaria, & granaria, licitè fecisse, & Fratres secundum hanc declarationem viuentes, peccare. Regulam etiam Sancti Francisci eandem esse cum Euangelio, & proindè eius præcepta à Pontifice indispensabilia. In hos tamquam hæreticos animaduerti iussit Pontifex, dato publico hoc suæ commissionis singrapho Fratri Michaeli Inquisitori prædicto, qui seuerius,*

uerius, & strictiori iure, vitam, & causas illorum examinauit, vti anno referemus sequenti.

Reassumendo successum dolorosum horum Narbonensium. Anno Christi 1318., Ioannis Vigesimisecundi, secundo, & tertio, folio 227 num. 26., hæc narrare prosequitur. *Facta de his, & reliquis Inquisitione, & examinata totius negotij processu, consenserunt omnes voluntati Superiorum exceptis vigintiquinque. Hos autem tradiderunt in manus Inquisitoris, ex quibus ille, combussit quatuor in Ciuitate Massiliensi, tamquam hæreticos, quia dicebant Regulam Sancti Francisci eandem esse cum Euangelio, & propterea indispensabilem à Pontifice, maximè in ijs, quæ præceptoriè, vel inhibitoriè in Regula præscribuntur. Secundo asserebant non potuisse Pontificem concedere Fratribus Minoribus cellaria, aut granaria, & viuentes secundum huius concessionis licentiam mortalitèr peccare; alterum, qui in his assertionibus defendendis per dies multos contumacitèr perseuerauerat, sed tandem resipuit, in muri concauitate recluserunt. Reliquos huius doctrinæ asseclas ad abiurandum coegit Inquisitor, constituitque, vt in omnibus locis, in quibus has assertiones, vel aliquam illarum proposuerant, in publico consessu reuocarent, & sub pœna contra relapsos per Canones statuta.*

Illi igitur Narbonenses, qui duri, & obstinati, ac peruicaces se stiterunt vsque ad focos, emeritam ignis subierunt mulctam. Quare? quia hæretici, quare hæretici? quę hæreses illis sapiebant, sed saporem earum virus experti, opprobriosam opetiere mortem, quia: *mors peccatorum pessima* psal. 33.22.? Hæ fuerunt: dicebant Regulam Sancti Francisci eandem esse cum Euangelio, & propterea indispensabilem à Pontifice, maximè in ijs, quæ præceptoriè, vel inhibitoriè in Regula præscribuntur: en primum assertum pessimum, & hęreticum. Secundo asserebant non potuisse Pontificem concedere Fratribus Minoribus cellaria, aut granaria, & viuentes secundum huius concessionis licentiam mortalitèr peccare, quare Pontificiam concessionem inficiabantur? abyssus,

abyssus

abyssum inuocat; dixerant Regulam indispensabilem, ideò omnem dispensationem abhorrentem asseuerabant, quare Fratres sequentes Summi Pastoris dispensationem lęthalitèr peccare autumabant, quia Regulam in suis votis, quorum vnum est de rigorosa paupertate tenenda, violabant, quam promiserant inuiolabilem: asserebant tertio, Pontificem in his, quæ præcipiebat eis, peccare, quare? quia iusserat se committere suorum Superiorum voluntati, & cum Fratribus Communitatis, victum, ac vestitum, eosdem prosequi.

Hos igitur cum Pastoris more in spiritu lenitatis Summus Pontifex audisset, vt ad ouile reuocaret pascendos Catholicorum pascuis, rebelles Christo, ac Ecclesiæ agnoscens, insipientes, cum noluissent mutare consilium, iuxtà illud: Sapientis est mutare consilium, ne ab infectis seminibus praui fructus prodirent, & ne morbidæ iam factæ pecudes contagione pestifera plurimos perderent, & eorum sanie insanirent alij, membra putrida eici tandem decreuit, & in ipsos animaduersionis gladio procedi voluit. In hos tamquam hæreticos animaduerti iussit Pontifex, paritum est Pontifici, obstinati enim in heresibus igni traditi sunt, qui verò ad cor redierunt, salui facti sunt à pœnis.

Conferamus modo dicta dictis. Subdit Vuadingus folio 228. prius ad marginem, seù labrum: *Sincerum de his Fratribus iudicium.* In corpore verò. *Atque omnia hac nos superiùs per varios annos distribuimus, extraximusque ex probatis monumentis, neq; potui in his Fratribus subodorare pratèr nimiam tenacitatem, seù potiùs pertinaciam in sua illa de paupertatis obseruantia opinione, nimiam etiam sua Regula commendationem, vt Euangelio vellent aqualem, & à Pontifice indispensabilem, nimiam libertatem, & abundantiam in suo sensu, quo temere, & scandalosè Superiorum excusserunt obedientiam. Quod autem, & has quinque hareses, aliosque adiunctos hauserint, seù potiùs sparserint errores, non tam veritati, quam aduersantium suggestioni duxerim adscribendum, fortassis fuerit aliquis ex his in talibus deprahensus, & improbitatis infamia ad omnes transiuit,*

transiuit, neque enim verosimile ea delicta in omnes se diffudisse, & singulos contaminasse; siuè autem facta hac, siuè ficta, documentum exhibebant cunctis Religiosis similis pertinacia vitandæ, atque istud sibi persuadendi, Religionum institutiones, siue restaurationes, non tam consilio humano, quam Diuino aggrediendas, nouit enim eorundem Sator, & Conditor, quando, & qualitèr hæc adoriri.

Aiebat Vuadingus, obstinatè, & imprudentèr nimis viginti quinque ex Narbonensi Conuenticulo in faciem Pontificis restitisse, ex illis quatuor Vulcano traditos, alterum cum ferò à sua duritie recessisset, vt colluctaretur cum duritie muri, inter parietes clausum fuisse, quinque hæresibus fuisse denigratos, hęc ex authenticis monumentis excerpsisse; vndè ergo aliquatenus defendēdi, & de sola peruicacia &c. carpendi? si in vno offendens fit omnium reus: Iacob. 2. 10., quid offendens quinquies? quod si hæc etiam illis apicta velit, sicut, & ea quæ immanifesta sunt, quomodo erecta sunt recensita ex probatis monumentis?

Manifestè autem errat Marcus Vlyssipp. dum 2. p. Chron. lib. 7. cap. 33. de his loquens, & eorum destructione concludit. *Si che in tal modo (permettendolo giustamente la Diuina Prouidenza, che per altro tempo guardaua la Riforma dell' Ordine) fù disfatta quell' opra, guidata da buon zelo dell' Osseruanza della Regola*, Deus enim per se, & directè opera Sathanæ pessundat, & ad nihilum redigit, nec destrui dumtaxat permittit, & vbi caritas non imperat, zelus Dei non viget, & vera caritas amicam habet obedientiam Pastoribus suis, quod loquebatur Sanctus Hilarius in comm. Matth. can. 6. id verum est. *Blandimenta*, inquit, *verborum, & mansuetudinis simulationem admonet fructus operationis expendi oportere, vt non qualem quis verbis referat, sed qualem se rebus efficiat, spectemus, quia in multis vestitu ouium rabies lupina contegitur*, cui concordat Sanctus Augustinus lib. 2. de serm. Dom. in monte cap. 12. t. 4. *Maximè* (ait) *aduertendum est non in solo rerum corporearum nitore, atque pompa, sed etiam in ipsis*

sordibus

ſordibus luctuoſis, eſſe poſſe iactantiam, & eo periculoſiorem, quo ſub nomine ſeruitutis Dei decipit, & interius: *Cum enim cœperint aliquibus tentationibus ex ipſa, ſcilicet illis ſubtrahi, vel negari, quæ iſto velamine, vel conſecuti ſunt, vel conſequi cupiunt, tunc neceſſe eſt, vt appareat, vtrum lupus in ouina pelle ſit, an ouis in ſua*. Narbonenſes autem ſunt contra quos Io: XXII. in extr. Quorundam exigit &c. de verb. ſignif. tit. 14. decreuit. *Ideoque omnes, & ſingulos Fratres antedicti Ordinis Minorum, qui ſtrictos, curtos, & difformes habitus ab ipſius Generalis Miniſtri, & aliorum de dicta Communitate habitus coram nobis, & Fratribus noſtris, & alijs in Romana Curia detulerunt, vel deferunt: monemus, & hortamur in Domino: eis nihilominus in virtute Sanctæ Obedientiæ, & ſub excommunicationis pęna per Apoſtolica ſcripta mandantes, quatenus ad mandatum ipſius Generalis deponant, quos deferunt habitus, & alijs iuxtà eiuſdem Generalis arbitrium, determinationem, ſiuè iudicium*, (vt ſupra prædicitur) *induantur &c.*

Nec minus à vero elongatur idem Marcus, dum antecedenti capitulo finem imponens his verbis claudit. *Haueuano queſti Frati i Prelati, e tutto l' Ordine contrario, & erano difeſi ſolamente dalla protettione de Nobili, e dalla diuotione de Secolari, che li amauano molto, e riueriuano, per l' aſprezza, e ſtretezza della vita loro, e per i manifeſti ſegni di Santita, che in eſſi vedeuano*. Manifeſta igitur ſanctitatis ſigna oriri poterant in rebellibus ab eorum Superioribus, qui nec illos colere, nec ipſorum venerari pręcepta eligebant? imò in omnibus parebant pſeudo Miniſtris à ſe electis? *Familiaris ſiquidem, & amica ſaluti obedientia eſt, ſed obedientia firma, & ſtabilis, quæ fundata eſt ſuper petram, melior eſt enim obedientia, quam victima, & acquieſcere nolle, vt peccatum ariolandi eſt*, docuit Bernardus ſerm. de bonis deſerendis, lugendus eſt itaque Fratrum iſtorum caſus, ſed non defendendus.

Eymericus in directorio Inquiſ. p. 2. q. 15. de hæreſibus Begardorum, & Beguinorum (verè Beguinarum, vt Alphon. de Caſtro aduerſus hæreſes lib. tertio verbo. Beatitudo, hæ-

resi 4., & Prateol. de vitis, & sectis hæret. fol. 89. de Begardis, & Beguinis, & in Clem. ad nostrum de hæret.), quos confundit cum Narbonensibus, & in eorum numero fuisse contendit Fratrem Michaelem de Cæsena, & alios Ordinis Minorum, sicut, & Pegna eius Commentator in eadem quęst., & Fratres de pœnitentia de tertio Ordine Sancti Patris Francisci fuisse testatur, qui etiam dicti sunt Fraticelli, in quibus tamen à vero descecisse, & non historicè locutum, patet ex ijs, quæ leguntur in Extra. Io: XXII. Sancta Romana, in qua improbantur dicteria Fraticellorum, seù Fratrum de paupere vita, seù eorum, qui dicebantur Bizochi, siuè Beguini, quod essent de Ordine Minorum, vel tertij Ordinis Sancti Francisci. Tum quia Fraticelli iam fuerant alijs de causis à Clemente V. in Concilio Viennensi, (vt in Clement. ad nostrum de hæret. tit. 3., in qua enumerantur octo hæreses, nullatenùs affinitatem habentes cum Narbonensium hæresibus, iam supra enumeratis) damnati, & à Ioanne XXII. in Extra. cit., sicut, & in constit. 3. Gloriosum, nec aliquid negotij facessit, quod in Extra. cit. Io: XXII. dicatur in comitatu Prouinciæ Narbonensis insurrexisse, non enim solum ibi, sicut Congregatio Narbonensium, qui in Ciuitate Narbonæ originem traxerunt, sed in Italia, Sicilia, & alijs Mundi partibus vigebant, nec istorum, sicut illorum erant errores. Tum quia, quo ad tertium Ordinem, quod non fuerint de illorum instituto declarauerunt idem Io: XXII. & Innoc. VIII. datis constitutionibus, quas refert Vuading. tom. 3., & ex eo Orb. Seraph. to. 2. lib. 12. cap. 3. à fol. 793., & Bordon. in Bullar. Bulla 172., & quo ad Michaelem de Cæsena, & sequaces, patet alia de causa condemnatos, & eorum errorem fuisse de paupertate Christi, & Apostolorum contra declarationem Io: XXII., qui propterea varias edidit constitutiones, extra. *Ad Conditorem, de verborum signif. cum inter nonullos, & quia quorundam*, in quibus immiscet aliorum etiam errores, inter illos hos quoque recenset. *Secundus error, & hæresis est, quod dicunt hanc esse perfectam Euangelicam pauperta-*

tem,

ter, videlicet, nihil habere in proprio, nec in communi. Tertius error, & hæresis est, quod habere aliquid in communi diminuit de perfectione Euangelicæ paupertatis. Quartus error, & hæresis est, quod Apostoli sine diminutione perfectionis eorum, & sine peccato non potuerunt habere aliquid, nec in proprio, nec in communi. Quintus error, & hæresis est, quod dicere, & credere, ac asserere contrarium prædictorum, est hæreticum. Nonus error, & hæresis est, quod Regulam Sancti Francisci dicunt esse Euangelium Christi, ac vnum, & idem cum Euangelio Christi. Decimus error est, quod quicunque impugnant, vel contradicunt in aliquo Regulæ Sancti Francisci (quam dicunt esse Euangelium) impugnant, & contradicunt Euangelio Christi, & per consequens errant, & sunt hæretici si in hoc perseuerant. Vndecimus error est, quod sicut Papa, vel aliquis alius, non potest aliquid immutare in Euangelio, nec addere, nec subtrahere ex eodem, ità non potest aliquid immutare in prædictæ Regulæ, nec addere, nec subtrahere ex eadem, quantum ad vota, seù consilia Euangelica, ac præcepta contenta in ipsa. Duodecimus error est, quia dicunt, quod Papa non potest dictam Regulam Euangelicam Sancti Francisci cassare, vel immutare, nec tollere Ordinem Sancti Francisci, quem Euangelicum Ordinem esse dicunt; idem dicunt de tertia eius Regula. Tertiusdecimus error est, quia dicunt, quod Papa non potest facere constitutionem, decretalem, per quam dispenset, ac concedat Fratribus Minoribus, quod possint habere bladum, vel vinum ad seruandum in communi in granarijs, vel cellarijs, pro tempore futuro ad suum vsum, seù victum necessarium, & quod hoc esset facere contra Euangelicam Regulam Sancti Francisci, & Euangelium Christi. Decimusseptimus error est, quia dicunt, quod Dominus Papa non potest facere secundum Deum, quod aliquis Frater Minor, etiam de licentia ipsius Papæ transeat ad aliam Religionem, seù Ordinem, vbi ipse Frater Minor, sicut, & alij Fratres eiusdem Ordinis habeant aliquas diuitias in communi: Quia, vt dicunt, hoc esset descendere à maiori, & altiori gradu, seù statu perfectionis virtutis ad minorem, & inferiorem, & hoc esset destruere,

& non

& non construere, & potestas Papæ est data solum in constructionem, & non in destructionem. *Vigesimus error est, quia dicunt, quod illi quatuor Fratres Minores, qui sub anno Domini* 1318. *apud Marsiliam per Inquisitorem hæreticæ prauitatis, qui etiam erat de Ordine Fratrum Minorum, fuerunt velut hæretici condemnati (ex hoc, vt ipsi dicunt, quod volebant seruare, & tenere puritatem, & veritatem, & paupertatem Regulæ dictæ Sancti Francisci, & quia nolebant assentire in laxationem Regulæ, nec recipere dispensationem prædicti Domini Papæ factam super illam, nec sibi, nec alijs super hoc obedire) fuerunt condemnati iniustè pro veritate Euangelicæ Regulæ defendenda, & ideò dicunt ipsos non fuisse hæreticos, sed Catholicos, & etiam Martyres gloriosos, ipsorumque implorant orationes, & suffragia apud Deum.* His præmissis descendimus ad conclusionem.

Dico igitur eandem omninò inuariatam essentialitèr esse Regulam, quam modificatam profitentur Minores Conuentuales virtute Apostolicarum dispensationum, de quibus cap. 4., cum Regula instituta, ac proposita Minoribus obseruanda à Sancto Patre Francisco, & quam se obseruare vouent, Patres omnes Regularis Obseruantiæ, & Capuccini, est contra prædictos Aduersarios, quorum manifestas, in principio capitis huius, adduximus auctoritates, satiùs euidentèr huic conclusioni aduersas, assertor, & propugnator huius veritatis existit cum Pellizar., & Tamb. Bordon. tom. 5. cap. p. de Religione à num. 260. ad. 266.

Probatur primò, nam, vt aiebat Diuus Thomas citatus, S. Diuus Thomas, parum supra, diuitiæ in communi non deiciunt perfectionem Religionis, nec illam destruunt, igitur nec paupertatis, quia omnis approbata Religio tria vota emittit, & custodit, obedientiæ, castitatis, & paupertatis perpetuæ, igitur si non destruitur Religio ob diuitias in communi, nec paupertas, antecedens probatur ex eiusdem S. Doctoris auctoritate, seù ratione, quia aliqua Religio, vt illa quæ ordinatur ad corporales actiones actiuæ vitæ, esset imperfecta

perfecta sine diuitiarum abundantia, etenim sine istis non possent prouidere de medijs ad finem, proptèr quem est instituta, subueniendi v. g. infirmis, vel militandi, pro fide Catholica, igitur possessio bonorum in communi non destruit Religionis perfectionem. Tum quia multæ sunt Religiones institutæ cum bonorum possessione in communi, quæ sunt Religiones perfectæ, etenim Diuus Dominicus in primæua suæ Religionis fundatione non prohibuit bonorum possessionem, licet postea inhibuerit illas recipere, & retinere, vt aliàs diximus cap. 2. §. Non obstat, & cap. 5. §. Probatur quarto, (de quo sit fides penes eos, qui narrant factum cum Vuadingo tom. p. fol. 194. ad ann. 1219. Relig. 13. num. 16.); idem patet de Societate Iesu, quæ à suo Sancto Patriarcha Ignatio Fundatore genita est cum facultate opes in communi recipiendi, retinendi, & dispensandi iuxtà necessitatem Monasteriorum, ac Fratrum. Tum quia Concilium Tridentinum edens in sess. 22. decretum pro Regularibus, & Monialibus, & cap. 3. concedens omnibus Monasterijs, & Domibus tam virorum, quam mulierum Mendicantium, exceptis domibus Fratrum Sancti Francisci Capuccinorum, & eorum, qui Minorum de Obseruantia vocantur, etiam quibus, aut ex constitutionibus suis erat prohibitum, aut ex priuilegio Apostolico non erat concessum, vt deinceps bona immobilia eis possidere liceat, nunquam percepit ex hac concessione enecare perfectionem Religionum, imò illam fouere, defendere, ac promouere, nec paritèr perfectionem paupertatis è liminaribus suis, & Monasterijs exulem dicere, igitur &c. Nec item idem Concilium dispensando in voto paupertatis Religiones, aliàs non dispensatas, iudicauit, vel intendit nouas creare sodalitates ab antiquis, & priscas destruere, igitur &c. Paupertas ergo Minorum modificata à Pontificibus seruat identitatem essentialem cum paupertate non modificata, nec per modificationem est ad nihilum redacta, & in nouam paupertatem conuersa.

Probatur 2., ex eiusdem Doctrina, vt supra, dispensatio non

non fit in præiudicium boni communis, sed ea intentione, vt ad bonum commune proficiat, igitur non destruit, nec mutat essentialitèr bonum commune, si enim mutaret essentialitèr; destrueret necessario priorem formam, & compositum, quia vt docet Aristoteles 5. phis. t. 7. mutatio, quæ est *ex subiecto in non subiectum corruptio est, simplicitèr quidem, quæ ex substantia* (accipit hìc substantiam pro rei essentia, & quidditate) *ad ipsum non esse*; ergo Pontificia modificatio non tendit ad mutationem simplicitèr, & essentialem paupertatis, quando illam modificat, & dispensat, forma igitur essentialis stat, & non cadit stante præfata dispensatione, eadem igitur est paupertas S. Francisci, ac Minorum Conuentualium.

Probatur 3. ex Doctore nostro Subtili cit. Virtus heroica non differt essentialitèr à virtute communi, quando tendunt circa idem obiectum, sed sunt vna, & eadem specialissima virtus, qua quis potest rectè agere, rectiùs, & rectissimè, nam idem habitus specie disponit, ad sustinendum modo perfecto, & supremo, sicut, & infimo, nam circa terribilia v. g. conuenit virtutem humanam rectè tenere medium, igitur rectiùs, & rectissimè quantum possibile est tali naturæ, sed hoc est ex habitu fortitudinis eiusdem speciei, qui potest intendi secundum gradus, qui non variant speciem, igitur idem habitus specie disponit ad sustinendum modo perfecto, & supremo, sicut, & infimo: *Pluralitas enim specierum non videtur ponenda sine necessitate manifesta, vbi scilicet vna species non sufficeret, quod non apparet in proposito*, inquit ibidem Doctor S. Sed contra. Tum quia, vt ait S. contra A. *Eadem virtute rectè ago, quia virtus est rectitudo potētiæ, & perfectè ago, quia virtus est perfectio habentis in se, & quia opus eius est habitus faciēs expeditè, & facilitèr operari*, igitur eadem erit essentialitèr virtus paupertatis, quæ facit rectè, rectiùs, & heroicè operari, & sustinere defectum bonorū, non igitur differūt essentialitèr paupertas mitigata &c.

Confirmatur virtus heroica, & communis, vt docet Eminentissimus à Lauræa citatus, quia tendunt circa idem, & habent eundem finem, sunt eadem species specialissima virtus, id eue-

id euenit de paupertate mitigata, & non mitigata; siquidem finis paupertatis est priuare commodis huius vitæ proptèr Deum, qui finis in omni paupertate concipitur, & exercetur, igitur &c.

Probatur 4. Narbonenses obstinatè, & imprudentèr nimis contendebant Ioannem XXII. non licitè egisse, declarando circa Fratrum Minorum vestitus, cellaria, & granaria debere prouideri secundum prudentiam Ministrorum &c., & Fratres, secundum illam declarationem viuentes, peccare. Item: Regulam Sancti Francisci eandem esse cum Euangelio, ac proindè eius præcepta à Pontifice esse indispensabilia, qua de causa iussit Pontifex in illos tamquam hæreticos animaduerti, vndè quatuor eorum, qui temerario ausu in obstinatione perstiterunt suorum dictorum, combusti sunt in Ciuitate Marsiliæ, igitur asserere mitigationes Pontificias Regulæ Sancti Francisci, ac eorum dispensationes tollere paupertatis virtutem in gradu statui Minoritico substantialem, est accomodare se præfatis hæreticis, & pedibus iunctis in eorum sententiæ communionem transire, non igitur præfatæ lenitiones rigorosæ paupertatis euertunt essentiam paupertatis Minoriticæ, & Conuentuales seruantes Regulam Sancti Patris Francisci mitigatam, seruant, & obseruant eandem Regulam numero, quam instituit Sanctus Patriarcha, ac Capuccini, & Obseruantes, profitentur.

Confirmatur hæ sunt propositiones Aduersariorum, vt initio capitis huius apertum est. *Regula Minorum in suo rigore non mitigata diuersa est essentialitèr, & substantialitèr à Regula Minorum priuilegijs Apostolicis mitigata. Priuilegia mitigatiua, per quæ mitigata est Regula Minorum, eius de substantia diminuunt, dum infringunt paupertatem in communi. Falsum est in Minorita dispensato conseruari paupertatis virtutem in gradu statui Minoritico substantialem, nempè carentiam dominij, quia paupertas Minoritica essentialitèr excludit dominium in particulari, & in communi*, igitur nequeunt stare dispensationes cum constantia huius subiecti, paupertatis Minoriticæ, hoc autem

autem dicebant Narbonenſes, aſſerentes Papam non poſſe diſpenſare in præceptis Regulæ Sancti Franciſci, quod mihi videtur idem, ac dicere diſpenſationem Papalem deſtruere, ſi fiat, Regulam indiſpenſabilem, ſicut ſi diſpenſaretur Euangelium à Pontifice, quantum eſt ex parte eius tolleretur eius virtus ſubſtantialis, & deſtrueretur, igitur conueniunt præfatæ propoſitiones cum iſtis Narbonenſium damnatis.

Confirmatur 2. Regula Sancti Franciſci ſecundum Narbonenſes eſt indiſpenſabilis in ſuis præceptis, & ſignatè in voto paupertatis, vndè non ceſſabant debachari in Pontificem, qui granaria, & cellaria conceſſerat, quare? quia Regula Sancti Franciſci eſt eadem cum Euangelio Chriſti, quod à Papa eſt indiſpenſabile, Aduerſarij aſſerunt diſpenſationem à Pontifice factam in voto paupertatis Minoriticæ tollere eius ſubſtantiam, non relinquere illam in gradu ſtatui Minoritico ſubſtantiali, quia repugnat intrinſecè voto paupertatis Minoritico habere dominium in particulari, & in communi, igitur videant Aduerſarij ne conueniant cum Narbonenſibus, quare enim in paupertate Diui Franciſci adeſt hæc repugnantia? quis illam ſupparem fecit Euangelio? quod ſi negent Aduerſarij eſſe Euangelium, cum æqualis repugnantia diſpenſationis illi inſit, æqualis ſaltem erit Euangelio, cui repugnat diſpenſatio, & curret paritas: repugnat Euangelio diſpenſatio Pontificia, quia Euangelium eſt a Chriſto Domino inſtitutum, igitur ſi repugnat Regulæ Diui Franciſci diſpenſatio Pontificis, erit æqualis Euangelio, vel ipſa re Euangelium, & vtrumque falſum eſt, & Narboniſmum ſapit.

Confirmatur 3. Regulæ Diui Franciſci repugnat modificatio ſine eius ſubſtantiæ deſtructione, & loquimur ſignatè de voto paupertatis, de hoc enim loquebantur præcipuè Narbonenſes, vel igitur repugnat, quia Euangelium eſt, & hoc Narbonenſes condemnati contendebant, alia ratio non ſuppetit, igitur diſpenſatio non deſtruit ſubſtantiam Regulæ D. Franciſci.

Probatur 5. auctoritatibus Clementis Septimi, & Vrbani

Octaui allatis errore sexto. Clem. VII. *Auctoritate Apostolica (* inquit *) decernimus, ac declaramus, vos, & pro tempore existentes Fratres Conuentuales Ordinis Minorum sub Magistro Generali viuentes, non alitèr, quam iuxtà Beati Francisci Ordinis vestri Institutoris Regulam viuere, nec non priuilegijs, & indultis prædictis, absque vlla differentia, aut exceptione vti, potiri, gaudere, illaque vobis suffragari debere, in omnibus, & per omnia, perindè, ac si nomina huiusmodi mutata non fuissent,* dum Pontifex illis vtitur verbis: *Auctoritate Apostolica decernimus, ac declaramus*, ostendit non incidentèr, sed maturo consilio, re seriò considerata, loqui, & de plenitudine potestatis diffinire, cum omni prudentia, & veritate, non ad gratiam præstandam, non mendacitèr, ex benignitate, sed iuxtà conscientiam, ità vt verbis illis claudat obloquentium ora, & damnet contradictores, cogens illos auctoritate sua plena, in suam pendere, velint nolint, diffinitionem. Vrbanus Octauus, asserentes Minores Conuentuales viuentes secundum priuilegia, esse Regulæ transgressores, ipso iure subiecit excommunicationi, placuit autem eidem annunciare causam, quare non sint transgressores, his verbis. *Cum enim neminem astringere possit Sancti Francisci Regula, nisi quia à Summis Pontificibus, & Apostolica Sede approbata, confirmata, & recepta, hanc ob rem ipsius Sanctissimæ Sedis arbitrio est, eam pro tempore sic declarare, mitigare, interpretari, & quod Fratres sic declaratam firmitèr, & fidelitèr obseruantes, veri Filij sint, & Sancti Francisci sequaces, eiusque Sanctissima Regula Professores, & Seruatores statuere*, & concludit. *Quare contra Constitutiones, ac declarationes huiusmodi quidpiam attentare, siuè præsumere, vnusquisque facile intelliget, quam temerarium sit;* igitur dispensationes non tollunt de substantia Regulæ Sancti Francisci, nec essentiam eius immutant.

Pro hac eadem conclusione faciunt, quæ scripsimus non multò ante in hoc articulo ex Eymerico recensente illos errores, & hæreses, quæ omnes erant contra Pontificiam dispensationem in voto paupertatis Minorum, quam ausu temerario

asserebant, tenentes, ac illas propugnantes, non posse à Pontifice mitigari; quia Euangelium Christi est, vel igitur hac eadem ratione sustinent Aduersarij, mitigatione Pontificia non posse subsistere paupertatem Minorum, vel alia de causa, quę cum defendat repugnantiam dispensationis intrinsecam, esse nequit, quin sit de æqualitate, saltem cum Euangelica veritate, & vtrumque fidei repugnat.

Aliquos Auctores legi propugnantes Regulam Sancti Patris Francisci esse de iure Diuino, in horum Choro ingressus est Pater de Gubernatis tom. p. Orb. Seraph. lib. p. P. Sanctorus in examine districtionum pœnalium cap. 7. diff. p. casu 14., qui pro se habere censet Rodriq. tom. p. quæst. Regul. q. 4. art. p. Aduersarij scribunt hæc tom. 2. Orb. lib. 6. cap. 16. § 1. num. 2. fol. 206., & in antiq. in prolog. § 1. num. 2. *Hanc postmodum eamdem Regulam, Deo, per Manifestam visionem, edocente breuiori compendio, vt comprehenderet in Monte Raynerio post admirabile 40. dierum ieiunium Christo dictante ipsam quasi alter Moyses exscribens, per duodecim Capitula distribuit*: quæ nedum Regulam Sancti Patris Francisci confirmant esse de iure Diuino, sed quia dictata à Deo ipso, vt dicunt, Sancto Patri exscribenti, vt altero Moyseti, ius ipsum Diuinum, & Sacra ipsa Scriptura, quod sustineri nequit, quin resurgat hæresis Narbonensium; censeo tamen hos Aduersarios loqui humanis innixos testimonijs, nec excedere velle à fide humana; viderint ipsi de suo sensu.

Pater Illuminatus Moronus eiusdem Strict. Obser. candidatus in sua Biga anno 1651. Bergomi typis commissa, in se impugnantem Sanctorum, eiusdem Ordinis Ascetam, insurgit folio 77. num. 78., & sequentia tradidit prælo: *Adeò ardet desiderio contradicendi, vt non erubescat sibi contradicere, vt contra à me scripta dicat. Non semel, sed centies dixerat prius, Regulam S. Francisci non esse iuris Diuini: Nunc asserit, quod negauit, vt contradicat; licet autem videatur hoc tantum referri ex alijs, hoc tamen pro se adducit. Sed re vera Rodriq. loco cit. ab ipso, nempè tom. 1. q. 4. a. p. non asserit Regulam S.*

 Fran-

Francisci esse iuris Diuini, sed haec formalia verba tantum habet (ita re vera se declarando post initium, in quo dixerat. *Respondeo dicendo, Religionem Patris nostri Diui Francisci, licet supra diximus institutam ab ipso Patre* (scilicet q. 2. art. 3.) *nunc ab illo aeterno principio tamquam à suo vero Conditore emanasse dico*, (affirmando eam esse de iure Diuino) *Valdè probabilitèr colligere possumus nostram Sacram Religionem iure Diuino esse institutam, qua propositio an faciat sensum à Patre Sanctoro inductum, & an idem sit iure Diuino esse institutam Religionem, & Regulam esse iuris Diuini, non expendo, quia nihil pro nunc ad me; Sed noto ex Patre Vasq. to. 2. in p. 2. D Thom. disp. 265. cap. 5. nu. 48. Quod non ideò dicitur status Religiosus esse de iure Diuino, quia fuit à Christo inuentus, & alijs propositus sequendus, sed ex eo quod ab ipso sit erectus sub alicuius capitis potestate, & iurisdictione, adeas ipsum, quem reperies de more suo doctissimè, & acutissimè differentem, & Basilius Pontius, vir item accerrimi ingenij, & eruditissimus, vt probet statum Religionis esse iuris Diuini, probat à Christo modo praedicto fuisse institutum, & erectum: vide ipsum lib. 7. de Matrim. cap. 3 Et quidem, si omnia, quae Deo inspirante traduntur, essent iuris Diuini, valdè multum esset ius istud. Nec dubito Apostolum Paulum à Deo fuisse inspiratum, cum de se ipso dicat. Puto autem, quod, & ego Spiritum Dei habeam, & tamen p. ad Cor. 7. dicit. Iis autem, qui Matrimonio iuncti sunt praecipio, non ego, Sed Dominus, &c. Nam caeteris dico ego non Dominus, & infra: Beatior erit si sic permanserit secundum meum consilium; puto autem, quod, & ego Spiritum Dei habeam. Secundum Spiritum Dei loquitur, secundum Spiritum Dei scribit, & tamen quod scribit, quod dicit, ipse dicit, non Dominus, secundum suum consilium est: Ergo non quidquid dicitur inspiratum à Deo iuris Diuini est, sed requiritur, quod à Deo immediatè, vel ab alio, sed eius nomine praecipiatur. Sicut locutus est Moysi in Monte Sinai, & Moyses Populo nomine Dei, & praecepta tunc tradita non dicuntur praecepta Moysis, sed ipsius Dei. Vndè Paulus: lex per Moysen data est, quod non habemus in Regula S. Francisci,*

ideò

ideò non est dicenda ius Diuinum, sed humanum, nempè ipsius Sancti Patris Francisci. Quod etiam confirmatur ex modo loquendi Summi Pontificis Clementis Quinti in Clem. Exiui, sub tit. de verbor. signif. vers. ad hoc, vbi habet. Hac est illa calestis vita forma, & Regula, quam descripsit ille Confessor Christi Sanctus Franciscus, & seruandam à suis filijs verbo, & exemplo docuit. Sanctus Franciscus scribit Regulam, ac seruandam tradit, & §. Cum igitur, vers. Nos circa hunc articulum, dicit: Et quidem Beati Francisci conditoris Regula, hac probatur fuisse intentio. Vbi considerandum Beatum Franciscum dici Conditorem Regula, & in illius expositione inuestigari ipsius Beati intentionem, qua demonstrant legem fuisse Diui Francisci, quia si illius non esset, eius mens non esset inquirenda, nec diceretur Conditor Regula, legatur totus Textus illius Clem., & cap. Exijt qui seminat, & apertè colligetur Summum Pontif. sensisse Regulam esse D. Francisci, & secundum eius mentem explicari, ideò iuris positiui. In quibus diutiùs non immoror, quia ad probandum esse iuris positiui, satis est Summum Pontif. approbasse, confirmasse, & tradidisse seruanda statuta Regula pradicta omninò contraria toti Ordini Patrum Conuentualium Calceatorum, quod non fecisset, si esset iuris Diuini, quia statuta approbasset humana, contraria iuri Diuino, Hæc Moronus, & satis consona veritati, & rationi; deficit tamen in calce, dum ait Pontificem tradidisse seruanda omninò contraria Regulæ Diui Francisci, dispensatio enim Pontificia cadit super accidentalia Regulæ, non essentialia, vt ipsemet fatetur fol. 16. num. 7. & 8, igitur non tradit seruanda omninò Regulæ contraria: Quod autem Regula Minorum, non sit verbum Dei, sicut Scriptura, & traditiones Apostolicæ, quod conficeretur, si esset de iure Diuino, probant etiam auctoritates supra allatæ Clementis Septimi, & Vrbani Octaui errore sexto, & probatione quinta huius conclusionis, Pontifices enim, dicunt Regulam esse Sancti Francisci, & ipsum esse institutorem Ordinis Minorum, eius esse Sanctissimam Regulam, & si quæ aliæ sunt adductæ in alijs capitibus aliorum Pontifi-

cum, ex quibus omnibus apparet Regulam D. Francisci in accidentalibus pati dispensationem, & hanc nihil ledere eandem in essentialibus, ac substantialibus suis, quod de difficili sustineri, imò defendi non potest, si dicatur Regulam, esse de iure Diuino.

Ad hæc faciunt etiam, primo, quod Regula omnis, & Diui Francisci non accepta, potuit acceptari, & non acceptari, confirmari, & non confirmari à Summis Pontificibus, & acceptatæ, & confirmatæ possunt tolli, destruendo Religionem Regulæ deuinctam, sicut non semel accidit, quia multæ Religiones fuerunt diuersis temporibus destructæ, & hoc nostro sæculo tres deletæ a Clemente Nono Sanctæ Memoriæ, igitur non sunt de iure Diuino, quod tolli nequit à Pontifice. Secundo, quia multa, quæ de hac Sanctissima Regula narrantur, innituntur humanæ fidei, vt quod fuerit inspirata à Deo Diuo Francisco, quod post ieiunium dierum, & noctium quadraginta in frigida, & solo pane in Monte Columbo, seù Carnerio, alijs Raynerio, vt placet Aduersarijs, fuerit à Deo Benedicto dictata, scribente Sancto Francisco, quod Heliæ fuerit consignata, & ab eo seriò deperdita, ne à Pontifice confirmaretur, quod iterum conscenso eodem Monte post orationem, & ieiunium, denuò à Deo illam obtinuerit, quod repugnante Helia cum Ministris acceptationi eiusdem Regulæ, Diuo Francisco, se cum Deo dolenti, fuerit vox de Cœlo demissa: omnia quæ sunt in Regula, mea sunt, nihil tui ò Francisce; Volo igitur, vt ad literam, ad literam, ad literam, sine glossa, sine glossa, sine glossa obseruetur, quæ in p. p. Chron. Patris Marci Vlyssipponensis lib. 2. cap. 7. fol. mihi 174. referuntur; & ideò piè dumtaxat creduntur, & acceptantur, non enim hæc Diuinæ auctoritati, Pontificijs diffinitionibus, vel Conciliorum Decretis hærent, igitur non est de iure Diuino, hæc enim sunt motiua substinendi Auctoribus sententiæ contrariæ, quod sit de iure Diuino, quæ remanent exclusa; & soluta per

hæc mox dicta: ità etiam P. Bordon. to. 5. de Relig. ex profess. cap. p. num. 31.

Colligimus concessionem factam à Clemente Quinto in Clement. *Exiui de Paradiso*, §. *Rursus*, versus finem de granarijs, vel cellarijs, in quibus attenta, secundum prudentiam Ministrorum &c. necessitate Fratrum, Minores possint congregare pro futuris necessitatibus frumentum, & vinum, & confirmatam à Ioanne Vigesimo secundo in Extra. *Quorundam exigit* §. *eodem modo* fine, haberi pro dispensatione paupertatis, & hac de causa Narbonenses Ioanni Vigesimo secundo restitisse, temerariè, & hæreticalitèr asserentes, non potuisse Pontificem hanc edere dispensationem, Fratresque illam acceptantes, & obseruantes peccare læthalitèr, quia Regula Minorum cum sit Euangelium Christi nullam patitur Pontificiam dispensationem, sicut Euangelium ipsum, qua de causa, vt hæretici condemnati sunt ipso præcipiente Pontifice, vndè ex hoc facto manifestè consensit eadem cellaria, & granaria cadere in dispensationem voti paupertatis, quod, legitima causa intercedente, suum erat ius id præstare. Hoc autem valet pro dictis cap. 4. de Pontificijs dispensationibus pro Ordine Minorum in voto paupertatis ante concessiones latas à Martino Quinto, quas Aduersarij iurant omninò primas extitisse.

Colligimus secundò, ex hac identitate essentiali, ac substantiali omninò seruata, existentibus Pontificijs dispensationibus, rectè, ac ritè concludi etiam identitatem Minorum Conuentualium præsentium, ac modernorum, cum priscis antequam illucerent in Ordine, ex Summorum Pontificum benignitate, indulta lenientia rigorem Minoriticæ paupertatis; sicut enim hæc seruant illibatam essentiam voti paupertatis, mutatis eius dumtaxat accidentibus, ità seruare debent immutatam, & inuariatam essentiam Conuentualium Minorum, & hoc iuuat dictis in toto capite quinto. Vide ibi conuincentes alias rationes, & interim ad

ad vltimum descendamus, Deo duce, caput, pro terminando labore operis; iudicet interim prudens Lector An hæc, quæ scripsimus, veritatem oleant; cui si arridebit se ipsum meditari inuariatum substantialitèr, mutatum licet accidentalitèr à pueritia vsque ad virilitatem, adolescentiam, ac senectam, continuò enim viuimus, ac continuò mutamur, & continuè viuere, est continuò mori, ac deficere, qui fieri poterit, vt nos in assertis haud comitetur?

CAPVT NONVM, ET VLTIMVM.

Paupertatem Minoriticam non habere repugnantiam ad possidendum in communi, essentialitèr non excludere dominium in communi, neque proprium eius distinctum esse repugnantiam dominij in communi, conuincitur.

HAS quoque satas voluere propositiones in suis scriptis Aduersarij, Paupertatem Minorum habere intrinsecam, ac essentialem repugnantiam dominij in communi, per hanc intrinsecam repugnantiam ad possidendum, vti per differentiam constitutiuam, essentialitèr ab alijs Religionibus sodalitatem Minorum distingui, imò Paupertati Ecclesiæ Catholicæ non repugnare possidere, & dominium in communi, repugnare autem paupertati Minorum; audiamus illos loquentes in antiquior. fol. 101. num. 170., & in Orb. Seraph. tom. 2. lib. 6. cap. 16. § 4. fol. 265. §. Vltrò concedo; *Quacumque hic argumento philosophico adducit*, (nempè Pater Franchinus) *probando ex differentia accidentali, qualem exemplificat in homine nunc paupere, nunc diuite, nunc iuuene, nunc sene, non alterationem, sed*

sed alteritatem induci; patet autem ex repugnantia, vel non repugnantia essentiali; differentiam essentialem à philosophis argui, qualis ex voto Regulæ specialis esse non dubitatur in professione Franciscana ad possidendum, & in particulari, & in communi, qua repugnantia cæteris in Religionibus non reperitur, estque veluti Minoritica proprium distinctiuum à reliquis, & n. 171. fol. 102., & fol. 165. ait. *Concedo, quod communitèr in Religionibus essentialia vota eo modo consistunt, vt explicantur cum maiori, vel minori austeritate in singularibus declarata: Cum autem specialitèr in Ordine Minorum ex eminenti præcepto in solemnis voti professione comprahenso, eligatur omnimoda paupertas in particulari, & in communi, cum repugnantia ad possidendum, nulli non manifestum, quin in hac paupertatis singularitate sit quodammodo essentialis Minorum à cæteris Regularibus differentia constitutiua, intrinseca namque repugnantia, vel non repugnantia ad possidendum, grauissimam, & essentialem differentiam constituere, vel indicare, non dubitatur, qua repugnantia per mitigationem, atque dispensationem cessante, cessat, & illa essentialis differentia. Repugnantia namque ad possidendum in communi, & in particulari non est simplex gradus &c.*, vt in exordio capitis superioris fine, quam doctrinam superseminare sequuntur vsque ad finem operis, & num. 172. fol. 103., & 265. cit. de Ecclesiastica paupertate enunciant: *Si enim Pater Franchinus pro parte hæretici sic arguit. Ecclesia Dei repugnauit à principio possidere, & nunc possidet, ergo mutata: Nos primam partem antecedentis cum Catholica veritate negamus; si verò sic tantum arguat: Ecclesia Dei non possidebat à principio, & nunc possidet, ergo mutata: Nos quidquid sit de prima parte antecedentis pro nunc, quam, & negare tutissime possumus; negamus consequentiam, mutatio enim essentialis non inducitur ex simplici tali variatione, sed ex repugnantia, vel non repugnantia intrinseca, qua, iuxtà scholasticas doctrinas, non nisi ab intrinseco principio potest emanare: Cum ergo vero Minorita repugnet ex sua Regula professione possidere, sicut, & alia multa, quæ designantur in Regula; quis dubitet, illum esse à*

suo

suo statu in parte mutatum si ad possidendum habilitetur ab illo, qui legitimè valet per dispensationem habilitare, quamuis quo ad alia sibi non dispensata Minorita remaneat? Hæc est clauis aurea omnium dictorum Aduersariorum, dispensationem, adeò exturbare paupertatem Minoriticam, vt formam essentialem deperdat, aurum optimum vertat in scoriam, & non veros Minoritas gignat, sed hanc clauem non esse Cœli, non auream ad reserandam veritatem ostendimus proprijs locis. His igitur monilibus aureis (vt censent Aduersarij) antiquioritatem suam præ cæteris Minoribus, ornauerunt, & ad illam propugnandam has erexerunt turres, viam à cæteris non tritam calcauerunt, & semitam, vt autumant, rectam, alijs penitus ignotam, inuenerunt: sed scrutemur quæsò ipsorum dicta, & perscrutemus, an pergant per terram inuiam, & inaquosam, per quam iter facere non liceat, an verò per terram bonam.

Repugnantia, vt docet Pater Mastrius disput. 9. log. q. p. num. 2. diffiniri potest, quod sit relatio duorum extremorum simplicium, quatenus nequeunt habere identitatem quandam formalem, aut realem, vel quatenus eidem rei singulari, simul, secundum eandem rationem, & respectu eiusdem nequeunt inesse, in qua diffinitione exprimitur repugnantia tum formalis, quæ attenditur ex parte rerum simplicium, impossibilitatem identitatis habentium inter se, cum materialis, ex parte videlicet subiecti communis ipsarum rerum simplicium, seù formarum, cui simul aduenire nequeunt, & multò minùs in eo conseruari. Sicut autem possibilitas, seù non repugnantia ex Doctrina Scoti p. d. 36. q. vn. §. per idem M. est triplex, scilicet logica, quæ, vt docet idem Doctor p. d. 7. q. vn. K. §. ad quæst. *Dicit modum compositionis facta ab intellectu, & ista notat non repugnantiam extremorum, de qua dicit Philosophus 5. Meta. cap. de potentia: illud est possibile, cuius contrarium non est de necessitate verum*, seù vt docet ibidem L., & p. loco citato, est non repugnantia rerum, seù terminorum, obiectiua, quæ sequitur logicam, & est illa, secundum

dum quam, id quod logicè non repugnat, poteſt poni in eſſe à Diuina Omnipotentia, quæ reſpicit omne poſſibile, dummodo ſit aliud à ſe, ſeù, vt docet in 2. d. 12. q. p. B. §. eſt igitur videndum, eſt illa cuius virtute aliquid poteſt eſſe terminus potentiæ actiuæ agentis, ſeù ſecundum quam poteſt à ſuo agente effici, & poni in eſſe, & phyſica, ſeù realis, quam diſtinguit idem Doctor p. d. 7. cit. L. in actiuam, & paſſiuam; *Relinquitur*, inquit, *igitur potentia realis, quæ dicitur principium agendi, vel patiendi*, de actiua multa, ibi addit, concludendo cum Ariſtotele, quod ſit illa, quæ habet omnia requiſita ad proximè agendum, ſic paritèr impoſſibilitas triplex eſt, quia quot modis dicitur vnum oppoſitorum, tot modis dicitur alterum, ſcilicet logica, obiectiua, & phyſica, logica eſt repugnantia terminorum ad inuicem, vt nequeant per intellectum ad inuicem vniri, & componi, vt chimera, homo equus, &c. obiectiua, quæ ad logicam ſequitur, & eſt repugnantia continentiæ virtualis in potentia actiua, vt patet de eadem chimera, quę nullius potentiæ, vel omnipotentię Dei poteſt eſſe terminus, vel effectus, repugnantia autem, vel impoſſibilitas phyſica, eſt negatio nedum continentiæ virtualis, ſed etiam omnium requiſitorum ad agendum in cauſa, ſi eſt impoſſibilitas actiua, ſi verò paſſiua eſt negatio omnium requiſitorum ad ſuſcipiendam formam, vel eſſe. Repugnantia iterum ex Scot. in 4. d. 49. q. 16 §. ad primum, verſ. ad ſecundum, duplex eſt, virtualis, & formalis; *virtualitèr*, inquit, *repugnat cauſa naturalis, & oppoſitum ſui effectus. v. g ſi Cælum de hac materia produceret vermes, & ſi agens fortius ſuperueniret, & induceret in eandem materiam formam aliquam oppoſitam formæ vermis, iſta virtualitèr opponitur Cælo, vel Soli, formalis repugnantia eſt illorum, quæ ſecundum ſe, & ſuos effectus opponuntur, vt album, & nigrum*; dum autem Scot. docet, quod repugnantia formalis, eſt illorum, quæ ſecundum ſe, & ſuos effectus opponuntur, & addit, quod inter dimenſionem, & dimenſionem non eſt repugnantia formalis, quia talis non eſt niſi, quo ad idem ſubiectum, docet etiam dari

tertium

tertium genus, vel ſpeciem repugnantiæ, videlicet ſubiectiuam, quia formæ repugnantes formalitèr repugnant ſecundum propriam naturam, & effectus, vel quia nequeunt in eodem ſubiecto recipi, & ab eodem ſe inuicem expellunt, vt album, & nigrum, item repugnantia phyſica, & realis ex Sco. 2. d. 3. q. 2. §. contra, duplex eſt, ſimplicitèr, & ſecundum quid, repugnantia ſimplicitèr, eſt illa, quæ conuenit alicui ratione alicuius poſitiui, cui repugnat aliquid, ſic naturæ ſingulari ſimplicitèr repugnat diuidi in plura numero proptèr hecceitatem, quæ eſt differentia contrahens naturam communem, & conſtituens indiuiduum cum repugnantia ad diuidi in partes ſubiectiuas, repugnantia autem ſecundum quid, eſt illa, quæ conuenit alicui per ſimplices negationes, vel negationem ad oppoſitum repugnans, ità tamen, quod circumſcriptis per poſſibile, vel impoſſibile illis negationibus, poſsit ſtare cum illo. *Exemplum huius*, inquit Sco., *Si ſubſtantia intelligatur non quanta, non eſt diuiſibilis, hoc eſt non poſſibilis diuidi potentia propinqua, non tamen repugnat ſibi diuidi, quia tunc repugnaret ſibi recipere quantitatem, per quam formalitèr poſſet diuidi. Similitèr ſi non habere viſum tollat potentiam proximam ad videndum; non tamen facit repugnantiam ſimplicitèr ad videre; quia poteſt ſtare eadem natura poſitiua in qua fuit hæc negatio, & poteſt ſibi ineſſe oppoſitum illius negationis ſine repugnantia ex parte naturæ*. Tandem reperitur etiam repugnantia moralis, & Theologica, illa nota eſt philoſophis, & naturalitèr, & ſimplicitèr reperitur inter bonum, & malum morale, inter vitium, & virtutem, ſecundum quid verò inter conſuetudinem v. g., & eius oppoſitum; *Conſuetudinem enim mutare difficile eſt*, ait Ariſtoteles 7. Ethic. cap. 10. fine, *quia natura per quam ſimilis eſt*, non eſt tamen ſimplicitèr impoſſibile, vndè ibidem habet Philoſophus: *Incontinentes item ex aſſuetudine, quam ex natura ſanari facilius poſſunt, quippè cum conſuetudinem, quam naturam immutare facilius ſit, nam ob id quoque conſuetudinem, mutare eſt difficile, quia natura per quam ſimilis eſt, quemadmodum Euenus inquit*.

Con-

Consuetudo quidem rerum tractatio longa est:
Quam procedentem, naturam dicimus esse.

Quod etiam confirmat sect. 28. problem. initio. *Cur aliqui* (inquit) *agrotent, vbi vitam luxoriosam viuere assueti, agere luxoriosè cessarunt? vt Dionysius Tyrannus, qui in Vrbis suæ obsessione aliquantum temporis à potu solito destitit, tabe protinus interea laborauit. An consuetudo res magna cuique sit? iam enim in natura habitum fermè absoluitur: Ergo, vt pisces inter aerem, aut homo in aqua degens, male habeant necesse est, ità quod morem mutarint solitum, agrè, atque molestè ex consuetis discedunt, & eodem redijsse sibi saluberrimum habent, perindè quasi ad suæ naturæ statum redierint*. Theologica illa est, quæ nota est Theologis supposita Mysteriorum fidei reuelatione, & repugnãtia simplicitèr reperitur inter ea, à quibus per nullam potentiam, etiam Diuinam, tolli potest, vt inter peccatum, & virtutem Theologicam, quemadmodum etiam est repugnantia, quæ reperitur in oculo corporeo ad beatificam visionem, vt docet Scotus in quarto d. 49. q. 11. §. ad argumenta I., & in brutis ad visionem beatam; secundum quid verò inter ea, à quibus per Potentiam Dei absolutam potest tolli, vt est repugnantia, quam habet peccator habitualitèr ad videndum actualitèr beatificè Deum, quæ per Diuinam potentiam absolutam potest tolli, vt docet Sco. p. d. 44. q. vn. §. Respondeo prçcipuè litera E, vbi exẽplificat de Iuda, quem licet potentia ordinata, & secundum leges à se præfixas, saluare non possit, potest tamen secundum potentiam absolutam, & rectè, in qua quæst. declarat naturam potentiæ ordinatæ, & absolutæ, & quando potentia absoluta rectà excedit ordinatam, & in 4. d. 14. q. p. art. 2 L., & repugnantia, quæ viget inter peccatum, & gratiam, quæ paritèr secundum Diuinam potentiam tolli valet secundum eundem Doctorem 4. d. 16. q. 2. quod aliàs docuerat p. d. 17. in solut. q. p. 2. d. 28., & 35. q. p. sub f. 4 d. p. q. p. ad 5. & dist. p. q. 6. sub. d., & dist. 14. q. 2. initio, & alibi frequentèr.

Cum igitur Aduersarij velint paupertatem Minoriticam inclu-

includere intrinsecam, & essentialem repugnantiam, quæ est repugnantia simplicitèr, per illam enim, inquiunt, constitui essentialitèr paupertatem Minorum, & vt per differentiam constitutiuam etiam à cæteris Religionibus distingui) ad possidendum in communi, inspiciendum est, & examinandum quænam sit ista repugnantia, idest cuius generis, an logica, obiectiua, physica, virtualis, formalis, &c. an verò nulla.

Paupertas Religiosa, de qua sermo noster est, species paupertatis est in communi, quæ sub se continet paupertatem Philosophicam, & Theologicam; paupertas autem in communi potest diffiniri, quod sit indigentia rerum, quæ necessariæ sunt ad sustentandam vitam, & statum personæ: homo enim indiget in hac vita victu, & vestitu pro persona, & vita substentanda, & vlterius ad conuiuendum alijs, opibus, vt iuxtà gradum suum possit communionem habere cum alijs, & suo commodo prospicere, quod fieri non valet sine bonis fortunæ, dicitur autem indigentia &c., non priuatio, quia qui priuatus est omnibus bonis, miser omninò est, & egenus; *Paupertatem*, enim, ait Calepinus verbo: *Paupertas, quidam ab egestate ita distinguunt, vt egestas sit, quando ad victum necessaria desunt, Paupertas, quando licet non sint opes, tamen necessaria suppetunt*; Paupertas enim secundum nominis ethimologiam, dicitur parua pars, seù parua portio, exiguum patrimonium respectiuè ad diuitias, quæ dicuntur esse magnæ facultates, & pingues, & dicitur parua in singulari, quia vnica pars sufficit ad constituendum quem pauperem, ad faciendum verò hominem diuitem, pares requiruntur portiones, ac multæ, ideò diuitiæ dicuntur in plurali, ità Bordon: de paupertate Relig. refor. cap. p. q. p. Barth. à S. Fausto disp. 34. de vitio propr. in prol. nu. 15., quam veritatem est quoque prospicere in paupertate Religiosa Minorum, qui licet ex vi Regulæ abdicent à se omne proprium, & dominium, tam in particulari, quam in communi, non intendunt tamen se priuare necessarij s omninò naturæ, vt non possint illa sibi

vindicare occurrente necessitate modis proportionatis suo statui; vndè Nicolaus Tertius in Constit. *Exijt qui seminat*, *&c.* in 6. de verbor. signif. tit. 12. *Profectò*, inquit, *si* (*iuxtà promissum Saluatoris*) *nunquam deficiet fides Ecclesia: per consequens nec opera misericordia subtrahentur: ex quo Christi pauperibus omnis ratio diffidentia cuiuslibet videtur esse sublata: Et quidem vbi* (*quod non est aliquatenus prasumendum*) *hac cuncta deficerent, sicut nec cateris, sic nec ipsis Fratribus iure poli in extrema necessitatis articulo ad prouidendum sustentationi natura, via omnibus extrema necessitate detētis concessa, pracluditur, cum ab omni lege extrema necessitas sit exempta, nec talem abdicationis proprietatis omnimoda renunciationem, vsus rerum cuiquam videatur inducere; nam cum in rebus temporalibus sit considerare pracipuum, proprietatem, possessionem, vsumfructum, ius vtendi, & simplicem facti vsum, & vltimo tamquam necessario egeat licet primis carere posit vita mortalium: nulla prorsus potest esse professio, qua à se vsum necessaria sustentationis excludat. Verum condecens fuit ei professioni, qua spontè deuouit Christum pauperem in tanta paupertate sectari, omnium abdicare dominium, & rerum sibi concessarum necessario vsu fore contentam, nec per hoc, quod proprietatem vsus, & rei cuiuscumque dominium à se abdicasse videtur, simplici vsui omnis rei renunciasse conuincitur, qui inquam vsus, non iuris, sed facti tantummodo nomen habens, quod facti est tantum in vtendo prabet vtentibus, nihil iuris*; & sequitur ibi ostendere etiam, ex Regula ipsa prouisum esse necessitatibus Fratrum, vt concessione breuiariorum ad recitandum Diuinum officium, quod Ministri, & Custodes sollicitam curam habeant pro induendis Fratribus, & liberandis infirmis, quod pro mercede laboris pro se, & suis Fratribus necessaria recipiant corporis, exceptis denarijs &c. imò Ioannes XXII. in extr. *Ad Conditorem*, de verbor. signif. in 6. tit. 14. in rebus vsu consumpsibilibus vsum facti nedum competere Minoribus, sed etiam vsum iuris, nolens in his rebus posse vnum ab altero seiungi, definiuit, & Clem. V. in decret. *Exiui de Paradiso* in 6. de verb.

signif.

signif. tit. 11. id declarat his verbis, quibus manifestat, Minorum paupertatem necessaria vitæ humanæ non abhorrere, cum id facere nequeat, ait ergo post medium. *Rursus cum prædictus Sanctus, tam in exemplis vitæ, quam verbis Regulæ, ostenderit se velle, quod Fratres sui, & filij, Diuinæ prouidentiæ innitentes, suos in Deum iacerent cogitatus, qui volucres Cæli pascit, quæ non congregant in horrea, nec seminant, nec metunt, non est verisimile voluisse ipsum eos habere granaria, vel cellaria*, vbi quotidianis mendicationibus deberent sperare posse transigere vitam suam: Et idcirco non ex timore leui laxare se debent ad congregationes, & obseruationes huiusmodi faciendas, sed tunc tantum, cum esset multum credibile ex iam expertis, quod non possent vitæ necessaria alitèr inuenire. Hoc autem Ministrorum, & Custodum simul, & separatim in suis administrationibus, & Custodijs (cum Guardiani, & duorum de Conuentu loci discretorum Sacerdotum, & antiquorum in Ordine Fratrum consilio, & assensu) duximus iudicio relinquendum, eorum super hoc specialitèr conscientias onerantes, quam declarationem, concessionem appellat, & confirmat Ioan. XXII. extra. *Quorundam exigit, &c.* in 6. de verbor. signif. tit. 14. versus finem, dum habet. Eodem modo, eisdemque quodammodo rationibus inuitati, cum præfatorum Ministrorum, vel Custodum sub certa forma, simul scilicet, & separatim in suis administrationibus, & custodijs, cum Guardiani, & duorum de Conuentu loci discretorum Sacerdotum & antiquorum in Ordine Fratrum consilio, & assensu, prefatus Clemens, iudicio duxerit relinquendum, an sit multum credibile ex iam expertis, quod Fratres ipsi absque granarijs, & cellarijs, non possint vitæ necessaria inuenire, quo casu granaria, & cellaria, congregationes, & conseruationes huiusmodi eis ipse concessit, prout in prædictis eiusdem Clementis literis plenius continetur: Nos de prædictorum nostrorum Fratrum consilio, eorundem Ministrorum, & Custodum sub eadem forma, iudicio, presentium auctoritate committimus determinare, videlicet arbitrari,

atque percipere eo casu, qualitèr, vbi, quando, & quoties granum, panem, & vinum pro vitæ Fratrum necessarijs, Fratres ipsi quærere debeant, conseruare, siue reponere, etiam si reponenda sint in prædictis granarijs, & cellarijs conseruanda. Statuentes, & districtè præcipiendo mandantes, quod in prædictis, & his similibus eorundem arbitrium, determinationem, siue iudicium, Generalis quidem in totius, Prouincialium verò in Prouinciarum, Ministrorum, ac Custodum simul, & separatim administrationibus, & custodijs Ordinis memorati commissis eisdem, cum Guardiani tamen (vt suprà prædicitur) & duorum de Conuentu loci discretorum Sacerdotum, & antiquorum in Ordine Fratrum consilio, & assensu, Fratres omnes, & singuli, obsequi omnimodè, illisque parere per omnia teneantur. Ac insuper, quod illorum sequendo arbitrium, determinationem, siue iudicium, illisque parendo, nec dici possint, vel debeant, neque ipsi se ipsos autument suæ Regulæ, vel constitutionum sui Ordinis transgressores: ità disseruit Pontifex.

Paupertatem autem acceptatam voluntariè ad bonum finem, computandam inter virtutes morales sub genere temperantiæ, agnouere puri Philosophi, imò illam sequuti sunt, scribit proindè D. Thomas 2. 2. qu. 186. art. 3. ad 3. Dicendum, quod medium virtutis secundum Philosophum 2. Ethic. accipitur secundum rationem rectam, non secundum quantitatem rei, & ideò quidquid potest fieri secundum rationem rectam non est vitiosum ex magnitudine quantitatis, sed magis virtuosum, esset autem præter rationem rectam, si quis omnia sua consumaret per interperantiam, vel absque vtilitate: Est autem secundum rationem rectam, quod aliquis diuitias abijciat, vt contemplationi sapientiæ vacet, quod etiam Philosophi quidam leguntur fecisse, dicit enim Hieronymus in epist. ad Paulinum: Crates ille Thebanus, homo quondam ditissimus, cum ad philosophandum Athenas pergeret, magnum auri pondus abiecit, nec putauit se posse simul, & virtutes, & diuitias possidere, quod iterum recenset lib. 3. in D.

Matth.

Matth. cap. 19., & licet Aristoteles loquens de paupertate inuoluntaria, scribat 2. polit. cap. 7. ante medium: *multoties contingat homines valdè pauperes in hac potestate constitui* (idest Magistratus apud Ephoros) *qui proptèr egestatem venales sint*, alitèr tamen sentit de voluntaria sect. 29. prob. num. 3. dum quærit. Cur paupertas apud homines bonos potius esse, quam apud prauos soleat. An quia (Respondet) omnibus odio habetur, atque expellitur, ad probos perfugit, rata maximè apud eos salutem, permanendique locum se posse assequi? è contrario, si ad prauos venerit, nunquam eos fortuna ista fore contentos, sed vel furta, vel latrocinia adituros, quibus rebus futurum, vt ipsa amplius apud eos manere nequeat. An quia homines probos optimè se vsuros existimat, nec sibi petulantèr, contumelioseque quippiam facturos? itaque, vt nos pecuniarum deposita tutè hominibus bonis credimus, sic etiam hæc sibi dispensat, & statuit. An libentèr se ad viros optimos confert, quia fœmina est (loquitur per similitudinem) inopsque proindè, & virium, & consilij, vt huiusmodi hominibus commendatam se esse magnoperè velit, atque desideret? An quia mala est (loquitur de inuoluntaria) nunquam se malis iungere velit? nam si ità maluerit, omninò malum irremediabile ipsa reddetur. Dum enim paupertatem, ait cum probis libentèr associari, ac communionem habere, rata apud eos salutem habituram, illa se optimè vsuros, ab ijsdem commendatam iri, ostendit paupertatem voluntariè eligibilem esse, commendandam, & optimè illa optimos vti posse, idest virtuosè operando; Virtutes siquidem morales veras, licet non vt opportet, & directas ad verum finem, inueniri posse in puris philosophis nullum fidei lumen possidentibus, docuit Subtilis Doctor 3. d. 36. q. vn. art. 3. §. contra, vbi ait virtutes sine charitate posse esse perfectas in sua specie, & Augustinum contra Iulianum dicentem, non dari veras, & perfectas virtutes morales sine charitate, explicat eatenus dici non esse veras, quia non perducunt ad beatitudinem, in quo sensu etiam intelligendus est idem S.

Doctor tract. 45. in D. Ioann. post initium, dum ait. *Fuerunt ergo quidam Philosophi de virtutibus, & vitijs subtilia multa tractantes, diuidentes, definientes, ratiocinationes acutissimas concludentes, libros implentes, suam sapientiam buccis crepantibus ventilantes, qui etiam dicere auderent hominibus: Nos sequimini, sectam nostram tenete, si vultis beatè viuere; sed non intrabunt per ostium &c.* quibus postremis verbis assignat causam, quare non reperiantur veræ virtutes in Infidelibus, quia scilicet non dirigũt illas ad Christũ, non verò absolutè, & art. 4. §. quantum, vers. si quæritur vtrum fides, & spes sine charitate essent virtutes? & respondendo inquit. *Dici potest sicut prius dictum est de virtutibus moralibus, quod in specie sua possunt esse perfecta, in quantum scilicet sunt principia propriorum actuum respectu propriorum obiectorum, sed perfectionem illam vltimam, quam habent in attingendo finem, ad quem ordinantur ex charitate, non possunt habere sine ipsa.* Hanc veritatem doctissimè conuincit Eminentiss. a Lauræa disp. 5. art. 2. de virtutibus cardinalibus.

Porro paupertas Religiosa, quæ multò magis vera virtus est, & excedit paupertatem simplicitèr philosophicam; *Vnde multo magis*, ait Diuus Thomas loco cit. q. 186. 2. 2. art. 3. ad 3. *Secundum rationem rectam est, vt homo omnia sua relinquat, ad hoc, quod Christum perfectè sequatur; vndè Hieronym. dicit in Epist. ad Rusticum Monachum: Nudum Christum, nudus sequere*, diffinitur communitèr, quod sit voluntaria rerum temporalium abdicatio proptèr Dei amorem, eiusque sequelam, ità D. Bonau. in Apol. pauperum cap. 9. initio, Barthol. à S. Fausto loco cit. q. p. & colligitur ex D. Thom. mox cit. in corpore quæsiti, dum ait: *Et indè est, quod ad perfectionem charitatis acquirendam, primum fundamentum est voluntaria paupertas, vt aliquis absque proprio viuat, dicente Domino Matth. 19. Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni sequere me*, vt autem exprimantur omnia eius prædicata quidditatiua explicitè, commodius diffiniri potest, quod sit virtus religiosa, qua quis voluntariè abdicat

abdicat à se proprium pecunia æstimabile in voto solemni Religionis, ità Pater Bordonus de profess. Regulari cap. 24. de paup. Relig. num. 1., & seq. dicitur virtus, quia disponit habentem ad actum bonum, & honestum, vt renunciatio bonorum, vt expeditius Deo valeat seruire &c. dicitur Religiosa, per quod distinguitur à voto priuato paupertatis, quod non alligat vouentem alicui Ordini Religioso, dicitur voluntariè, ad differentiam paupertatis, quæ oritur ex deficientia inuoluntaria bonorum fortunæ, vel ex deficientia à casu, & fortuna, non à voluntate eligente abdicationem bonorum, dicitur proprium, quia alienum non est in potestate non Domini, sed tantum bona propria sunt in potestate abdicantis, & renunciantis, & hoc est ità essentiale huic voto, vt sine hac renunciatione intelligi nequeat votum paupertatis, vndè Sancti Patres, & Pontifices differentes de hoc uoto, omnes conueniunt esse proprij abdicationem, uideantur penes cit. Bordon. nu. 6 & tract. de paupertate Relig. refor. cap. p. num. 9. dicitur pecunia æstimabile, quia uouens paupertatem non intendit se priuare iuribus spiritualibus pretio incapacibus, ad quæ in Religione ius retinet, ut sunt publica officia, ius eligendi, præsentandi, confirmandi, Magisterium &c., dicitur in uoto solemni Religionis, quia uotum priuatum non constituit Religiosum, ut diximus.

Enascitur hic difficultas. An paupertas Religiosa sit species atoma, & specialissima paupertatis in communi, an uerò subalterna, sub se alias paupertatis species habens? Aduersarij, ut patet ex ipsorum propositionibus transcriptis, & allatis initio huius capitis, cum sustineant Minoriticam paupertatem habere essentialem repugnantiam ad omne dominium in particulari, & in communi, & per hanc repugnantiam essentialitèr distingui à paupertate aliarum Religionum, tenentur asserere paupertatem Religiosam esse speciem subalternam, & habere sub se has duas species Religiosæ paupertatis, Minorum scilicet, quæ excludit omne proprium in particulari, per quod communicat cum paupertate aliarum Religionum, & in

communi, secundum quam rationem constituitur intrinsecè, & essentialitèr, & distinguitur ab omnibus alijs Religionibus, & propterea habet Minorum paupertas repugnantiam ad dominium in communi, & in particulari, undè modificata deperdit essentiam suam, & substantiam, & aliarum Religionum, quæ excludit dumtaxat proprium in particulari, non in communi: sublata igitur repugnantia à paupertate Minorum, & ostenso nullam talem adesse, conficitur non distingui specie à Religiosa paupertate aliarum Religionum, sed solum secundum modum, & gradum, hoc autem licet plenè probari ualeat ex aliàs decretis, præcipuè in superiori capite, pleniùs tamen hic demonstrabitur, ut tollatur è medio omnis difficultas, & ambiguitas.

Ante resolutionem dicendorum pro certo supponimus paupertatem Religiosam nactam fuisse originem suam, ac sumpsisse initium à Christo Domino, qui statum Religiosum instituit, & ordinauit ex tribus uotis, obedientiæ, paupertatis, & castitatis perpetuæ concinnatum, eundemque in Apostolis fundauit, qui in manibus sui Magistri emiserunt eadem tria uota, & ideò ueri, & primi Religiosi etiam ex professione fuerunt, ut probant Doctores ex Sacris Scripturis, testantur Patres, & Pontifices, referente, ac probante Bordonio, to. 5. cap. p. de Religione ex profess. Regul. à nu. 9. & seq. ideoque, ut ait D. Thom. cit. 2. 2. q. 188. art. 7. ab Apostolis omnis Religio sumpsit originem.

Omnia ista uota, seù uirtutes has castitatis, paupertatis, & obedientiæ, nedum alijs consuluit obseruandas, uerum etiam suo exemplo firmauit Christus Dominus, & quidem parum fuisset Domino hortari Fideles ad prælibata uota, nisi ipsemet ea seruando docuisset agendum suo exemplo, sicut in Martirij adhortatione dicebat Sanctus August. in psal. 63. ad uers. 2. *Intendite. Parum ergo erat; Dominum hortari Martyres verbo, nisi firmaret exemplo*; imò, sicut, & cœteras uirtutes, illas obseruauit in statu heroico, & summo, sicut nec Apostoli, licet heroicè ipsi quoque illas adimpleuerint.

Et

Et descendendo ad paupertatem, Pauperrimus fuit Christus Dominus, & in tanta paupertate constitutus, ut de se ipso testatus sit D. Matth. 7. 20. *Vulpes foueas habent, & volucres Cæli nidos, Filius autem hominis non habet, vbi caput reclinet.* Hanc summam Christi paupertatem prosequitur Seraphicus Doctor tract. de paupertate Christi prima, & secunda quæst. illamque ostendit Sacræ Scripturæ testimonijs, & Patrum auctoritatibus, ut uideri potest, & quia prolixius illam oculis nostrarum mentium proponit in tract. in Apolog. pauperum cap. 7., arridet potiora hic transcribere, ut quisquam facile ex his hauriat, qua pressus uoluntaria, Dominus uniuersorum, paupertate, nobiscum in hac lacrymarum degerit ualle.

Ex his, inquit, post initium, *potest colligi paupertatis Euangelicæ ratio, scilicet, quod ipsa sit virtus temporalium abdicatiua bonorum. qua quis nil proprium habens sustentatur de non suo. Et quoniam dupliciter contingit rerum temporalium abdicare dominium, dupliciter etiam sustentari de non suo: ideò paupertatis Euangelicæ duplex est modus, duplexque perfectio. Cum enim duplex sit rerum dominium, scilicet priuatum, & commune; vnum quidem spectans ad determinatam personam, alterum verò ad determinatum Collegium, & primum abdicari possit, retento secundo, possit etiam secundum abdicari cum primo, duplex erit secundum hunc duplicem modum paupertatis perfecta professio; Vna videlicet, qua quis temporalium omnium priuato, seù personali abdicato dominio sustentatur de non suo, idest, non sibi proprio, communi tamen iure cum alijs participato, & simul possesso. Alia verò, qua quis omnium rerum abdicato dominio tam in proprio, quam in communi sustentatur de non suo, idest, non sibi proprio, sed alieno: piè tamen, & instè ab alio sibi per sustentationem collato. Prima paupertatis forma præcessit in turba credentium, de qua in actibus dicitur. Multitudinis credentium erat cor unum, & anima una, nec quisquam eorum, quæ possidebat aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Quem Scripturæ locum tractans Hiero. ad Demet. dicit: In actibus Apostolorum,* quando

quando Domini nostri Iesu Christi calebat Cruor, & feruebat recens in credentibus fides, vendebant omnes possessiones suas, & pretia earum ad Apostolorum proiiciebant pedes, vt ostenderent pecunias calcandas, & dabatur singulis, prout opus erat. Hic etiam tradita fuit forma Monastica, seu Cœnobitica vita, iuxta quod glossa Beda dicit ibidem. Qui ita viuunt, vt sint eis omnia communia, ideò cœnobitæ vocantur, quæ vita tanto fœlicior est, quanto statum futuri sæculi imitatur, vbi sunt omnia communia. Secundæ autem paupertatis exemplar, & forma in vita præcessit Apostolorum, quam perfectionis Magister Christus eisdem instituit, quando ipsos ad prædicandum misit, sicut legitur in Matthæo: Nolite, inquit, *possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in Zonis vestris, non peram in via, neq; duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam; dignus est enim operarius cibo suo; vbi glossa, præmedum necessaria vitæ amputat, ne vel curent de crastino, qui docent omnia regi à Deo, nec ipsa necessaria, nec cellarium secum vehant, nihil præter vestimentum, nec etiam numisma. In his igitur verbis, Dominus Apostolis, & Prædicatoribus veritatis, extremæ, ac penuriosæ paupertatis formam seruandam imponit, quantum ad carentiam non solum possessionum, sed etiam pecuniarum, & aliorum mobilium, quibus sustentari, vel communiri solet communis hominum vita, vt tamquam veri pauperes, in summa rerum constituti penuria, carerent pecuniis, alimenta non ferrent, simplici vestitu contenti essent, & sine calceamentis incederent, vt sic paupertatem altissimam, actu, & habitu, quasi quoddam perfectionis insigne præferrent*: Hanc *paupertatis normam tamquam speciali prærogatiua perfectam, & Christus in se ipso seruauit & Apostolis seruandam instituit, & his, qui eorum cupiunt imitari vestigia consulendo suasit: Quod enim Christus illam seruauit ostendit Chrysost. super Matth. Hom. 22. Ne possideatis*, inquit, *aurum, neque argentum, neque peram in via, quia enim per opera ostendit ea, tunc iam legislationem, quæ est à verbis validiorem inducit, quando, & facile susceptibilis sermo factus est operibus suis priùs certificatus; vbi igitur ostendit per opera*

audi eum dicentem: Filius hominis non habet, ubi caput suum reclinet, neque in hoc sufficit solo, sed, & discipulis tribuit hanc apodixin, hac uerba Chrysost. Glossa etiam super illud Matt. uulpes foueas habent &c. Quid me propter lucra saeculi uis sequi, cum ità sim pauper, ut nec hospitiolum, quod meum sit, habeam? Quod si fortè quis dicat non proprium habuisse hospitium, sed commune, obuiat idem Chrisost. in serm. de proditione Iudae: Quos, inquit, preciosorum marmorum pompa delectat, cognoscant Christum omnium Dominum, qui locum in quo reclinaret non habuit, & ideò Discipuli ipsum interrogant, & dicunt: Vbi uis paremus comedere Pascha? Sed si Christus habuisset domicilium commune, illud Discipuli non ignorassent, sed etiam Christus loco non caruisset, in quo caput reclinaret, & Pascha comederet, colligitur ergo ex interrogatione Discipulorum, & hospitij incertitudine, quod Christus domicilium non habuit, nec proprium, nec commune.

Arctissimam quoque Domini paupertatem declarans Hieronymus ad Nepotianum ait: Turpe est ante fores Sacerdotis Domini Crucifixi, & pauperis, qui cibo quoque uescebatur alieno, lictores consulum, & milites excubare. Fuit itaque Christus tamquam uerè pauperrimus, alieno cibo sustentatus; hoc ipsum Bernardus in quodam sermone super illud Lucae. Cum factus esset Iesus annorum duodecim apertiùs dicit. Vt te Domine per omnia nostrae paupertati conformares, quasi unus in turba pauperum stipem per ostia mendicabas. Quis dabit mihi bucellarum illarum mendicatarum participem fieri, & illius edulij reliquijs saginari? Anselmus etiam in lib. de Sacram. Pauper ità fuit Christus, ut ueniens in Mundum non in sua, sed in aliena domo nasceretur, & natus, propter inopiam loci, in Praesepio brutorum animalium poneretur, & uiuens in Mundo non haberet ubi caput suum reclinaret, nec moriens unde nuditatem suam tegeret, nec mortuus unde uolueretur, nec sepulchrum, aut locum ubi corpus mortuum locaretur. Ex his colligitur, quod Christus pauper fuit in ortu, pauper in uita progressu, pauper in termino. Sanè, ut hanc paupertatem amabilem redderet

Mundo

Mundo pauperrimam matrem elegit, paupertatis defectus voluntariè pertulit, & ut pauper, & inops discalceatus incessit. De paupertate namque Matris ipsius dicit Beda super Marc. Exponens Euangelium illud; Si quis mihi ministrat me sequatur: Consideremus, inquit, *qua uia graditur, ut sequi mereamur: Ecce cum Dominus sit Creator Angelorum, suscepturus naturam nostram quam condidit, in uterum Virginis uenit: nasci tamen in hoc Mundo per diuites noluit Parentes, pauperes elegit, unde, & agnus, qui pro illo offeretur defuit, columbarum pullos, & par turturum ad Sacrificium Mater inuenit. His concordat Chrisost. super Matth. Hom. 8. Pariens quidem Filium Virgo confestim illum in Præsepe reclinauit, quia multis conuenientibus propter descriptionem, non erat domum inuenire: Sed quid fuit quod suasit Magos adorare? Nihil enim sensibilium magnum erat illic, sed Præsepe, & Tugurium, & Mater pauper, ut nudam Magorum uideas philosophiam. Idem quoque in Homil. Ephip. de Magis loquens sic dicit: Viderunt pandochium tenebrosum, & sordidum, magis animalibus, quam hominibus aptum, in quo nemo erat contentus secedere, nisi itineris necessitate coactus, Matremque eius uix tunicam habentem unam, non ad ornatum corporis, sed ad tegumentum nuditatis proficientem.*

Quod autem pauperrimè uixerit: super illud Marci. Circumspectis omnibus &c. glossa declarat dicens; Circumspectis omnibus si quis eum hospitio susciperet, tanta enim paupertatis fuit, & ita nulli adulatus, ut in tanta Vrbe nullum inueniret hospitium. Super quem etiam locum Beda in origi. dicit: Intelligendum est, quod tanta paupertatis Dominus fuit, ut in Vrbe maxima nullum hospitem, nullam mansionem inueniret, sed in agro paruulo apud Lazarum, Sororesque eius habitaret. Constans est igitur, quod Christus non solum hospitio, sed & precio, quo illud emeret caruit, dum necessitate compulsus de Vrbe exiuit, illo uidelicet die, quo eandem Vrbem tamquam Rex asello uectus, intrauit hoc ipsum & glossa super illud Ioan: Venit Princeps Mundi huius, & in me non habet quidquam, expressius

asserit:-

asserit : Noluit Dominus habere, quod perderet, pauper erat, ne Diabolus haberet, quod auferret, sed omne temporale, siuè commune, siuè proprium, & auferri potest, & perdi. Tandem vt pauper discalceatus incessit, iuxtà quod Hier. ad Eustochium scribens ait: Dicipuli sine calceamentorum onere, & vinculis pellium ad prædicationem noui Euangelij destinantur, & milites vestimentis Iesu sorte diuisis, caligas non habebant, quas tollerent: Nec enim habere poterat Dominus, quod prohibuerat in seruis. Calceamentis igitur Christus, vt pauperrimus caruit, vestimentis verò necessarijs carere non potuit, volens tamen summæ paupertatis nuditate vitam concludere, nudus elegit in Cruce pendere. Hæc D. Bonauentura, cuius ex codice, quia non obuius, præfata hic inserere placuit ad commodum Lectoris, vt hæc teneat, & sequentia prudens aduertat.

Hanc autem summam, & altam paupertatem à se seruatam Christus Dominus Discipulis seruandam præcepit, vt ibidem Seraphicus Magister docere prosequitur his verbis: *Quia verò Magister, & Dominus Christus non propter se, sed nostri causa paupertatem assumpsit, vt perfectionem nobis exemplo monstraret, ideò Sacris Apostolis tanquam suæ Sanctitatis imitatoribus perfectis, hanc extremæ paupertatis formam seruandam instituit; sicut legitur in Matthæo, Marco, & Luca, quod quamquam ex ipso textu sit certum, & euidēs, ad omnem tamen dubietatis scrupulum amouendum, Sanctorum auctoritatibus confirmetur. Nam super illud Matth. Nolite*

possidere

possidere aurum &c. dicit Chrisost. Multa per hoc vnum emendabat; primum quidem non suspectos faciens Apostolos; secundo autem ab omni eos eruens sollicitudine, vt vacationem omnem tribuant sermoni, tertiò docens eos suam virtutem: hoc nempè eis, & postea dicit: Numquid aliquid defuit vobis, quando misi vos nudos, & discalceatos sine saculo, & infrà: Orbi terrarum Doctores erat missurus, propter quod, & Angelos eos ex hominibus, vt ita dicam, constituit, ab omni absoluens vitæ huius sollicitudine, & post. Intende qualitèr omnibus eos denudans, omnia eis dedit, permittens in domibus eorum, qui docentur manere, & nihil habentes introire. Si autem in aliena Patria existentes, & apud ignotos abeuntes, nihil amplius oportet petere quotidiano cibo, multo magis domi manentes. Hucusque Christo: idem quoque Hom. vlt super Matth. Si bonum esset aurũ habere, hoc vtique dedisset Apostolis Christus, qui ineffabilia eis tribuit dona, nunc autem non solum non dedit, sed etiam habere prohibuit, ideoque Petrus non solum non verecundatur, sed etiam decoratur in paupertate, dicens: Argentum, & aurum nòn est mihi: super præfatum etiam Matthæi locum Rabanus in originali sic dicit: Consequenter hoc præcepit Euangelizatoribus veritatis, quibus ante dixerat, gratis accepistis, gratis date. Si enim sic prædicant vt precium non accipiant, superflua est auri, & argenti, nummorumque possessio. Nam si habuissent aurum, vel argentum, viderentur non causa hominum salutis sed lucri causa, prædicare, idemque subiungit Qui diuitias detruncauerat, propemodũ necessaria vitæ amputat, vt Apo-

stoli Doctores veræ Religionis, qui docebant omnia gubernari Prouidentia Diuina, se ipsos ostenderent nihil cogitare de crastino: Ex hoc præcepto arguit Philosophos, qui vulgo appellantur Batroperitæ, qui contemptores sæculi existentes, & omnia, pro nihilo ducentes, cellarium secum vehunt. His etiam Beda super Marcum consonat dicens. Præcepit eis, ne quid tollerent in via, nisi virgam tantum: Tanta, inquit, prædicatori debet esse fiducia in Deo, vt præsentis vitæ sumptus quamuis non prouideat, tamen sibi eos non deesse certissimè sciat, ne dum mens eius occupatur ad temporalia, minus alijs prouideat æterna. Idem paulò post subdit: Illa Apostolis loquebatur, vt securi non possiderēt, nec portarent huic vitæ necessaria, nec magna, nec minima, ideò posuit, nisi virgam, ostendens à fidelibus omnia deberi Ministris suis nulla superflua quærentibus. His concordat Ambrosius super illud Lucæ: Nihil tuleritis in via; nec Virgam, nec peram, nec panem, nec pecuniam: Qualis debeat esse, qui euangelizat Regnum Dei, præceptis Euangelicis designatur, vt sine virga, sine pera, sine calceamento, idest, subsidij sæcularis adminiculum non requirens, fideq; tutus putet sibi, quo minus ea requirit, magis posse suppetere. Ad quod etiam facit, quod ab eodem dicitur super illud Lucæ: Nolite portare sacculum, neque peram: Si prohibemur possidere aurum, quid eripere? Petrus Apostolus primus Dominicæ executor sententiæ ostendens non in vacuum effusa Domini mandata, cum posceretur a paupere, ut ei pecuniæ aliquid largiretur, ait, argentum, atque aurum non habeo: tamen non tam in hoc gloriatur Petrus, quod aurum,


& argen-

& argentum non habeat, quam quod seruet Domini mandatum, quo præcepit: Nolite possidere aurum: Hoc est dicere: Vides me Christi discipulum, & aurum à me requiris? aliud nobis multò preciosius auro donauit. His Verbis Ambrosij August. concordat in lib. de mirabilibus Sacræ Scripturæ, sic dicens: In excusatione eleemosinæ, & paupertatis professione, Petrus paralitico dixit: Surge, & ambula, illud Magistri præceptum seruans: Nolite possidere aurum, neq; argentum, qui enim de iniquo Mammona expeditus fuerat, verbo Imperij, morbo ligatum citò, soluebat, & post multas Doctorum auctoritates his additas, tandem concludit. *Per hæc Sacrorum Doctorum testimonia manifesta, quam certa, & alia plurima (quæ causa breuitatis vitandæ resecantur ad præsens) irrefragabili potest ratione concludi, quod Christum, & Apostolos imitari non solum, quo ad abdicationem proprij tantum, verum etiam, quo ad extremam temporalium rerum penuriam, quæ consistit in carentia possessionum, & pecuniarum, non solum est licitum, sed & laudabile, & perfectum.*

Non tamen ex hoc debet, vel potest inferri, quod abdicatis rerum proprietatibus, possidere aliquid in communi sit imperfectum; quia sicut perfectæ castitatis diuersi sunt modi, quorum varijs prærogatiuis Sancta Mater Ecclesia, tamquam ornamentorum varietate, decoratur, sic, & in modis perfectæ paupertatis intelligendum est, quamquam non sit per omnia simile, hinc, inde, sicut, diligenter consideranti est euidens. Hæc S. Doct. eruditissimè scripsit.

Et post aliqua obiectionem ex D. August. de-

SCE[...] RIVI TORTI·



A·Sacellum[...]n°·14 latitudinis pal·12 lon[...]is pal·21
B·Ara cum [...]ci, et Socior Lacunar Arundine[...]um
altitudinis [...]cus Lectisterij S·P Francisci lon
pal·7 lat·is p[...]ci·m 2 F Cella fumarij, alti, et latit·is
pal·m 11 unci[...]atti·is pal·3 unc·2 H·Ianuę ingres[...]us
ad Camera[...] et Sempt·palm·2 longi·palm 14
ab Oriente[...]
Scala Pal[...] 30

sumptam soluit his verbis. *Nequaquam igitur à prædictis discordat illud Augustini verbum, quo contrà Adimantium Manichæum præfatum de paupertatis forma mandatum datum Apostolis, dicit, spiritualitèr esse perscrutandū, vel ut alibi dicit, permissiuè intelligendum; Nam cum Marcus dicat expressè, quod præcepit eis, ne quid tollerent in via, & ipse cum alijs expositoribus, sicut ex præmissis claret intelligendum ad literam doceat, si hoc simplicitèr alibi negaret, & Euangelicæ veritati, & Sanctorum Doctrinæ, simul ac suæ, apertè contradiceret, siuè contrairet, quod de tanto dici Doctore piæ Catholicorum aures abhorrent.*

Attendendum est ergo, quod cum Apostoli fuerint primi Fundatores Religionis Christianæ, & Professores perfectionis excelsæ; Professores inquam; & sicut priuatæ personæ, & sicut exemplaria quædam; prædicta Domini verba intelligere possumus eis esse dicta, tamquā Fundatoribus Christianæ Religionis, & sic intelliguntur extendi ad omnes, sed non omnes Christiani arctantur, ut hanc vitæ Regulam teneant, sicut Manichæi falsò dogmatizant, ideò contra ipsos loquens hæreticorum malleus August., ostendit, quod hæc verba spiritualitèr intelligenda sunt, si sic accipiantur tamquam omnibus sint præcepta. Possumus etiam intelligere prædicta uerba dicta fuisse Apostolis tamquam exemplaribus perfectionis, & sic intelliguntur per modum consilij, quod de se non obligat, nisi eos, qui hanc uiuendi formam uoluntariè profitentur, & uouent. Intelligere possumus insuper dicta fuisse Apostolis sicut certis personis, primisque Prædicatoribus Euangelicæ Legis, & sic cum duo insinuen-

tur in uerbis illis, scilicet, abdicatio temporalium, & receptio stipendiorum, primum intelligitur fuisse praeceptum, sicut dicit Textus, & Glos. undè Beda: Missis ad praedicandū Discipulis, ne quid tollerēt in uia praecepit, secundū autē non fuisse praeceptum, sed concessū, siue permissū, undè Glos. super illud Lucae: In eadē domo manete &c. Qui saccum, & perā prohibuit, sūptus ex praedicatione cōcedit, & Rabanus super Matth. Claret autem hoc Dominum non ita praecepisse, tamquam Euāgelistae uiuere aliundè non debeant, quam eis praebentibus, quibus annunciant Euangelium, alioquin contra hoc praeceptum fecit Apostolus; qui uictum de manuum suarum laboribus transigebat, sed potestatem dedisse, in qua scirent ista sibi dari, cui autem potestas datur, licet cuique non uti, & tamquam de iure suo cedere, haec Rabanus. Ex his colligitur manifestè, quod praedicta Domini uerba iuxtà considerationes praemissas intelligi possunt, & spiritualitèr, & ad literam, ut consulta, & praecepta, & permissa, proptèr quod omnis cōtrarietatis calumnia de medio tollitur, si multiformis huius acceptionis intelligentia sanè capiatur.

Post haec Sanctus Doctor ibidem distinguit varios gradus nuditatis, & paupertatis, ait enim. *His etiam non obsistit illud Hiero. ad Nepotianum, ubi dicit, quod uiuens de decimis, & altaris oblatione sustentatus, nudam Crucem, nudus sequitur, tamquam perfectae paupertatis summa consistat in uiuendo de decimis, & oblationibus, sicut Sacerdotes, & Clerici uiuunt; est enim multiplex gradus, & differentia nuditatis, alia quidem est cordis, alia cordis, & corporis, nuditas cordis est per expoliationem*

Spiritus

spiritus ab omni peruerso affectu auaritiæ, & cupiditatis, & de hac Greg. in hom. nudi cum nudo luctari debemus, quia si uestitus quisque cum nudo luctatur, citius ad terram deicitur, quia habet unde teneatur. Hoc quidem intelligitur generaliter dictum omnibus Christianis. Nuditas autē corporis, & cordis triplicem habet gradum, nam quædam est magna, quæ attenditur in abiectione omnis superfluitatis, & proprietate possessionis; & hæc quamquam non sit de necessitate, est tamen de congruentia status Ordinis Clericalis, & de hac Hier. ad Nepotianum. Si autem ego pars Domini sum, & funiculus hæreditatis eius, nec accipio partem inter cæteras tribus, sed quasi leuita, & Sacerdos uiuo de decimis, & altari deseruiens, altaris oblatione sustentor, habens uictum, & uestitum his contentus ero, & nudam Crucem, nudus sequar: est, & alia nuditas maior, quæ non solum consistit in his, uerum etiam in abdicatione potestatis possidendi proprium, & abnegatione propriæ uoluntatis, & hæc competit regularibus, & cœnobitis, de qua Hier. ad Eliodorum: Nolo pristinarum necessitudinum recorderis, nudos amat heremus, nudos intelligit non solum à facultatum appropriatione, uerum etiam à propria uoluntate, iuxta illud Bernardi de colloquio Simonis, & Iesu: Age ergo, & quia relinquere omnia disponis, te quoque inter relinquenda numerare memento, imò, uerò, maximè, & principaliter abnega temetipsum, si deliberas sequi ipsum, qui exinaniuit propter te semetipsum, est, & tertia nuditas, quæ consistit in his, quæ prædicta sunt, & insuper in abdicatione omnis transitoriæ facultatis, cum penuria, & indigentia

opportunæ sustentationis, & hæc competit Apostolis, & Apostolicis uiris, & de hac super illud Matth. qui potum dederit uni ex minimis istis, calicem aquæ frigidæ tantum in nomine Discipuli, non perdet mercedem suam. Glos. minimi sunt, qui nihil pœnitus habent in hoc Mundo, tales fuerunt Apostoli. Unde Hieronym. ad Exuperantium ait: Nemo Apostolis pauperior fuit, & nemo tantum pro Domino dereliquit; Vidua illa in Euangelio paupercula, quæ duo minuta misit in gazophilacium, cunctis præfertur diuitibus, quia totum quod habuit dedit. Hæc Hier. & D. Bonauentura.

Sed quia contra hanc paupertatem Christi Domini Iesus, & Apostolorum eius opponi potest, quod pluries in Euãgelio legitur habuisse loculos &c. ideò Sanctus Doctor id explanans, subdit paulò post.

Modus etiam, inquit, *Apostolicæ uitæ prædeterminatis non aduersatur, sed consonat; Quamuis enim legatur in actibus, quod multitudini credentium erant omnia communia, & quod uenditarum rerum precia ponebantur ad pedes Apostolorum, nequaquam est intelligendum, quod Apostoli proprium aliquid, uel commune possiderent, quia Communitas illa non refertur ad Apostolos, sed ad turbam, sicut Glos. ibidem insinuat. Discernit*, inquit, *Ordinem Doctorum, & Auditorum, nam multitudo credentium rebus spretis, copula caritatis inuicem iungebantur, Apostoli uerò uirtute fulgentes, Mysteria Christi pandebant: Hæc Glos. quæ per ipsum textum declarat, quod sicut illa rerum communitas erat turbarum, sic, & signorum uirtus erat Apostolorum; Nec huic repugnat, quod sequitur ante ipsorum*

pedes

pedes precia fuisse posita, quia vt dicit Hier. ad Demet. hoc faciebat, vt doceret pecunias esse calcandas, vel certè, vt se, ac sua Apostolicæ dispositioni committerent, sicut docet Ambros. super Epist. 2. ad Cor., vbi de Apostolis dicit: Quantum ad præsentem vitam pertinet pauperes videbantur, sed spirituales diuitias credentibus largiebantur, egeni in Terris, in Cælis diuites, vt nihil habentes, omnia autem possidentes, hoc enim fuit in Apostolis gloriosum, vt sine sollicitudine; & nomine possidendi, non solum ea, quæ in possessionibus erant, sed eorum dominos possiderent. Hæc Ambros. in quibus insinuat, quod Apostolis in sua egestate manentibus, eorum dispositioni, quo ad res, & personas primitiua illa Ecclesia suberat; hanc tamen rerum dispositionem maluerunt committere alijs, sicut in actibus consequentèr legitur: non est, æquum nos relinquere Verbum Dei, & ministrare mensis, quod quidem dixerunt, vt distractionem ministrandi refugerent, non quia per illud ministerium aliquid possiderent; vndè, & Petrus in eadem Vrbe vbi hæc fiebant pauperi à se eleemosinam petenti, respondit: aurum, & argentum non est mihi, vbi Glos. memor illius præcepti: Nolite possidere aurum, neque argentum, pecuniam, quæ ad pedes Apostolorum ponebatur, non sibi recondebat, sed ad vsus pauperum, qui sua patrimonia reliquerant. Hanc etiam formam paupertatis, & Ioannes Euangelista seruauit &c. cum Discipulis &c. & prosequitur idem exemplo Sancti Thadæi Apostoli, & D. Pauli &c. & paucis interiectis lineis, subdit: *Denique nec loculorum Christi ad præfatam perfectionis formam vlla inuenitur dissonantia, si quomodo, & quare ipsos habere dignatus fuit, pia mentis attentione pensetur: Nam Vnigenitus Dei cum diues esset in omnes, pro nobis à Deo factus egenus, vt alieno cibo vesceretur, non sine magna dispensatione Diuini consilij loculos fecit deferri, quorum tamen custodia illum deputauit discipulum quem furem, ac proditorem præsciebat esse futurum: Habuit enim loculos Christus ad consolandum infirmos, ad reuellendum improbos, & ad informandum perfectos; vndè, & huiusmodi actus, scilicet, habere loculos in Christo respectu infirmorum, fuit cōdescensiuus ad con-*

solandum eos, qui proprijs loculis carere non volunt, sicut August. ait in lib. de Opere Monachorum. Dominus more misericordiæ suæ infirmioribus compatiens, cum ei Angeli possent ministrare, loculos habebat, quibus mitteretur pecunia, quæ conferebatur vtique à bonis fidelibus eorum victui necessaria, quos loculos Iudæ commendauit. Respectu autem impiorum fuit actus commonitorius, primò quidem ad reuellendum hæreticos, qui loculos reprobant, & detestantur, vndè August. super Ioan Homil. 48. Quare loculos habuit, cui Angeli ministrabant, nisi quia Ecclesia loculos ipsius habitura erat? vndè, & loculos habebat, vt doceret non esse peccatum loculos habere. In his August. Manicheorum reuellit impietatem condemnantium Ecclesiæ statum propter rerum temporalium possessionem. Secundo commonitorius fuit ad deterrendum auaros, qui loculos concupiscunt, quamquam enim ad mitigationem cupiditatis Dominus Iudæ loculos commisisset, ipse tamen adeò cupiditatis igne exarsit, vt ipsum Dominum pretio paruo venundaret: vndè, & Chrisost. super Hom. 65. Si verò quis scrutabitur quid furi existenti loculos commisit pauperum, & dispensare fecit auarum existentem? vt omnem abscinderet occasionem: etenim sufficientem habebat ex loculo concupiscentiæ mitigationem, sed propter nequitiam multam, quam volebat comprimere, Christus, multa condescensione ad cum vtens, non incusabat surripientem, obstruens perniciosam, concupiscentiam, & omnem auferens occasionem. Hucusque Chrisost. apertè declarans, quod non penuria paupertatis, sed nequitia cupidæ mentis causa fuit tantæ impietatis, respectu verò perfectorum fuit actus informatorius; siquidem quantum ad modum habendi, forma fuit perfectionis in Ecclesiasticis personis, maximè cœnobitis, ut ad exemplum Christi, & Discipulorum eius, nullus sibi quicquam appropriet, sed habeant omnia in communi. Vndè August. Hom. 60. super Ioa. habebat Dominus loculos, & à fidelibus oblata conseruans, suorum necessitatibus, & alijs indigentibus tribuebat, tunc primum Ecclesiastica pecuniæ forma est instituta; vt intelligeremus quod præcepit non cogitandum de crastino esse, non ad hoc fuisse præceptum,

vt nihil pecunia seruaretur à Sanctis, sed ne Deo propter ista seruiatur. Hæc August. qui formam regulariter viuentium describens, sicut habetur 12. q. p. cer. ait Cũ huius nostræ Congregationis Fratres non solum facultatibus, sed etiam voluntatibus proprijs in ipsa Ordinis susceptione renunciauerint, certum eos nihil habere, possidere, dare, vel accipere sine Superioris licentia debere. Quantum autem ad modum dispensandi forma fuit perfectionis in Ecclesia Prælatis, vt exemplo Christi bona Ecclesiastica dispensent ad sustentationem Ministrorum Ecclesiæ, & ad Pauperum releuandas miserias; vndè Chrisost. super Ioann. Hom. 71. de loculis Christi loquens, quæstionem proponit: Qualitèr, inquit, *non peram, non virgam, non æs iubens deferre, marsupium ferebat? Respondens subdit: Ad inopum ministerium, vt discas quoniam valdè pauperem, & crucifixum huius oportet partis multam facere procurationem &c.* & post ibi: *Quantum verò ad modum viuendi forma fuit perfectionis ipsis Apostolis, ac cæteris huiusmodi paupertatem professis, vt cum ex amore paupertatis semper carere loculis cupiant, solum quando aperta necessitatis vrget articulus, loculos ferant. Ipse siquidem Christus sustentabatur à suscipientibus, vel à mulieribus comitantibus eũ, sicut in Luca scribitur, quod ibant cum eo mulieres, quæ ministrabant ei de facultatibus suis. Cum tamen per Samariam transiuit, in qua quidem Ciuitate, vt dicit Euangelista hospitium habere non potuit, de loculis vixit; sicut dicitur in Ioa. quod Discipuli abierant in Ciuitatem, vt cibos emerent, vndè super illud Lucæ: Quando misi vos sine sacculo, & sine pera, dicit Glos. Si per inhospitales regiones transimus, plura viatici causa licet portare, quam domi habeamus. Constat autem, quod valdè pauper est, qui plura portat in via, quam habeat vbi habitat habitatione determinata, quod si fortè quis dicat perfectionis formam nullo tempore esse intermittendam, Respondet ad hoc Beda super Luc. dicens super illud: Nunc qui habet sacculum, tollat similitèr, & peram: non eadem viuendi Regula, persecutionis, quæ pacis tempore insinuat: Sunt namque virtutes, quæ semper, obnixèque tenendæ sunt, & sunt quæ tempore, & locoque prouidæ*

sunt discretione mutanda; Quis enim nesciat viscera Misericordiæ, benignitatem, humilitatem, patientiam, modestiam, castitatem, fidem, spem, caritatem, & his similia sine villa temporum intercapedine esse seruanda? At verò famem, sitim, vigilias, nuditatem, lectionem, psalmodiam, orationem; laborem operandi, doctrinam, silentium, & cætera huiusmodi; si quis semper exequenda putauerit, non modo se horum fructu priuabit, sed & notam indiscretæ obstinationis incurret. Magister itaque Deusque virtutum, ut modum discretionis insinuet, missis ad prædicandum Discipulis, ne quid tollerent in uia præcepit; uidelicet, ordinans, ut qui Euangelium annunciant, de Euangelio uiuant, Mortis uerò tempore illo instante, & tota simul gente Pastorem gregemque persequente, congruam tempore decreuit Regulam, pecuniam, scilicet, uictui necessariam, donec sopita persecutorum insania, tempus euangelizandi redeat; tollere permittendo. hæc Beda. Ex prædictis igitur patentèr elucet, quod omnis perfectionis splendor, & speculum Iesus Christus ob sex rationes præfatas, ac triplicem utilitatem, aggregatione quadam in perfectionis senarium consurgentem, mirabili quodam modo in habendo loculos, & infirmos simplici modo consolatur, & impios dupliciter arguit, perfectos tribus modis informat, in quibus, & illud est omni admiratione, & laude, ac imitatione dignissimum, quod sic paupertatem Christus tenuit, ut statum diuitum non damnaret, sic, & habentibus pecuniam conformem se reddidit, ut paupertatis summa formam perfectè seruaret, undè super illud Matth Vade ad Mare. Glos: Dominus tanta fuit paupertatis, ut undè tributa solueret non haberet, Iudas quidem communia in loculis habebat, sed res Pauperum in usus suos conuertere nefas duxit, idipsum dans exemplum nobis. hæc glossa, non igitur loculi ad fomentum cupiditatis trahendi sunt &c. Hæc pijssimus Doctor, & de loculis Christi eadem scribit tract. cit. de paupert. Christi q. prima versus finem.

Ex disertissimo autem tanti Doctoris discursu de paupertate Christi, & Apostolorum, manifestè perhibetur summæ paupertatis Christi, & Discipulorum eius testimonium, cum

illa

illa iunxisse tempore necessitatis, & ob causas assignatas aliquando loculos, sine vlla summæ paupertatis violatione, ac læsione, Paupertatem rerum in particulari, & in communi fuisse Apostolis præceptam, nobis consultam, ac libertati commissam nostræ illam sequendi, Habemus etiam paupertatem voluntariam, quam Sanctus Doctor bis definit, primò, vt diximus §. ex his, quod sit *virtus temporalium abdicatiua bonorum, qua quis nil proprium habens, sustentatur de non suo*, Secundò, vt notauimus §. Porro paupertas, quod sit *virtus, qua consistit in abdicatione rerum temporalium proptèr Deum*, dupliciter posse perfectè profiteri, se expoliando bonis priuatis, non communibus, & vel bonis priuatis vnà cum communibus, ità vt sit virtus perfecta etiam retentis bonis in communi, solis priuatis dimissis, vt ex §. Ex his, inquit, §. non tamen, & §. modus etiam, medio. Posse item fieri transitum cum constantia summæ paupertatis ad possessionem loculorum in communi ob necessitatis rationem vrgentem, vt §. eodem, modus etiam, post medium, itemque post necessitatem, inuariata paupertate arctissima, dimissis loculis, posse paupertatem in communi reassumi, ità vt vtrobique constet inuariata paupertas essentialitèr, & virtute discretionis accidentalitèr variata. Quod paritèr Christus Dominus, & Apostoli habuerint seruatos loculos in communi, vt ex §. citato Modus etiam, medio, illis verbis: *Siquidem quantum ad modum habendi &c.*, & sine illis alijs verbis: *Iudas quidem communia in loculis habebat &c.* Tandem secundum hanc paupertatem hoc modo exercitam à Christo Domino, & Apostolis, neminem habemus fuisse Christo Domino, & Apostolis in Mundo pauperiores, vt §. post hæc fine, dixit cum D. Hieron.

Cum igitur ex his teneamus summam, & arctissimam paupertatem Christi Domini Iesus, & Discipulorum eius stetisse inconcussam, illibatam, & intemeratam cum retentione loculorum, quando virtus discretionis id agendum dictauit, hancque formam seruandi rigorosissimā paupertatem, mortis

suæ

suæ tempore decreuisse Dominum Seruatorem, & hanc dedisse Apostolis Regulam pro futuris post obitum eius temporibus, vt ex Beda Seraphicus Doctor instruit fine §. cit. Modus, obseruandam, manifestè conficitur nullam adesse repugnantiam ad possidendum in communi in paupertate Minoritica, nec illius destrui formam, variari essentiam, tolli quidditatem adueniente dispensatione illius, qui in Terris vices Christi Domini gerit, & super hoc auctoritate summa muniti, atque ab eodem decorati; licet autem dispensatio non sit in præsentiarum ad tempus, sed pro semper lata, nec sit eà necessitate vrgente, qua pressi fuerunt Christus Dominus, & eius Apostoli, edita, quia tamen magis, & minùs durare in rebus creatis non auget, nec minuit perfectionem, vndè si creatura permanens fuisset à Deo producta ab æterno, sicut fieri potuisse probabilitèr sustinet Doctor Subtilis 2. d. p. q. 3. §. tenentes autem, non esset infinita, sed finita, sicut quælibet in tempore producta, vndè §. tenentes istam positionem C. ait. *Ad quartum diceret aliquis pro ista uia, quod sempiternum esse, includit aliquam illimitationem, quia includit adequari Deo secundum aliquid, scilicet, secundum illimitationem durationis, quod non posset esse sine illimitatione entitatis, quia non posset sibi adequari in aliquo vno sine alio*. Respondet Doctor. *Sed hoc nihil est, quia etiam coexistens Deo hodie, non proptèr hoc aquatur æternitati, cui coexistit hodie, quia etiam æternitas, vt coexistit huic diei, est infinita, & independens, & creatura, vt hodiè coexistens æternitati, est finita, & dependens, & ideò non coæquatur sibi: oporteret igitur dicere, quod sempiternum esse, aliquam illimitationem dicit in creatura, vndè repugnet sibi, sed vndè sit illa illimitatio, & repugnantia, quilibet ostenderet per illam rationem fundamentalem, quam pro se poneret*. Hæc Doctor, ideò ex hoc capite maioris, & minoris durationis inferre non valet aliquis destructionem essentialem paupertatis, si ad tempus dispensatio exeat, vel ad perpetuitatem; tum, quia rerum essentiæ sunt sicut numeri secundum Aristotelem 8. Mett. Scot. 1. d. 17. q. 3. 20. §. ad istam quæst. art.

8. *Nam*

8. *Nam ablato, aut addito aliquo, ex quibus numerus est, non est amplius* (ait) *idem numerus, sed diuersus*: sicut igitur non mutatur substantia paupertatis ob dispensationem temporaneam, ità nec tolletur data perpetua dispensatione; Tum quia dispensatio temporanea, ac perpetua sunt eiusdem rationis, si prima igitur non infringit quidditatem paupertatis, nec secunda nocebit eidem. Dispensatio item non fit sine legitima causa à Pontificibus, sicut dispensatio Christi Domini, igitur non auertit, nec conuertit substantiam paupertatis, sicut non abstulit Christi Domini dispensatio.

Dices D. Bonauen. in Apol. Pauperum cit. fatis antè medium supra illa verba, vt in §. *Non tamen ex hoc &c.* adducit auctoritatem Gennadij de Eccles. dogmat. ad probandum proprium in communi non esse tantæ perfectionis, sicut eius abdicatio cum abdicatione proprij priuati, ait enim: *Gennadius quoque de Ecclesiasticis dogmatibus*: *Bonum est*, inquit, *facultates cum dispensatione Pauperibus erogare; sed melius est, pro intentione sequendi Dominum, simul donare, & absolutum sollicitudine, egere cum Christo, sed qui habet*, subdit Seraphicus Doctor, *vndè sustentetur, scilicet in communi, non propriè dicitur egere, nam de illis quibus erant omnia communia in actibus dicitur; nec erat quisquam egens inter eos, postremò, vt clarè nobis innotescat, quæ sit abrenunciationis forma perfectior, attendendum est, quod dicit Beda super illud Marci: relictis omnibus secutus est eum, perfectam nobis abrenunciationis formam tribuit, dum nonsolum lucra reliquit vectigaliũ, sed & pericula contempsit, tanta enim cupiditate sequendi Dominum ductus est, vt nullo prorsus huius vitæ respectu, uel cogitationem sibimet reseruauerit*, igitur &c.

Respondetur explicando Sanctum Doctorem, cum eiusdem doctrina superiùs allata, nam, quæ hic scribit intelligenda sunt extra statum necessitatis, sed quando aliter prouideri nequit secundum modum humanum, vt euenit tempore vicinæ Mortis Christi, & in furore persecutionis Christiani nominis, tunc eam Regulam dedit Christus suo exemplo

vtendi

vtendi bonorum possessione in communi, absque vlla paupertatis altissimæ violatione, quando enim tanta non adest necessitas, & fit dispensatio, tunc possessio rerum in communi non relinquit locum paupertati perfectiori, quo ad modum, salua eadem paupertate, quo ad substantiam, ac quidditatem, vndè subdit ibidem: *Non tamen ex hoc debet, uel potest inferri, quod abdicatis rerum proprietatibus, possidere aliquid in communi sit imperfectum*, Quando autem necessitas vrget, & virtus discretionis impellit ad possidendum in communi, nil id distrahere ab arctissima paupertate, docuit Sanctus Doctor in auctoritatibus allatis, vt diximus §. Ex disertissimo, & cum igitur,

Descendendo autem ad paupertatem Minorum, de qua, & proptèr quam hic laborando agimus, sæpius subintroierunt dubitationes circa illam, quas Summi Pontifices resecare non destiterunt, vndè Nicolaus Tertius (vel secundum alios Quartus, vt testatur etiam Io. XXII. de verb. signif. in 6. extra *Ad Conditorem*, & *Quia quorundam*) de verbor. signif. in 6. constit. *Exijt qui seminat* post initium in hæc verba descendit: *Porrò cum ipsa Regula expresiè contineat, quod Fratres nihil sibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem, sitque declaratum per eundem Prædecessorem nostrum Gregor. IX., & nonullos alios, hoc seruari debere, tam in speciali, quam etiam in communi, quam sic arctam abdicationem uenenosis obtrectationibus aliquorum insensata damnauerit astutia: ne Fratrum eorundem perfectionis claritas in talium imperitorum sermonibus laceretur, dicimus, quod abdicatio proprietatis hujusmodi omnium rerum non tam in speciali, quam etiam in communi propter Deum, meritoria est, & sancta, quam & Christus uiam perfectionis ostendens, uerba docuit, & exemplo firmauit, quamque primi Fundatores Militantis Ecclesiæ, prout ab ipso fonte hauserant uolentes perfectè uiuere, per doctrina, ac uita exempla in eos deriuarunt*. Hucusque ostendit Pastor Minores, obseruantes paupertatem cum abdicatione rerum in speciali, & in communi, sãctè, ac meritoriè operari, Summi,

ac

ac Sanctissimi Pastoris Christi tenentes vestigia, qui verbo docuit, & exemplo firmauit (quod ostendimus supra cum Seraphico Doctore) hanc viam perfectionis, & Fundatorum Ecclesiæ, nempè Apostolorum, vt pariter factum est apertum cum eodem Sancto Magistro.

Subdit hæc alia verba Pontifex. *Nec his quisquam putet obsistere, quod interdum dicitur Christum loculos habuisse, nam sic Iesus Christus, cuius perfecta sunt opera, in suis actibus uiam perfectionis, exercuit, qui interdum infirmorum imperfectionibus condescendens, & uiam perfectionis extolleret, & imperfectorum infirmas semitas non damnaret, sic infirmorum personam Christus suscepit in loculis* (hæc eadem diximus cum Sancto Bonauen. cit.) *sic, & in nonullis alijs infirma humanæ carnis assumens* (*prout Euangelica testatur historia*) *non tantum carne, sed, & mente condescendit infirmis: Sic enim humanam naturam assumpsit, qui in suis operibus perfectus existens, in nostris factus humilis, in proprijs permansit excelsus, sic, & summæ caritatis dignatione, ad actus quosdam nostræ imperfectioni conformes inducitur, qui à summa perfectionis rectitudine non curuatur: Egit namque Christus, & docuit opera perfectionis, egit etiam infirma, sicut, & interdum in fuga patet, & loculis, sed utrumque perfectè, perfectus existens, ut perfectis, & imperfectis se uiam salutis ostenderet, qui utrosque saluare uenerat, qui tandem mori uoluit pro utrisque.*

His dictis Nicolaus videtur sensisse Christum Dominum, Discipulos eius habuisse aliquid proprij in communi, idque hoc modo euincit Ioan. XXII. cit. extra. *Quia quorundam* circa medium. *Adhuc idem Nicolaus* (ait) *Prædecessor noster uidetur sensisse, quod Christus, & Apostoli etiam, quo ad proprietatem habuerunt aliquid in communi, cum enim in sua declaratione prædicta uerba de abdicatione proprietatis dixisset, respondens obiectioni tacitæ, quæ sibi de loculis, quos Christus habuisse in Euangelio legitur, poterat fieri, statim quæ sequuntur subiunxit. Nec his quisquam putet obsistere &c. infirmorum personam Christum asserit in loculis suscepisse, aliàs impertinens*

de

de loculis fuisset obiecto, nisi intellexisset Christum etiam, quo ad proprietatem loculos habuisse. Praeterea, si diceretur Christū in loculis habuisse tantummodo simplicem usum facti, frustra diceretur, quod in personam infirmorum ipsos Christus habuit loculos, cum secundum eum perfectis etiam conueniat habere simplicem usum facti.

Occasione autem sumpta à paupertate Minorum, se protrahente ad expulsionem bonorum in particulari, & in communi, maximæ lites, ac dissensiones subintroierunt in scholis inter Theologos, quæ vsque ad Ioann. XXII. temporalitæ concertationibus, perseuerarunt. Vna fuit, vtrum pertinacitèr affirmare Redemptorem nostrum, ac Dominum Iesum Christum eiusque Apostolos in speciali, non habuisse aliqua, nec in communi etiam, hæreticum sit censendum; diuersa, & aduersa etiam sentientibus circa istud. Altera, an Christus Dominus, eiusque Apostoli, in his, quæ ipsos habuisse Sacra Scriptura testatur, ius vtendi habuerint, vendendi, seù donandi, aut ex ipsis alia acquirendi. Tertia, tandem an possit dari nudus vsus seiunctus à quocunque dominio.

Primam, & secundam quæstionem dirimit Ioan. XXII. de verb. signif. in 6. extra. *Cum inter nonnullos*, ea siquidem in Constitutione definit erroneum, & hæreticum esse asserere Christum Dominum, eiusque Apostolos in speciali non habuisse aliqua, nec in communi: *Rursus*, inquit, *in posterum pertinacitèr affirmare, quod Redemptori nostro praedicto, eius Apostolis, his, quæ ipsos Sacra Scriptura testatur, nequaquam ius ipsis utendi competierit, nec illa uendendi, seù donandi ius habuerint, aut ex ipsis alia acquirendi, quæ tamen ipsos de praemissis fecisse Scriptura Sacra testatur, seù ipsos facere potuisse supponit expresè, cum talis assertio ipsorum usum, & gesta euidentèr includat in praemissis non iusta, quod utique de usu gestis, seù factis Redemptoris nostri Dei Filij sentire nephas est, Sacrae Scripturae contrarium, & Doctrinae Catholicae inimicum, assertionem ipsam pertinacem, de Fratrum nostrorum consilio deinceps erroneam fore censendam meritò, & haereticam declaramus.*

Verum

Verum his diffinitionibus non acquiescentes, vt tenebantur, aduersæ sententiæ propugnatores, nisi sunt temerario ausu plectibili illis detrahere, & veritatem per falsas insanias obfuscare, asserentes oppositum iam fuisse decretum à Prædecessoribus Ioann. XXII., Honorio, videlicet Tertio, Gregorio IX., Innocentio IV., Alexandro IV., Nicolao IV.; asserebant enim in confirmatione Regulæ Fratrum Minorum edita ab enumeratis Pontificibus hæc verba contineri: *Hæc est Regula Euangelica Christi, & Apostolorum imitatrix, quæ nihil in hoc Mundo habet proprium, vel commune, sed in rebus quibus vtuntur, habent simplicem vsum facti*, his addere præsumentes, præfatos Summos Pontifices, & multa Concilia generalia per clauem scientiæ diffinisse paupertatem Christi, & Apostolorum constitisse perfectè in expropriatione cuiuslibet temporalis dominij ciuilis, & mundani, & sustentationem eorum in solo, & nudo vsu facti etiam constitisse, ex quibus nitebantur concludere non licuisse, nec licere, ipsorum successoribus contra præmissa aliquid immutare; Ioann. autem XXII. his impetitus calumnijs, alteram edidit constitutionem. *Quia quorundam*, quæ habetur in 6. de verbor. signif. cit., in qua se defendens, mendacia aduersantium aperit, ostendens nequaquam verba illa in confirmationibus Regulæ Diui Francisci haberi, nec Prædecessores suos vnquam diffinisse Christum Dominum, nec in communi aliquid possedisse, & in rebus solum, vsum nudum sine iure habuisse, sicut, & Apostolos eius, iterumque hæreticum decernit esse, asserere Christum Dominum, & Apostolos, nil habuisse in communi, nec ius habuisse in rebus, quibus vtebantur.

Nos itaque, inquit, (in calce) *post longam discussionem, & improbationem dictorum Aduersariorum) ne fabricatores mendaciorũ huiusmodi, ac etiam assertores de tam pestifera, erronea, & damnata doctrina, confutatione, ac confusione vtique omni digna, gloriari valeant, & alios trahere in errorem cum ausu arreptando, ac petulantia improba, ausi defendere publicè fuerint damnatam per constitutionem prædictam hæresim, ac etiam probare,*

bare, videlicet, quod Christus, & eius Apostoli in his, quæ habuisse leguntur, tantum habuerint absque iure aliquo simplicem vsum facti, ex quo (si verum esset) sequeretur vsum Christi fuisse non iustum, quod profectò blasphemiam continet, & est Catholicæ fidei inimicum, cum hoc de pertinaci animositate, ac erronea non sit dubium processisse, omnes, & singulos, qui verbo, ac scripto per se, vel per alium, seù alios talia publicè præsumpserunt, ipsos quoque, qui eos docuerunt in talibus, & vt præmissa facerent, in damnatam incidisse hæresim, ac vt hæreticos euitandos fore, de Fratrum nostrorum consilio declaramus. Si quis autem damnatas per constitutionem: Cum inter prædictam: hæreses, vel ipsarum alteram deinceps scientèr verbo, vel scripto defendere, vel approbare præsumpserit, de Fratrum eorumdem consilio decernimus, vt tamquam hæreticus ab omnibus euidentèr habeatur.

In eadem decretali præmemorata: *Quia quorundam*, ostendit Pontifex, habere proprium in communi nil derogare altissimæ paupertati, sic post medium loquendo. *Nec hoc*, scilicet, in communi, *& quo ad proprietatem aliqua habere derogat iuxtà dictum Gregorij Noni prædicti, altissimæ paupertati, qui in quadam sua decretali dicit expresè Fratres Prædicatores, & Minores in altissima paupertate Christo pauperi famulari, & tamen constat ipsos Prædicatores habere in communi, etiam quo ad proprietatem aliqua, quod eorum Regulæ, & statui non repugnat. Hoc etiam Alexander Prædecessor noster præfatus in condemnatione libelli contra statum Prædicatorum, & Minorum editi videtur sensisse, in qua aliquando de dictis Fratribus, quæ sequuntur subiunxit. Cum insuper, respondet, ijdem Fratres omnia proptèr Deum dereliquerint, ex illa vitæ subsidia mendicantes, Christumque imitentur pauperem, perfectionem Euangelicam amplexando, proptèr quod euidentèr apparet eos nonsolum in statu saluandorum existere, sed etiam perfectorum, & per sua Religionis Obseruantiam, quæ quidem ipsius perfectionis Euangelicæ tenet formam, in æternæ retributionis præmio præcellentem gloriam promoueri; vbi quidem expresè dicit Prædicatores Christum pauperem imitari, ipsosque perfectionem Euangelicam amplexari, & in statu existere perfectorum,*

...uæ, quædque ipsorum Religionis Obseruantia perfectionis Euangelicæ tenet formam, & tamen constat ipsos habere posse, etiam quo ad proprietatem aliqua iuxtà eorum Regulam in communi. Nec obstat, quod dicunt Innoc. alias Cælestinum Quintum Prædecessorem nostrum dixisse altam paupertatem esse, habere pauca propria proptèr Deum, altiorem, quæ nulla habet propria, tamen habet in communi, altissimam, quæ nihil habet in hoc Mundo, nec in proprio, nec in communi. Dicimus quidem, quod hoc dixerit, non vt Papa, sed vt Frater Petrus de Tarantasia in quadam postilla sua; Quare dicta præmissorum Summorum Pontificum sunt ei meritò præferenda.

Sed quia Diuus Thomas 2. 2. q. 188. art. 7. vt diximus capite octauo §. Diuus Thomas, concedit excessum paupertatis posse facere Religionem perfectiorem secundum hoc, quod est pauperior, licet non simplicitèr, & consequentèr paupertatem denudatam omni possessione rerum in communi, & in particulari, esse perfectiorem aliquando, videlicet, dum non adest necessitas rerum in communi possidendarum, quod etiam docet Diuus Bonauentura hic allatus §. Dices, censeo dictum prælibatum Pontificum intelligendum esse de paupertate quidem altissima, sed non in omni gradu altissima, cum enim velint Prædicatores sine necessitate graui semper possidentes bona in communi, seruare altissimam paupertatem, & hoc non arrideat Sanctis Magistris, & forsan alijs, facile concordari queunt, dictum Pontificum intelligendo de altissima paupertate, quo ad rem, non quo ad gradum, & modum, potest enim summa paupertas habere latitudinem graduum, & suscipere magis, & minùs; & quidem certum est paupertatem Christi in Cruce denudati vestimentis, intensiorem fuisse paupertate Minorum decedentium cum vestibus suis, tunc enim habent vsum facti, & iuris secundum Pontificem Ioann. XXII. talium indumentorum, quo Christus carebat in Cruce nullius habens rei dominium; Neque Pontifices asserendo paupertatem Prædicatorum possidentium in communi esse altissimam paupertatem, id definie-

runt, vt de fide, vel vt quid spectans ad mores, Ioan. XXII. ibi loquitur disputatiuè, vt patet, & tunc attendit ad Regulam Prædicatorum præcisè inspectam, in qua quidem non vetat Sanctus Patriarcha Dominicus Filijs suis possessionem bonorum in communi, non verò, vt ab eodem Patriarcha arctatam ad abdicationem etiam bonorum in communi, vt diximus cap. 2. §. Non obstat, & cap. 5. §. Probatur 4., qua restrictione posita (vt aliqui narrauerunt, non curantes tamen de horum fide), fuit postea necesse à Pontificibus dispensationes obtinere pro possessione bonorum in communi, & ad eandem paupertatem indispensatam cæteri Pontifices etiam oculos fixerunt mentis, altiorem etiam fatetur præ cæteris Mendicantibus Minorum paupertatem Ioannes XXII. in decretal. *Ad Conditorem*, versus finem. *Dignum*, inquit, *arbitrantes, & congruum professores dicti Ordinis, non verbis tantum, non simulatis actibus, sed operibus claris, veritate fultis, perfectioris status, ac altioris paupertatis sibi prarogatiuam pra alijs Mendicantibus vendicare.*

Hoc igitur ratum habeamus Christum Dominum, eiusque prædilectos Apostolos habuisse aliquid proprij in communi cum iure illud vtendi, donandi, vendendi, permutandi &c., & hoc arctissimæ, altissimæque paupertati nil derogasse, hoc enim diffinitum est in præfatis constitutionibus: *Cum inter nonullos*, & *Quia quorundam*, cæterum, quia paupertatis virtus constare nequit cum proprietate priuata, & in particulari, hoc enim illi est essentiale, ideò Christus Dominus, & eius Apostoli promisione edita votorum paupertatis, castitatis, ac obedientiæ seruandę Christo, nil proprij in particulari possederunt, ideoque dum legitur in prædicta constitutione: *Cum inter &c.* initio. *Vtrum pertinacitèr affirmare Redemptorem nostrum, ac Dominum Iesum Christum, eiusque Apostolos in speciali non habuisse aliqua, nec in communi etiam, hæreticum sit censendum*; ly in speciali non refertur ad proprietatem in speciali, sed ad rem indiuidualitèr, habitam, v. g. ad vestes, & cibos, ac pecuniam emendicatam, vel

oblatam;

oblatam; vnde ſenſus eſt: An ſit hæreticum dicere Chriſtum Dominum, & Apoſtolos ejus, vſum juris non habuiſſe circa talia ſpecialia, & indiuidualia, quibus vtebantur, quod quidem hæreticum aſſerere definit Ioann. XXII, sed quia res illas non agnoſcebant, nec retinebant, abſque Chriſti licentia Apoſtoli, & Chriſtus Dominus, quia Prælatus erat, & ideò pro ſe, & pro alijs diſponebat, ideò poſſediſſe res illas non eſt dicendum in particulari, ideſt auctoritate propria, aliàs fuiſſent proprietarij, nam vt docet Scotus in p. d. 12. q. 2. §. Per idem verſ. ad aliud: *Proprietarius tantum dicitur ille, qui in habendo rem nullo modo dependet ab alio, vſuarius autem, qui in vtendo re dependet ab alio, non eſt propriè proprietarius*; quare aiebat D. Auguſt. relatus 12. q. 1., & à D Bonau. in Apol. paup. cit. cap. 7. verſus finem. *Cum huius noſtra Congregationis Fratres non ſolum facultatibus, ſed etiam voluntatibus proprijs in ipſa Ordinis ſuſceptione renunciauerint, certum eſt eos nihil habere, poſſidere, dare, vel accipere ſine Superioris licentia debere*: Monachi autem formam votorum ab Apoſtolis acceperunt, ſicut, & omnes Religiones. Patet etiam ex ipſis teſtibus conſtitutionum præfatarum, Ioa. XXII. diffiniſſe dumtaxat de dominio in communi.

Tertiam autem quæſtionem eadem occaſione paupertatis Minorum latè pertractarunt Summi Pontifices Nicolaus Tertius, vel Quartus, in conſtitutione *Exijt qui ſeminat* de verbor. ſignif. in 6. cit. & Ioann. XXII. extra: *Ad Conditorem* in 6. de verbor. ſignif. Primus ſuſtinuit Fratres Minores in vſu rerum ſibi licitè conceſſarum habere ſimplicem vſum facti, non iuris vſum, quem docuit remanere Summis Pontificibus, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ. Ioann. autem XXII. in citata conſtit., & in altera *Quia quorundam* oppoſitum ſuſtinet nedum in rebus vſu conſumptibilibus, in quibus probat Nicolaum à ſua ſententia non diſcordare, ſed etiam in re aliqua vſu non conſumptibili, ait enim in extra: *Quia quorundam*, abundè poſt medium. *Adhuc dicimus, quod eſt cum hoc impoſſibile, ſcilicet vſum facti ſimplicem abſque iure aliquo*

(quod nihil aliud quam ipsum vti propriè potest dici) posse in re aliqua etiam vsu non consumptibili ab aliquo obtineri, pro ut in decre. Ad Conditorem Canonum est probatum & August. de doct. Christ. tenet expressè. Nicolaus autem differit, quidem, verum recitatiuè dumtaxat loquitur nil definiendo, vt Pontifex, Ioan. verò XXII., & disputatiuè loquitur, & licet non definiat hæreticum esse oppositum affirmare, tamen sententiam oppositam adeò prosternit, ac refutat, vt illam tenentem, ac propugnantem, contumacem, ac rebellem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ declaret in fine decret. *Quia quorundam. Adhuc*, inquit, *qui constitutionem nostram: Ad Conditorem Canonum supradictam, insano ausu impugnare nisi sunt (sicut fertur) districtius de eorundem Fratrum consilio inhibemus, ne quisquam contra diffinita, ordinata, seù facta per ipsam verbo, vel scripto scientèr approbet aliquid, vel defendat, si quis verò contra præsumpserit tamquam contumax, & rebellis Romanæ Ecclesiæ ab omnibus habeatur.*

Hoc stante miror herclè satis adhuc litem hanc inter scholasticos versari, interque eos multos propendere in oppositam sententiam, illamque, vti probabiliorem defendere, ac in eorum defensionem asserere Ioannem XXII. obitus tempore mutasse sententiam, ac derrogasse suo asserto: Hoc quidem improbabile censeo, nec Pontifex satis superque doctus, vt patet ex eius decretalibus eruditissimis, constitutiones præfatas. *Ad Conditorem*, & *Quia quorundam*, inconsideratè super hac materia edidit; protestatur enim id egisse de consilio Fratrum, Prælatorum, ac Theologorum; Tum quia cum primam à se editam decretalem: *Ad Conditorem* multi oppugnarent, idque ad eius aures conuolasset, alteram. *Quia quorundam* promulgauit, priorem confirmans, ac muniens rationibus, in ea declarans contumaces, ac rebelles Ecclesiæ oppositum docentes &c. Accedit Pontificem hanc suam sententiam expressam in decr. *Ad Conditorem*, quam publici iuris fecit anno septimo sui Pontif Auenioni, sexto idus Decemb. conformem dedisse decreto fidei à se edito in altera decretali:

Cum

Cum inter nonnullos, quam per mensem effluxum prius promulgauerat secundo idus Nouemb., anno pariter septimo sui Pontif., definierat enim esse hæreticum asserere Christum Seruatorem, & eius Apostolos nil habuisse proprij, nullumque ius vtendi circa illa, quæ Scriptura Sacra testatur ipsos habuisse, cum ergo ab illo fonte, & ab illa sententia iam expressa, & promulgata in decretali *Ad Conditorem*; processerit diffinitio habita in constitutione: *Cum inter*, nil probabilitatis habet, ipsum postea sententiam variasse, de qua etiam mutatione nullum exstans testimonium authenticum, neque ipsius, nec posteriorum Pontificum valet adduci, & ideò non se contumacem, nec rebellem potuit Ecclesiæ priuatim declarare. De hac quæstione videre poterit studiosus lector inter alios Fabrum de pęnit. disp. 45. cap. 2., & Mastr. in sum. disp. 3. q. p. art. 2. a. num. vndecimo his præmissis.

Dico Minoriticam paupertatem essentialem repugnantiam non habere ad possidendum in communi, nec quidditatiuè excludere dominium rerum, siue mobilium, vel immobilium, ità vt dimissa auctoritate Pontificum, ad huiusmodi dominium, & possessionem, dicendum sit essentiam, ac substantiam propriam amittere, est contra auctores citatos initio capituli, vtque reor, solos, hanc docent Bordonus citatus in superiori capite de Relig. ex profess. Regul. cap. p. q. 41. à num. 260. cum Pel'z. & Tambur. ibi cit Mastrius in summa disp. 14. q. 5. art. 5. num. 40., & debet esse communis, & puto esse de fide.

Probatur primò nulla fuit in hoc Mundo, nec vnquam erit paupertas perfectior Christi Domini, & Apostolorum eius paupertate, summam paupertatem elegit sibi Christus Dominus, quam verbo, & exemplo docuit Apostolos, vt patet ex dictis cum D. Bonau. in hoc capite à §. Ex his inquit, hæc autem paupertas summa, altissima, & heroica, non habuit repugnantiam cum possessione rerum in communi, igitur, & nulla alia paupertas hanc repugnantiam habebit, nisi dicatur esse perfectiorem Christi Domini, & Apostolorum pau-

pertate; Minor patet, quia de fide eſt Chriſtum Dominum, eiuſque Apoſtolos poſſediſſe in communi, ac proprietatem, & vſum iuris habuiſſe, non ſimplicem vſum facti, de rebus, quibus vtebantur, & diſponebant, vt in Sacra Scriptura legitur, quemadmodum definiuit Ioan. XXII. in decretalibus ſæpius citatis, *Cum inter nonullos*, & *Quia quorundam*, vt diximus §. Primam, & ſequentibus, igitur nullam repugnantiam habuit ad bona in communi rigoroſiſſima paupertas Chriſti Domini, & Diſcipulorum eius, ergo &c.

Confirmatur à facto ad poſſibile valet conſequentia, ſed de facto paupertas altiſſima Chriſti Domini, & Diſcipulorum eius ſtetit, nulla ſuæ heroicitatis dimiſſa intenſione, cum poſſeſſione bonorum in communi, vt de fide eſt ex conſtitutionibus præmemoratis, igitur potuit cum illa conſtare, igitur non adfuit impoſſibilitas, ac repugnantia eſſentialis ad illam, alias poſito oppoſito fuiſſet eſſentialitèr deſtructa, cum eſſentiæ rerum ſint ſicut numeri, vt diximus cum Ariſt., & Scoto §. cum igitur, ergo & Minoritica paupertas ſtare poterit cum poſſeſsione bonorum in communi ſine tali repugnantia, ſiue ad tempus, & hoc exigente diſcretionis virtute, ſine diminutione ſuæ intenſionis, vel cum diminutione intenſionis, ſalua ſubſtantia, dum tanta non adeſt neceſsitas, conſequentia claret, quia Minoritica paupertas non eſt perfectior Euangelica, & eſt ad illius imitationem ordinata.

Probatur 2. de fide eſt Chriſtum Dominum in hac vita degentem altiſsimæ ſtuduiſſe paupertati, vſque ad mortem, illam Apoſtolis præcipiſſe, & iuxtà mandatum Præceptoris, Apoſtolos vſque ad obitum obſeruaſse, vt cum D. Bonau. remanet ſuprà probatum ex ſcripturis, & Patribus. De fide item eſt hanc paupertatem de facto bona in communi recepiſſe ſine ſuæ diminutione perfectionis; de fide eſt Regulam Diui Franciſci non eſse ipſum Chriſti Euangelium, vt diximus cum Eymerico ſuperiori cap. §. Eymericus, & §. Probatur 4., & diſpenſabilem eſse, & de facto diſpenſationem Io. XXII. de granarijs &c. licitam fuiſse, ita vt obſtinati in aſser-

tione

tione opposita, de illius mandato flammis viui fuerint exusti, de fide paritèr est paupertatem perpetuam, sicut, & obedientiam, & castitatem esse consilia Euangelica, non præcepta Christum sequentibus, & ad imitationem Christi, & Apostolorum posse Fideles illis se voto mancipare,& esse opus perfectum, ac meritorium, vt constat de Minoribus declaratum in decret. *Exijt qui seminat &c.* Nicolai quarti, aliquatenus post initium, illis verbis. *Porrò cum ipsa Regula &c.* adductis §. descendendo, & alijs. *Nec quicquam ex his insurgat erroneum, quod talitèr propter Deum proprietatem omnium abdicantes tanquam homicidæ sui, vel tentatores Dei viuendi discrimini se comittant*, & diximus cum D. Bonau. §. modus etiam, igitur de fide erit posse Regulam Minorum, ac paupertatem in illa præceptam, & secundum illam voto promissam Deo, stare cum bonis in communi, & ità conformari suo exemplari Euangelio, Christo, & Apostolis, igitur recedit repugnantia prætensa ab Aduersarijs.

Probatur 3. Hæc propositio. Regula Sancti Francisci est Euangelium Christi, & vnum, ac idem cum eo, hæreticalis est, & damnata contra Narbonenses. Hæc alia paritèr hæretica est, & proscripta: Papa non potest facere constitutionem, vel decretalem, per quam dispenset, ac concedat Fratribus Minoribus, quod possint habere bladum, vel vinum ad seruandum in cellarijs pro tempore futuro ad suum vsum, seù victum necessarium, & quod hoc esset facere contra Euangelicam Regulam Sancti Francisci, & Euangelium Christi, igitur oppositæ istis, videlicet, Regula Sancti Francisci non est Euangelium Christi, nec vnum, & idem cum eo: Papa potest dispensare &c. quia hoc non esset facere contra Euangelicam Regulam, & Euangelium Christi, sunt Catholicæ, quia oppositis opposita conueniunt, vnde ergo repugnantia in Regula Sancti Francisci? cur non contra fidem asserere huiusmodi repugnantiam adesse, vt dispensetur circa bona in communi?

Confirmatur. Hæreticum est impugnare dispensationem

factam in paupertate Minorum à Io. XXII., & tenere illam fuisse illicitam, ac peccaminosam, vt patet ex propositionibus damnatis, vt diximus cap. 8. §. Eymericus, igitur hæreticum erit asserere in Regula Sancti Francisci, & paupertate secundum illam promissam, adesse repugnantiam ad dispensari, quia si adest repugnantia, & repugnantia essentialis, ista nequit tolli per dispensationem.

Probatur 4. à facto ad possibile tenet consequentia, quia nullum impossibile poni potest in esse, de facto paupertas Minorum fuit legitimè dispensata cum constantia, & sui identitate, vt probauimus auctoritate Pontificum cap. superiori, & alibi, igitur fuit possibile ipsam dispensari, non igitur impossibile, seù repugnans est illam stare cum bonis in communi.

Probatur 5. Seraphicus Patriarcha Franciscus in primo suæ Regulæ capite, sic exorditur. *Regula, & vita Minorum Fratrum hæc est, scilicet Domini nostri Iesu Christi Sanctum Euangelium obseruare, viuendo in obedientia, sine proprio, & in castitate*, hanc autem vitam, & Regulam omninò committit dispositioni Papæ Honorij, & Successorum eius, & Ecclesiæ Romanæ: *Frater Franciscus*, inquit ibidem, *promittit obedientiam, & reuerentiam Domino Papæ Honorio, ac Successoribus eius canonicè intrantibus, & Ecclesiæ Romanæ*, in vltimo capite sic suam concludit Regulam. *Ad hæc per obedientiam iniungo Ministris, vt petant à Domino Papa vnum de Sancta Romana Ecclesia Cardinalibus, qui sit Gubernator, Protector, & Corrector istius Fraternitatis, vt semper subditi, & subiecti pedibus eiusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, stabiles in fide Catholica, Paupertatem, & humilitatem, & Sanctum Euangelium Domini Nostri Iesu Christi, quod firmitèr promisimus, obseruemus*. Vult igitur Sanctus Pater Fratres suos, eorum vitam, ac Regulam totalitèr commissos Pontifici Romano, & Ecclesiæ Romanæ, quis autem à Pontificibus ademit potestatem dispensandi, mutandi, imò destruendi Regulam, & vitam Minorum? cum hoc asserere sit damnatum etiam in

propo-

propositionibus contra Narbonenses, vt supra diximus cap. 8. §. Eymericus? igitur, & in Pontificibus adest potestas, & cum illorum voluntati subditos fecerit Sanctus Patriarcha Regulam, vitam, ac Fratres suos, nulla aderit repugnantia &c.

Probatur 6. Vel repugnat paupertati Minorum dispensatio, quia altior, & perfectior est paupertate Euangelica, vel quia illi similis, vel quia inferior, non primum, quia hoc hæreticum est asserere, nemo enim in hoc Mundo pauperior fuit Christo, & Apostolis, vt dictum est cum D. Bonau., non secundum, quia de similibus est idem iudicium, sicut igitur paupertas Euangelica suscepit bona in communi, ità per legitimam dispensationem poterit suscipere paupertas Minoritica, neque obstat tertium, quia promissio fit Euangelicæ paupertatis, quæ vt diximus, stetit cum bonis in communi, tum quia si de quo minus videtur non inesse, & inest, & de quo magis ex Aristotele 2. top. cap. 4., minus autem videtur debere coniungi altissimæ paupertati Christi, & Discipulorum proprietas in communi, quam paupertati Minorum, & tamen illi fœderatur, igitur huic etiam, licet in esse exercito non conueniat, præscindendo à dispensatione, in esse signato, tamen non repugnat, vndè poterit facta dispensatione cum illa, constante sui essentia, ac substantia, copulari.

Probatur 7. Repugnantia, quam dicunt Aduersarij essentialitèr includi in paupertate Minorum ad rerum possessionem non est, neque logica, neque obiectiua, neque physica, nec Mettaphysica, neque moralis, neque Theologica, factum enim dispensationis cum constantia subiecti, vt stabilierunt Clemens Septimus, & Vrbanus Octauus in præcedenti capite citati, idest, cum perfecta existentia quidditatis Regulæ Diui Francisci, ostendit nullam, & nullius speciei, & generis adesse repugnantiam, quia à facto ad possibile exonerata currit consequentia, igitur recedit omnis impossibilitas ad sui contrarij, vel contradictorij existentiam, videlicet possibilitatis cuiuscumque generis, & speciei dispensationis, Dico

Dico 2. Minorum paupertatem non distingui essentialitèr, & quidditatiuè à paupertate aliarum Religionum, quia cum illa repugnet societas bonorum in communi, cum paupertate verò aliarum, secus sit.

Probatur primò, omnibus rationibus superioris conclusionis destruentibus repugnantiam. Nulla adest commendata, & adinuenta repugnantia, igitur cum nil ab altero distinguatur per non ens,& per id quod nullo modo est, neque logicè, neque obiectiuè &c. non poterit &c.

Probatur 2. Differentia specifica, est *qua differunt à se singula, vel qua alteram facit speciem* secundum Porphir. cap. 4. de differentia, sed abdicatio rerum etiam in communi non est, qua,à Religione Minorum,differunt aliæ Religiones, seù quæ alteram facit speciem pauperum, igitur &c. Probatur Minor, quia Professi Societatis Iesu abdicant à se omne dominium rerum etiam in communi, vndè sunt incapaces hæreditariæ successionis, sicut, & Domus, & Ecclesiæ, & Collegia eorum ratione, etenim in Constitutionibus Societatis Iesu parte sexta cap. 2. §. p. Professi tenentur edere votum ad tenorem huius ordinationis. *Quicunque*, ità legitur loco citato, *in ea professionem emiserint, se ad innouationem Constitutionum in ijs, quæ ad paupertatem pertinent nihil facturos promittant, nisi aliquo modo pro rerum occurrentium ratione, eam in Domino magis restringendam iudicarent*. Quid autem de paupertate constitutiones ordinent, sic legitur p. 6. cap. 2. §. 2. *In Domibus, vel Ecclesijs, quæ à Societate ad auxilium animarum admittentur* (istæ sunt Domus Professæ) *redditus nulli, ne Sacristiæ quidem, aut Fabricæ applicati haberi possunt, sed neque vlla alia ratione, ità vt penes Societatem eorum nulla sit dispensatio, sed in solo Deo, cui per ipsius gratiam ea inseruit, fiducia constituatur, sine redditibus vllis, ipsum nobis prospecturum de rebus omnibus conuenientibus ad ipsius maiorem laudem, & gloriam*, & §. 12. eiusdem cap. iterum ordinatur. *Quo melius paupertatis puritas, & quies illa, quam secum affert, conseruetur, non solum particulares professi, vel coadiuto-*

coadiutores formati, hæreditariæ successionis non erunt capaces, verum, nec Domus, nec Ecclesiæ, nec Collegia eorum ratione, Igitur Professi Societatis Iesu edunt votum paupertatis abdicantis omne proprium tam in particulari, quam in communi, & hac paupertate, eorum ratione, viuere tenentur Domus professæ &c. id etiam aduertit Bordon. de Relig. ex profess. cap. p. q. 41. num. 264. cum Pelliz. tract. p. q. 25. num. 36. Tambur. tom. p. disput. 25. q. p. num. 119. De Sancto Caietano legitur in Breuiario Romano septima die Augusti lectione secunda. *Collapsam Ecclesiasticorum disciplinam, ad formam Apostolicæ vitæ instaurare desiderans, Ordinem Clericorum Regularium instituit, qui abdicata rerum omnium terrenarum sollicitudine, nec redditus possiderent, nec vitæ subsidia à Fidelibus peterent, sed solis eleemosinis oblatis viuerent.* Cum tamen in Regula Minorum cap. 5. legatur. *De mercede verò laboris, pro se, & suis Fratribus corporis necessaria recipiant*, præter denarios &c., & cap. 6. *Vadant pro eleemosina confidentèr*, igitur &c.

Ex omnibus autem hucusque dictis prudens concludere poterit lector euidentèr, cui Ordini Minorum veniat adiudicanda antiquioritas Originis, Institutionis, Fundationis, & existentiæ, vel temporis, de hac enim loquimur; neque enim antiquioritatem venamur ex habitus, & indumenti forma, & figura, de qua mutos esse debemus, ob Sacræ Congregationis Indicis Decretum, neque ex maiori antiquorum Conuentuum possessione, pluralitas enim ista Cęnobiorum maior, & extensior, merè accidentalis est, licet priscorum, & præcipuorum incolatus inuariatus, à posteriori optimæ concludat inhabitantium priorem existentiam, & antiquiorem durationem præ cæteris eiusdem instituti, & Regulæ professorum, nec tandem ex pura Regulæ Obseruantia, qualis à Sancto Institutore tradita fuit, in quo sensu ait Pater de Gubernatis tom. 2. Orb. Seraph. lib. 6. cap. 16. fol. 204. *Obseruantes ius antiquioritatis sibi deberi contendunt*, hanc enim puram Regulæ Obseruantiam Patres Capuccini seruant sine

antiquio-

antiquioritate, vt aliàs dictum est, quod si credant Patres de Obseruantia incępisse Obseruantiam Regulæ in puritate à die suæ institutionis, veritati non se credunt, dum ab ea recedunt, vt suo loco ostendimus, eosque extorres à veritate obiurgat Frater Pauluccius, eorum Pater, in eos exsibilant angues primæ eorum Domunculæ Brulliani, nec per hoc iuri suo cedent Patres Capuccini, ac contendent suppar cum Obseruantibus primatum, & antiquitatem, ob latam eorum intuitu ab Vrbano Octauo Constitutionem, *Saluatoris &c.* vti diximus cap. 6. §. Respondeo; imò Conuentuales ab hac antiquioritate se alienos, cum veritate, non esse tuebuntur, qui antequam dispensationibus adhærerent, Regulam in sua puritate amplexati sunt: remanet igitur antiquioritatem attendi debere dumtaxat à priori institutione Fundatoris manu habita &c. ex quo claret Patrem de Gubernatis loco citato ex non sufficienti diuisione accipiendi antiquioritatem processisse, dum ait ex triplici capite dimetiri posse, nempè ex antiquiori, & veriori habitus Minoritici forma, ex maiori antiquorum Conuentuum possessione, quomodo, inquit, Patres Conuentuales antiquioritatem sibi vindicare posse videntur, & ex pura Regulæ Obseruantia, qualis à Sancto Institutore tradita fuit, & ab Ordine Instituto conseruata, ex qua ius antiquioritatis sibi deberi contendunt Patres de Obseruantia.

Cum igitur, adlaborando veritati, cap. 2. ostenderimus Minores Conuentuales immediatè institutos fuisse à Sancto Patriarcha Francisco, eosdem nactos fuisse Conuentualium agnomen sub initio ferè Religionis Minorum cap. 3., Modernos Conuentuales cum priscis Religionis seruare identitatem cap. 5., à Minoribus Conuentualibus originem mendicatos fuisse Patres Regularis Obseruantiæ anno 1368., Prælato eorum primo existente Fratre Pauluccio Fulginate, a Ministro Generali Conuentualium deputato cap. 6., Patres Regularis Obseruantię fuisse Minoribus Conuentualibus subditos, & eorum Vicarios a Generalibus Ministris Conuentualium ad vsque eorum durationem, protensam ad annum

1517.,

1517., iugiter fuiſse confirmatos, cap. 7.

Concludat ęquus, ac bonus Lector, Conuentuales, antiquiores fuiſse, ac dici debere, præſentes, omnibus alijs Minorum Sodalitijs, & vnà ſimul parcat prolixitati, rogetque vt expoliari mereamur hac mortali ſarcina, caritate ergà Deum, ac Proximum feruentes, & onuſtos, vt hoc onere leui dimiſſo, ccleſte iter illicò arripiant Spiritus, Æther inhabitaturi ad ſeruiendum iugiter Deo viuenti, cui honor, & gloria in ſæculorum ſæcula ab electis ſuis adueniat.

Parcat Lector, nec recedat, cogor iterum ſuggeſtum aſcendere; declamandi materiam mihi ſubminiſtrant Aduerſarij, me expediam quam citò, & perſunctoriè loquar. Sed priùs loquentes attendamus Aduerſarios in Riui Torti Conuentum, & Aſſiſienſem Baſilicam, pro Conuentu Sanctæ Mariæ Angelorum; hæc eſt vnica cauſa remorandi ad breue tempus.

In antiquiorit. Franciſcan. fol. 47. num. 84., & tom. 2. Orb. Seraph. lib. 6. cap. 16. § 4 fol. 237 §. *Vnum meo videri*, ſcribunt. *Patrem à Filijs, Religioſum à Correligioſis ſepeliendum concedimus, at Seraphicum Patrem Franciſcum apud Conuentuales diem obyſſe Supremum, nullibi dictum, in prædilecta ſibi Eccleſia Portiuncula, apud ſua Regula Obſeruatores, hac vna de cauſa, quod ibi Spiritum perfectionis acceperit, Ordinemque ſuum inchoauerit, emori voluiſſe, nemo ibit inficias. Eccleſiam hanc, & Cœnobium veluti Ordinis Franciſcani Matrem, & Matricem, ac Regulæ firmamentum, vt à Sanctioribus ſuis Filijs è tota Religione ſeligendis in perpetuum conſeruaretur, ſæpiùs, & ſeriùs etiam in vltimo agone commendauit, & mandauit*, & paulò interiùs. *Quomodo autem factum ſit, vt Aſſiſienſis iſte, Paduanus S. Antonij, alijque primarij multi per Orbem Conuentus ijs remanſerint, qui ſubintroductas libertates, & mitigatiua priuilegia procurantes, Conuentuales poſtmodum fuerunt appellati, iam in ſuperioribus numeris abundè declarauimus*, & alibi, *quomodo priuilegio Gregorij Papæ præfati ob theſauri in ipſo repoſiti raram excellentiam,*

lentiam, non ex Fundationis antiquioritate, aut facti veritate, Assisiensis iste Sancti Francisci Conuentus, Caput, & Mater Ordinis inceperit appellari, absque tamen praiudicio, Sanctæ Mariæ Angelorum de Portiuncula, Basilicæ. Hac, indubitabili ex facti veritate, fundamentum est totius Religionis Minoriticæ, hacque sub conditione à Patribus Benedictinis concessa, à Sancto Francisco recepta, eiusdemque vltima, & viuida ex determinatione, primatus dignitatem in Ordine ipso, sibi vindicare non dubitatur, & iuxtà Sancti Patris extremam voluntatem veris Regulæ Obseruatoribus, permansit.

Sed, & num. 85. fol. 50. antiq. & fol. 238. §. *Eodem modo* Orb. Seraph. *Riui Torti Conuentum sub Assisio, nec in Mem. Ordin. nec in Bartholomæo Pisano, nec in Mariano, nec in Francischina, nec in Vuadingo Minoritarum antiquitatum accuratissimo indagatore, vsque ad annum* 1540. *memoratum inuenimus; vnde ipsum non à Sancto Francisco, sed nouissimè per ipsorum Conuentualium Magistros Generales, Patrem Catalanum, & alios extructum, communi ex assertione non dubitamus. Ibi Sanctum Franciscum cum paucis se collegisse, dum locum adhuc non haberet, vltrò confitemur cum Ordinis Chronicis, & Annalibus; Nullam autem, aut Domus, aut Ecclesia formam habuisse legimus ibidem, adeò vt Beatus Egidius Assisij natus, & educatus, dum Sanctum Franciscum quæritaret, hunc sub Assisio locum ex se reperire, nesciuerit: angustum adeò tugurium, vt duodeni Nouitij, non erecti, nec sedentes, ibi consistere possent, at confirmata per Innocentium Pontificem Regula, subitò Sanctus Pater de procurando loco, in quo religiosè conuiuere, & orare possent, pertractauit &c.*

Memini etiam, hanc eandem cecinisse cantionem in Eminentissimum de Luca, contrà cuius assertum, allatum à Patre Franchino sect. 2. antiq. de institutione Ordinis Minorum in loco Riui Torti, fol. 29. num. 60. Antiq. Franciscan., & tom. 2. Orb. Seraph. fol. 228. §. *Cardinalis de Luca*, dixerant, *Ordinem quippè Minorum non ad Riuum Tortum fuisse inchoatum, vbi nec Cellas, nec Altare, nec Oratorium, nec vbi spiritua-*

spiritualem, aut corporalem functionem in simul exercere possent, vnquam habuerunt, sed ad Ædiculam S. Mariæ Angelorum, primum à S. Francisco fuisse in se ipso formatum, anno 1208, *antequam Nouitios haberet, & statim à prima Regulæ confirmatione primum habuisse domicilium, testantur S. Bonauentura, Vuading., & omnia Ordinis monumenta, ante introductum nomen Obseruantium, & Conuentualium, exscripta, testatur, & ipse S. Franciscus in grauissima loci commendatione, antequam de hoc Mundo transiturus esset ad Patriam. Quod, & expressè confirmat Pius Secundus in sua Bulla, Sacræ Religionis &c. tertio nonas Maij* 1460., *dicens, Ordinem Minorum fuisse à Sancto Francisco incohatum ad S. Mariæ de Portiuncula. Vuading. tom. 6. in Regest. Bulla.* 17. *Pij Secundi.*

Tria hæc igitur sunt Aduersariorum asserta. Primùm, Sanctum Patrem Franciscum non dedisse Minorum Ordini initium in loco Riui Torti, quem inficiantur propterea dici Conuentum tunc temporis, quando inhabitatus fuit ab eodem Sancto Patre cum suis Primogenitis natis; eundem locum angustum vndequaque, ægrè nimis duodecim nouitios capere potuisse, cum in eo, nec erecti, nec sedentes consistere quirent, astruunt, item forma Domus caruisse, nullas ibidem Cellas, nec Altare, nec Oratorium fuisse, nec loca spiritualium, vel corporalium functionum simul exercendarum, adinueniri in eo valuisse.

Secundùm. Diffitentur Basilicam Assisiensem, vbi Sancti Patris Sacrosancta Lipsana reseruantur, Caput, & Matrem Ordinis Minorum dici debere secundum facti existentiam, licet dicatur ex priuilegio Gregorij Noni.

Tertiùm. Sanctum Patrem Franciscum primum lapidem Minoritici Ordinis posuisse in Ædicula S. Mariæ Angelorum; & propterea hanc fatendam Caput, & Matrem, ac Matricem, ac Regulæ Minorum firmamentum, sicut, & eius Cœnobium, hæc singillatim reicienda sunt, ideò sit.

DISSER-

DISSERTATIO
PRIMA.

Propugnatur Conuentus Riui Torti Primatus.

PRIMO, quia illi loco conuenit huius Primatus ius ad rem, & in rem, in quo ante omnes alios acceptati sunt Nouitij, primò primi, ab ijsdem cum S. Patre inhabitatus est, Regula Minorum disposita, proposita, & acceptata, & obseruata, iuxtà illam Minores dicti, hęc omnia contingerunt in loco Riui Torti, secus dicendum de quocunque alio excogitabili, igitur Riui Torti locus primatum possidet; Maior patet, quia omnia enumerata essentialitèr respiciunt inceptionem Ordinis, eiusque institutionem, & primam erectionem à fundamentis, ac primo lapide, Minor probatur tum testimonio P. Marci Vlysipp. p. p. Chron. Ordinis lib. p. cap. 8. 9. 11. 12. 14. 15. sed cum capitum numerus sit confusus, legantur Chron. à cap. pręcipuè 8. cum tota sequenti historia acceptationis Nouitiorum vsque ad numerum vnum de duodecim, primæ Regulæ constructionis, approbationis, & confirmationis ab Innocentio Tertio, regressus ad eundem locum, cum eodem numero filiorum iam professorum in manibus Pontificijs, apparitionis super igneum currum, existentibus natis in eodem loco, & tandem recessus ab eodem, vt pergerent ad habitandum penes Ecclesiam Sanctæ Mariæ Angelorum, tum P. Vuading. tom. p. Annal. ad annum 1208. fol. 42. nu. 10. hæc asserentis. *Habitabant*

bitabat illa amplissimi sodalitij tenuis primitiæ in derelicto quodam tuguriolo in solitario loco à turba remota, nec omnibus obuia iuxtà sinnosum fluuiolum vulgaritèr, Rigo Torto, dictum; Semitam ignorabat Egidius in Triuio positus iuxtà leprosorum Xenodochium, & ne erraret instantèr Dominum orauit, vt gressus suos dirigere dignaretur ad locum, quem Sanctus hic colebat trium viratus &c., & prosequitur acceptationem eius ad Ordinem narrare, sicut, & aliorum, ordinationis primæ Regulæ, iuxtà sensum etiam Nouitiorum, à quibus fuit libentèr acceptata, decretum de eundo ad Pôtificem pro approbatione, & confirmatione, &c., iuxtà descriptionem prædictam P. Vlysip. tum Aduersariorum, non diffitentium inhabitationem primam cum primis Nouitijs in eodem loco ante Regulæ approbationem, igitur &c.

2. Quia obtenta à Pontifice Innocentio Tertio approbatione, & confirmatione Regulæ primæ præmemoratæ, Aue dicto Apostolicis liminibus, Sanctus Pater, & Patriarcha Franciscus cum suis, iam eandem Regulam professis in manibus Summi Pastoris, non alio diuertit, quam ad eundem locum Riui Torti, vbi non paucos transegit dies, iuxtà testimonium P. Vuadingi, & Chronol. Seraphicæ. Regressum hunc Romanum, & incolatum in prælibato loco commemorat Sanctus Bonauentura in legenda Sancti Francisci to. 7. fol. 279. cap. 4. *Recolegit*, inquit, *itaque se vir Dei cum cæteris socijs, in quodam tugurio derelicto iuxtà Ciuitatem Assisij, in quo secundum Sanctæ paupertatis formam, in labore multo, & inopia, victitabant*; paulò post. *Contrahentibus autem Fratribus moram in loco præfato, vir Sanctus die quodam Sabbathi Ciuitatem Assisij &c.*, narrat apparitionem Sancti Patris in curru igneo Fratribus factam, existentibus in eadem domo, mediæ noctis silentio &c. quod miraculum ex eodem Sancto narrat Pater Marcus cit., & alij. Vuading. ad annum Christi 1210. Religionis tertium loco cit. num. 23. fol. 66. hæc scripsit. *Recolegit itaque se vir Dei cum cæteris socijs in eo, quod suprà insinuauimus tuguriolo iuxtà Ciuitatem Assisij, Riuus Tortus, seu*

sinuosis, dicto &c. & post: *In hoc angusto viuorum, vel etiam Mundo mortuorum, sepulchro, incredibili amore, vnanimitate, ac spiritus alacritate, non paucos transegerunt dies secundum Sanctæ paupertatis formam &c.* Auctor Chronol. Seraph. sæpiùs cit. fol. 8. post approbationem Regulæ obtentam ab Innocentio Tertio, hæc scribit. *Roma regredientes in vallem Spoletanam &c. Recolegit itaque se vir Dei cum suis socijs in tuguriolo iuxta Ciuitatem Assisij, Riuus Tortus, dicto &c., in hoc ergo angusto viuorum sepulchro incredibili amore, vnanimitate, & spiritus alacritate, non paucos transegerunt dies &c.* In hoc igitur Sancto loco habemus initium Religionis Minorum, acceptationem, & incolatum Nouitiorum, remorationem post confirmationem Regulæ, moram Nouitiorum olim, iam votis, & Regulæ mancipatorum, igitur &c.

3. Quia post hæc omnia, vt narrauimus, habita, cum Sanctus Pater cœlitus nosceret Ordinem suum multiplicandum in proximo, ac per Orbem vniuersum dilatandum, & ideò in ea Domuncula cæteros Religionem suam sequi inhiantes, inibi ad habitandum recipi non posse, aliò pergere, nouumque locum, huic primo, & antiquo addere, cogitauit, missisque oratoribus ex suis ouibus ad Pastorem Assisinatem, & ad eiusdem Ciuitatis Canonicos, vt exorarent pro aliquo loco assignando, remissis vacuis nuncijs, illos ad Abbatem Sancti Petri, ex Ordine Sancti Benedicti destinauit, & ab eodem impetrare benedictionem meruit, concessa sibi prædilecta Ecclesia Sanctæ Mariæ Angelorum. Hunc locum igitur Sanctus Pater cum suis prognatis colere cepit, digressus à primo habitaculo Riui Torti, igitur Riuus Tortus, à quo recessit post ipsum moraturus in gurgustiolo Sanctæ Mariæ Angelorum adhærente, sibi benignè à pio Sacerdote D. Petro de Mazancolis cesso, & concesso, primatum seruat super Sanctæ Mariæ Angelorum locum. *Post hæc*, inquit S. Bonauentura cit., *Pusilli gregis Pastor Franciscus ad Sanctam Mariam de Portiuncula duodenarium illum Fratrum numerum superna gratia præeunte deduxit.* Imò Sanctus Pater suos filios alloquens, hæc

verba

verba fecisse narrat Vuading. tom. p. cit. fol. 67. nu. 26. *Porrò multi sunt, qui vestræ student societati, quos ego admittere non possum, donec habeam, vnde eos congregem, alia indigemus capaciori domo, in quam recipiantur, nec minor necessitas Ecclesiæ, in qua omnes Sacrum audiamus, canonicas soluamus horas, & si quis nostrum obierit, in pace requiescat.* Sequitur Vuadingus recensere historiam concessionis Sanctæ Mariæ Angelorum, & gurgustij donati à præfato Sacerdote, & fol. 68. nu. 30. addit. *Summo mane iussit socium, vt reliquos vocaret è priori tuguriolo, & quam habebant pauperem suppellectilem secum transferrent in gurgustium fano vicinum, quod sponte cedebat Vrbanus ille Sacerdos.*

4. Quia nunquam Religio Minorum totalitèr ab illo recessit, loco, ex traditione maiorum, certum habens ibi primum pedem fixisse Sanctum Patrem, ac primos eiusdem filios, illum nunquam colere destitit, sed potiùs vnionem curauit cum Sacro Assisiensi Conuentu, & illam ingitèr seruat, nec mirum, quia Sanctus Pater Franciscus Sospes adhùc, adepto Sanctæ Mariæ de Angelis loco, non clausit à foris ostium Riui Torti loco, sed in eo etiam suos morari sibi arrisit, inibi eos etiam educare complacuit, suggerit mihi veritatem hanc Pater Dominicus de Gubernatis tom. p. Orb. Seraph. lib. 2. cap. p. nu. 1. fol. 26., vbi differens de prima Fratrum Minorum per Sanctum Patrem educatione, post pauca, hæc etiam interserit. *Ad hæc in Riui Torti tuguriolo, in Sanctæ Mariæ Angelorum Ædicula, & in omni diuersorio, eos quasi turtures ad planctum, quasi generosas aquilas ad prædam, quasi Leones ad prælium, contra Mundum, & Infernum, quæ Christo docente didicerat, edocere nunquam destitit*; in vtroque igitur loco moram trahebat, & incolatum, & in vtroque Sanctæ operationis exercitium suos instruebat, & ad viam salutis perducebat, vt Deo pleniùs, ex caritatis affectu, seruirent.

Dices, licet in Riui Torti loco Sanctus Pater cum paucis se collegerit dum locum aliundè non haberet, nullam tamen, aut Domus, aut Ecclesiæ formam habuisse legimus, adeò vt

Beatus Ægidius Assisij natus, & educatus, dum S. Franciscum quæritaret, hunc sub Assisio locum, ex se, reperire nesciuerit.

Adde fuisse tugurium adeò angustum, vt duodeni iam Nouitij, non erecti, nec sedentes ibi consistere possent, vndè statim, confirmata per Innoc. Pontif. Regula, Sanctus Pater, de procurando loco, in quo religiosè conuiuere, & orare possent, pertractauit.

Tum quia in eo loco, nec Cellæ, nec Altare, nec Oratorium, nec vbi spiritualem, aut corporalem functionem simul exercere valerent portio inuenta fuit, vndè Vuadingus cit. num. 23. fol. 66. inquit; *Adeò angustum fuisse commemorant Bernardus à Bessa, & Iacobus Oddo Perusinus, vt vix in eo simul omnes sedere, nequaquam protenso corpore iacere valerent.*

Respondetur concesso eum locum cum non fuerit tunc temporis ad vsum Ecclesiæ destinatum, vtique Ecclesiæ formam non prætulisse; cæterum omnia alia simul, & disiunctiuè negamus.

Angustiam propositam, & relatam ex Bernardo, & Iacobo, nullatenus admittimus, quam solum refert ex aliorum sententia Vuadingus, sed quæ subdit ostendunt illorum dicta infringere (ne dicamus ipsum sibi, illicò contradicere) ait enim. *Vt commodius absque alternis molestijs, vel quiescerent, vel orarent, suum cuique statuit locum Deuotus Pater, signatis omnium nominibus super sublicias, seu trabes humilis Ædiculæ.* Si vndecim mansiunculę, cuiq; ex professis discipulis descripto nomine, ne vnus in alterius cellulam impingeret, & sic confunderentur sæpissimè, sine adiutorio Diui Petri, qui auebat tria in Taboreo Monte exædificare Tabernacula, distinctæ sunt à Sancto Patre, & vnicuique propria consignata, retento adhuc sibi receptaculo, vbi à reliquis remotus orare, dormire, legere &c. valeret, vndè tanta arctitudo, & angustia?

Si sublices ibi, & multas in mœnijs insertas meditari debemus, ne in aere substitisse, miraculo adhùc inaudito commentemur,

mentemur,

mentemur, si ibidem morabantur homines die, noctuque, hyeme, vere, æstate, & autumno, cadente niue, ac pluuia de Cęlo, torrente solum Phæbo, si vigilabant, quiescebant, orabant priuatim, & communitèr, si reficiebantur, laborabant in eodem loco, domus erat tecto sarta, non Cęlo aperto exposita, igitur domus erat, à partibus enim integralibus simul ad totum tenet consequentia; falsum est igitur domus formam non prætulisse; domum fuisse testatus est Sanctus Pater, vt diximus tertia ratione, non igitur diffitendum, Beatus autem Ægidius non ignorato loco, ignorabat ibidem triumuiratum se recepisse, ideoque edoceri incolatum eorum à Deo enixè petiuit, & exauditus est, dum in Triuio consisteret, nesciens qua se via verteret, ne erraret. Vuadingus prima ratione citatus.

Duodeni igitur viri, non gigantei generis, in illa domo erecti, sedentes, extenso corpore, poplitibus flexis, sursum, deorsum, dextrorsum, sinistrorum, retrorsum, antrorsum, in omni genere situs, sine alterius offensa, impulsu, & repulsu, cum proprijs corporibus non penetratis, extensis, locum tenentibus circumscriptiuum superabundantèr, ab anno 1208, quo Ordinem suum inchoauit Sanctus Pater Franciscus, ad annum 1210., quo impetrauit, & obtinuit à Patribus Benedictinis Domunculam Sanctæ Mariæ Angelorum, post non paucos dies à recepta Regulæ approbatione, & confirmatione, regressuque ab Vrbe, vnanimi quiete, ad perfectionis apicem tendentes, commorati sunt.

Hic verò locus aptus, ac sufficiens paupertati eorum, quia commodè alios pati non valebat, qui Ordinem ingredi auebant, quia in illo Ecclesia erecta non erat, vbi Sacro quirent interesse, Sacræ Synaxis pabulo refici, sepulturę cadauera mandari, hac de causa, testante Sancto Patre, vt suprà, alium admisit Sanctæ Mariæ Angelorum.

De Altari autem, & Choro audiamus Chronol. Seraph. cit. folio 8, ex Vuading. tom. p. cit. *Vacabant ibidem Diuinis precibus incessantèr, mentalitèr potiùs, quam vocalitèr, studio inten-*

intendentes deuotæ orationis, quia nondum Ecclesiasticos libros habebant, in quibus possent horas canonicas decantare, loco tamen illorum Crucis Christi librum, continuatis aspectibus diebus, ac noctibus reuoluebant, exemplo Patris, qui iugiter de Christi Cruce sermonem illis faciebat, hinc in medio tuguruoli aram Crucis erexit, defixa in terra mediocris mensuræ lignea Cruce, circa quam omnes in Orbem acti magna veneratione, & summo affectu dicebant: Adoramus te Christe, & benedicimus tibi, quia per Sanctam Crucem redemisti Mundum, & sæpius orationem Dominicam repetebant.

Inuenimus igitur in tanta tugurij angustia, trabes, tectum, muros, domum formatam, aulæis licet, nec peristylijs ornatam, Altare erectum, mansiunculas, & celulas, & quid quid spiritui, ac corpori sat erat; herclè gurgustium, propè Sanctę Mariæ Angelorum lararium, cessum ab Vrbano Sacerdote Mazancolo, prælibatum, Riui Torti locum diuitijs non superabat, neque murorum, vel cellarum superbia, ac multitudine; quid si diceremus, nec suppar fuisse? non enim, vt dicebamus, priorem Riui Torti calam dimiserat Sanctus Pater Franciscus, vtrobique enim crescentem Familiam, erudiebat, & pascebat; Sed cum nec vestigium de illo remanserit, Timantem esse nequeo, ex pollice dimetientem colossum, hoc vnum scio, gurgustium fuisse, teste Vuadingo, nunc verò ter amplissimum, ac spatiosum cœnobium inibi reperiri.

Dices Sanctus Bonauentura cit. principatum tribuit loco Sanctæ Mariæ Angelorum, & nunquam Riui Torti tugurlolo, & in illo Sanctum Patrem Franciscum Ordini dedisse initium testatur; ait enim cap. 4. cit. in legenda Sancti Francisci. *Post hæc pusilli gregis Pastor Franciscus ad Sanctam Mariam de Portiuncula duodenarium illum Fratrum numerum, superna gratia praeunte, deduxit, vt vbi meritis Matris Domini Minorum sumpserat Ordo initium, ipsius illic susciperet auxilijs incrementum*, igitur &c.

Respondetur D. Bonauentura sibi contradicere non debere, nec id fecisse iudicādum, cum igitur post Regulę confirmationem

mationem in Riui Torti loco secessisse, & moram traxisse, in eodem capite, vt supra diximus, asserat Diuum Franciscum cum suis filijs iam professis, licet hoc nomine Riui Torti non vtatur, quo omnes Scriptores vtuntur, nequit, pauca locutus, oppositum astruere, quid igitur? loquitur Sanctus Doctor de initio spirituali, cum enim moram traheret Sanctus Pater, non adhuc exuuijs sæculi priuatus in illo Sanctissimo Sacello, meruit auxilijs Beatissimæ Virginis Spiritum perfectionis concipere, ac fieri trium Ordinum Institutor, vnde ex eo loco recedens, omnia dimisit, pęnitentiam aggressus, cæteris factus exemplar, ad sui imitationem, quam breui Discipulos habuit, quos collegit, & recolegit in Domo Riui Torti. *Recolegit itaque se vir Dei cum cæteris Socijs in quodam tugurio derelicto iuxtà Ciuitatem Assisij &c.* ait ibidem Sanctus Episcopus Cardinalis, & loquitur post confirmationem primæ Regulæ ab Innoc. III. obtentam, & regressum ab Vrbe, & antequam obtineret Ædiculam Sanctæ Mariæ Angelorum, & in prælibato loco narrat accidisse apparitionem illam in curru igneo &c. imò in citatis verbis supponit Sanctus Præsul iam consistentem Ordinem in numero illo duodenario, quem dicit postea Sanctum Patrem deduxisse ad locum Sanctæ Marię Angelorum, igitur naturalem originem Ordinis aliundè dignoscit, licet spiritualem, velit à Sancto Virginis Angelorum Larario lucem vidisse: consonat id dictis eiusdem Sancti Doctoris in cap. 3. eiusdem legendæ; scribit enim: *In Ecclesia igitur Virginis Matris Dei moram faciente seruo ipsius Francisco, & apud eam, quæ concepit Verbum plenum gratiæ, & veritatis, continuis insistente gemitibus, vt fieri dignaretur Aduocata ipsius, meritis Matris Misericordiæ concepit, ac peperit Spiritum Euangelicæ veritatis, dum enim die quodam Missam de Apostolis deuotus audiret, perlectum est Euangelium illud, in quo Christus Discipulis ad prædicandum mittendis formam tribuit Euangelicam in viuendo, ne videlicet possiderent aurum, vel argentum &c. Mox in huiusmodi verborum auditu tanta eum virtute Spiritus Christi perunxit, & induit, vt in formam viuendi*

præfatam, non solum notitia, & affectu, verum etiam vita, & habitu, se transformaret, illicò enim calceamenta deposuit, reiecit baculum, peram, & pecuniam abdicauit &c. Denique Spiritu Christi in flammea totus accensus, cœpit vt alter Elias, veritatis æmulator existere, cœpit, & aliquos ad iustitiam perfectam inducere, cepit, & cæteros ad pœnitentiam inuitare, &c. Spiritualis ergo Ordinis institutio, & initium hùc processit, cum quo stat, exercitium eius in Riui Torti loco factis demandatum primò primum, & ideò illi Principatum originis adiudicandum super omnes alios Religionis locos dicimus.

Dices 3. Riui Tortum Conuentum sub Assisio, nec in Mem. Ordinis, nec in Bartholomæo Pisano, nec in Mariano, nec in Franciſchina, nec in Vuadingo Minoritarum antiquitatum accuratissimo indagatore vſque ad annum 1540. memoratum inuenimus, vndè ipsum non à Sancto Francisco, sed nouissimè per Conuentualium Magistros Generales, P. Catalanum, & alios extructum, communi ex assertione, non dubitamus, igitur &c. ità Aduersar. parum supra cit. §. Sed, & num. 85.

Respondetur primò ab auctoritate, negatiuè illationem non tenere, 2. à Vuading., Chronicis P. Marci, Chron. Seraph., P. Dominico de Gubernatis, & P. Lectore Fortunato citatis, locum Riui Torti cum mansiunculis, & cellulis vndecim dispositis à Sancto Patre, commemorari, & in Mundo, instituente Sancto Francisco inibi suo Ordine, extitisse, recenseri, igitur non à Ministris (non Magistris) Generalibus Conuentualium erectus fuit, sed à Sancto Patriarcha Francisco.

Et quidem si Aduersarij absolutè negare prætendant extitisse locum Riui Torti, fateor, rude ingenium meum difficultatem hanc non fert; Veriùs, edisseram veritatem, quam discerno, culpo Aduersariorum apertam, & manifestam contradictionem, diffitentur Riui Torti locum, & confestim, fatentur, vt supra dictum est ex ipsorum verbis.

Minister Generalis Conuentualium, Michael Angelus Catalanus, ab anno 1649. circitèr, quo clauum Ordinis regebat, Cœno-

Cœnobium erigi, vel spatiosiùs ædificari voluit, quod intrà se contineret habitaculum præfatum Diui Francisci, & Filiorum, relicto eo illibato, ac intemerato in honorem Sancti Patriarchæ, & Sociorum eius, licet his vltimis diebus, intactis quibusdam, imò toto circuitu, tribusque dimensionibus eius, latitudine, longitudine, ac profunditate, ex eo sit constructa, potiùs accomodata, & disposita Ædicula Sacra cum Altari &c. ad maioris feruoris incitamentum deuotorum; sæpiuit igitur Reuerendissimus Catalanus, postea Episcopus Iserniæ in Samnitibus, maiori Cœnobio, Cœnobiolum priscum, non illud ædificauit, sicut nec cæteri egerunt, subiecta imago structuræ duplex, veritatem indicabit.

Quod si Aduersarij vim faciant in nomine Conuentus, vt detrectent præfato loco Riui Torti, nomen Conuentus imponi posse, & Conuentum appellari; sciant primò id etiam gratis dato, nil lædere eius principatum, super omnia Religionis loca, ac Cenobia, quatumuis amplissima, & latissima propter rationes iam suprà expressas, & extensas, sciant hanc esse quæstionem, vt aiunt, de lana caprina, logici aiunt, de nomine, non de substantia rei. Sciant tandem hanc denominationem sibi iure deberi, à die, qua duos, vel tres congregatos recepit, quid ergo, cum duodecim hospites habuit?

Glos. v. vbi Congregatio cap. p. 10. q. p. duo, vel tres docet facere Congregationem, & hoc veritatem habet ex illo Saluatoris D. Matth. 18. 20. *Vbi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Conuentus dicitur vbi duo sunt, vel plures simul conuiuentes.* Glos. v. in consuetud. cap. *Nobis fuit* 25. de interp. patr. Glos. v. Ecclesijs excom. *Ne Sede vac. dicitur autem Conuentus, eo quod ibi homines conueniant in vnum*. in fine cap. p. dist. 15. *Sicut Populum constituunt decem homines* ex Glos. v. duo cap. p. de elect. per cap. 3. 10. q. 3., *ità decem Religiosi constituunt Conuentum ad introducendam consuetudinem.* P. Marcus Vlysip. p. p. Chron. cap. 8 lib. p. loquens de primis duobus Sancti Patris Francisci Discipulis Bernardo Quintaualle, & Petro Cataneo, scribit hæc

bit hæc

bit hæc. *Per il che alli 16. di Aprile dell' Anno 1209. ad amendue il Padre S. Francesco dette l' Habito suo. Onde vogliono alcuni, che in questo giorno hauesse il principio l' Ordine de i Frati Minori, non volendo dir altro questa parola (Ordine) se non vna Congregatione vnita insieme di alquante persone*, tres igitur isti, S. Pater, cum duobus Discipulis Ordinem constituentes, incolentes locum Riui Torti constituebant etiam Conuentum. Vide Bordon. de Pauper. Relig. cap. 21. num. 39. & 40., & p. 2. variar. res. 85. nu. 41. vbi, *Religio*, inquit, *seu Conuentus vocatur ille, in quo Superior, & Fratres morantur, licet Obseruantia alias non esset Regularis, Rota Romana vol. p. decis. 208. in nouiss.*; igitur ante Regulam institutam, approbatam, & confirmatam, Conuentus nomine decorabatur locus Riui Torti ob mansionem in eo Sancti Patris, & Filiorum, multò magis post editam Regulam, acceptatam, approbatam, & confirmatam, retinuit...

Sacra Congregatio Concilij in decr. de celebr. Missarum. *Cum sæpè contingat*. Declarat Conuentus recip. non posse in locis, in quibus duodecim saltem Fratres, aut Monaci sustentari valeant, alioquin subduntur ordinario, vbi igitur morantur 12. Religiosi, Conuentus nominantur, imò vbi minùs, quam 12., licet Episcopo subdantur. Et quidem vsus numeri duodenarij Fratrum in locis nuncupatis Conuentibus, est antiquissimus, & vigebat tempore Burcardi Episcopi Herbipolensis, qui Monasterium ædificauit, dotando illud tot redditibus, quibus possent duodecim Religiosi sustentari, erat ex Ordine S. Benedicti, obijt in Domino anno 791. Adi. Bordon. Variar. p. 2. res. 97. num. 20.

In Decretis Summi Pontificis Innocentij X. de suppressione Conuentuum, & *instauranda &c. &: Vt in paruis*, Conuentus appellantur, vbi minor numerus, quam sex Religiosorum inhabitat, licet rediruti, Episcopis subdantur, igitur à primæua acceptatione Domus Riui Torti, propter inhabitationem Sancti Patris Francisci cum suis, vel duobus, vel pluribus Filijs, nactus est ille Sanctus locus nomen Conuentus; iudicent

iudicent igitur ipsimet Aduersarij, an, æquo animo, queant ex aliquo capite, abradere hanc inscriptionem: Conuentus Riui Torti.

Vt verò humanissimus, ac vrbanissimus Lector valeat compræhendere præfati Conuentus trinam dimensionem, quantæ fuerit capacitatis, & incolarum patiens quantorum, duo illi damus hic subiectas imagines cum prototypo omnino conformes, iuxtà mensuram ritè à perito acceptam.

Imago prima præmonstrat sacrum locum Riui Torti, inhabitatum à Sancto Patre Francisco, & Filijs vndecim, accidentaliter, vbi Lararium dispositum est, tantundem mutatum, in reliquis immutatum.

Imago secunda præ se fert, sepientem prælibatum Conuentum, ampliorem Ecclesiam, cum Choro ad laudandum Deum, & Sacra perficienda, ac Populum commodiùs congregandum ad Diuina, & Conuentum ad Religiosorum commodum, & incolatum, & Aduenarum receptionem.

Ex ambarum autem inspectione, circinno prudens Lector dimetiatur præfati Conuentus circuitum, reflectat deindè super Aduersariorum dicta, & menda, quæ circa ipsum irepserunt, corrigat. P. Mag. Gabriel Faber in Opere Panegyrico Sacræ Assisiensis Ecclesiæ, de hoc Riui Torti Cenobiolo inter alia, hæc quoque dictauit irrefragabilia. *Ibi Regula spirante, & dictante Spiritù Sancto primitus conscripta, & exarata est: Ibi Franciscana Societas nomine Minorum primò denominari cœpit, iuxtà illud; quod in prima Regula, ibidem descripta, habetur cap. 6. Omnes Fratres vocentur Minores; nec anteà huius nominis vox inualuerat, sed diuersimodè à diuersis vocabantur, sicut, & in similibus contingere solet, vndè dicebantur Francigeni, Pauperes Euangelici, viri pænitentes Ciuitatis Assisij. Hoc autem nomen Minorum, hoc in tugariolo adepti sunt, vt humili loco, humile nomen quadraret &c.* hæc cap. 3.

DISSER-

DISSERTATIO SECVNDA.

Aßisiensem Basilicam, in qua Sancti Patris Francisci Corpus requiescit, Caput, & Matrem Ordinis Minorum esse conuincitur.

HVIVS Sacræ Basilicæ laudes texere non esset hic in vanum laborare, nec terere tempus, id tamen præstare non vacat, cum hoc non præ se ferat assumpti instituti argumentum; aliàs de hoc Sacrosancto Sanctuario verbum bonum eructauit Pater Magister Gabriel Faber Gallus Exprocurator Generalis Ordinis nostri in suo Panegyrico Opere, aliàs citato, Sacræ Assisiensis Ecclesiæ, Romæ cuso anno 1627. capitibus quinque supra viginti, labia eius fauum distillarunt, mihi sat sit, mel degustare legendo, si non struam, quia apis non sum. Caput tamen, & Religionis Minorum Matrem esse, conuincere cogor, ob Aduersariorum insultus, & iacula in hanc Matrem etiam eorum, vibrata, ac pertentatos: sumam robur omne, ac fundamentum veritatis ex Romanorum Pontificum constitutionibus, quas hic reportabo omni fidelitate seruata, quia non omnibus obuiæ, & ideò non iniucundas recipiet beneuolus Lector. Prima, quæ fuit edita quando præfata struebatur à fundamentis Basilica, est Gregorij Noni, data anno 1230., estque concistorialis, subscripta manu Pontificis,

cis, & Eminentiss. Fratrum suorum proprijs caracteribus, & signis, hanc quoque in memorato opere Pater Magister Faber inseruit cap. decimonono, non relcriptis tamen subscribentibus.

Bulla Concistorialis ex originali, quod seruatur in Sacrario Assisiensis Ecclesiæ Minorum in folio trium palmorum altitudinis.

GREGORIVS EPISCOPVS

SERVVS SERVORVM DEI.

Dilectis Filijs Ministro Ordinis Fratrum Minorum, eiusque Fratribus morantibus apud Ecclesiam B. Francisci in loco, qui dicitur Collis Paradisi, tam præsentibus, quam futuris in perpetuum. Is qui Ecclesiam suam noua prole fecundat, dignatus hæc moderna tempora prioribus conformare, Beati Confessoris Francisci Spiritum in caritatis amore per inspirantem gratiam excitauit, vt Apostolorum vestigia imitatus, in paupertate, in qua plus caritas proficit, relictis omnibus, solum secutus fuerit æternæ beatitudinis largitorem, & velut fidelis seruus, & prudens laudabilitèr operatus in talentis ei creditis, fructum in Ecclesia Dei attulit copiosum. Ab ipso enim Ordinis vestri Sancta plantatio cooperante Diuina gratia processum habuit, & progressum: qua palmites honestatis longè, latèque producens, flores protulit, & odores effudit ad resecanda nociua, & salubria inserenda. Cum igitur apud Assisium, in fundo nobis, & Ecclesiæ Romanæ oblato, in loco, qui dicitur Collis Paradisi, in eiusdem Confessoris honore construatur Ecclesia, in qua recondi debet tam pretiosus thesaurus, Sanctum videlicèt Corpus ipsius, qui in tempore iracundiæ factus est reconciliatio, vt pro peccatis Populorum fieret intercessor: Nos cum dignum sit, & congruens, vt eadem Ecclesia prærogatiua libertatis, & honoris gaudeat proptèr eum, quem in Cœlis Dominus exaltauit,

uit ; pro eius reuerentia, Ecclesiam ipsam sub Beati Petri, & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti Priuilegio communimus. In primis siquidem statuentes, vt Ecclesia ipsa, nulli, nisi Romano Pontifici sit subiecta, & vestri Ordinis, cuius Institutor, & Pater extitit Confessor prædictus, CAPVT habeatur, & MATER, ac in ea per Fratres eiusdem Ordinis perpetuò seruiatur. Prohibemus insuper, ne quis audeat in eandem Ecclesiam, excommunicationis, vel interdicti sententiam promulgare, quam si proferre contigerit, tanquam contra Sedis Apostolicæ indulta prolatam, decernimus non tenere. Pro consecratione verò Altarium, siue pro Oleo Sancto, vel quolibet alio Ecclesiastico Sacramento, nullus ab eadem Ecclesia sub obtentu consuetudinis, vel alio modo quicquam valeat extorquere, sed hæc omnia gratis vobis Episcopus Diœcesanus impendat, alioquin liceat vobis quemcunque malueritis Catholicum adire Antistitem, gratiam, & communionem Apostolicæ Sedis habentem, qui nostra fretus auctoritate, Vobis, quod postulatur impendat. Quod si Sedes Diœcesani Episcopi fortè vacauerit, interim omnia Ecclesiastica Sacramenta à vicinis Episcopis accipere liberè, & absque contradictione possitis, sic tamen, vt hoc imposterum proprio Episcopo nullum præiudicium generetur. Quia verò interdum eadem Ecclesia non habet loci Diœcesani copiam, si quem Episcopum Romanæ Sedis, vt diximus, gratiam, & communionem habentem, & de quo plenam notitiam habeatis, per vos transire contigerit, ab eo Benedictiones Vasorum, & Vestium, Consecrationes Altarium, Ordinationes Fratrum Clericorum, auctoritate Apostolicæ Sedis, recipere valeatis. Cum autem generale interdictum Terræ fuerit, liceat vobis clausis ianuis, exclusis excommunicatis, & interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce Diuina officia celebrare. Paci quoque, & tranquillitati uestræ paterna imposterum sollicitudine prouidere uolentes, auctoritate Apostolica prohibemus, ut infrà clausuram locorum uestrorum, nullus rapinam, seù furtum facere, ignem apponere, seù sanguinem fundere, hominem temerè capere, uel interficere, seù uiolentiam audeat exercere. Ad indicium autem

tem

tem huius libertatis ab Apostolica Sede percepta; unius libræ ceræ censum Nobis, & Successoribus nostris, annis singulis persoluetis. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatam Ecclesiam perturbare, aut eius bona auferre, nec ablata retinere, seu quomodolibet uexationibus fatigare, sed omnia integra conseruentur, eorum, pro quorum gubernatione, ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salua Sedis Apostolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica, Sæcularisue persona hanc nostræ constitutionis paginam, sciens, contra eam temerè uenire tentauerit, secundò, tertiòue commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui careat dignitate, reamque se Diuino iudicio existere de perpetua iniquitate cognoscat, & à Sanctissimo Corpore, & Sanguine Dei, & Domini Redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ subiaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua iura seruantibus, sit pax Domini Nostri Iesu Christi, quatenus & hic fructum Benedictionis percipiant, & apud districtum Iudicem præmium æternæ pacis inueniant. Amen, Amen.

Signum Summi Antistitis.

Ego GREGORIVS Catholicæ Ecclesiæ Episcopus ss.
Fac mecum Domine signum in bonum.

Isti in medio subscripti sunt quilibet cum proprio signo præcedenti. Duplex ss. significat subscripsi.

Ego Ioannes Sabinensis Episcopus ss.
Ego Iacobus Tusculanus Episcopus ss.

Ad dexteram similitèr cum proprijs signis Cardinales Præsbiteri subscripti proprijs caracteribus legũtur, videlicet.

Ego

Ego Thomas Tit. S. Sabinæ Præsbiter Cardinalis ss.
Ego Ioannes Tit. S. Praxedis Præsbiter Cardinalis ss.
Ego Bartholomæus Sanctæ Pudentianæ Præsbiter Cardinalis, & Pastoris ss.
Ego Gutfredus Tit. S. .... Præsbiter Cardinalis ss.
Ego Sigebaldus Tit. S. Laurentij in Lucina Præsbiter Cardinalis ss.
Ego Stephanus Tit. S. Mariæ Transtiberim Præsbiter Cardinalis ss,

Ad latus finistrum inter propria signa sequentes leguntur subscripti Cardinales Diaconi.

Ego Octauianus Sanctorum Sergij, & Bachi Diaconus Cardinalis ss.
Ego Rainerius S. Mariæ in Cosmedin Diaconus Cardinalis ss.
Ego Romanus S. Angeli Diaconus Cardinalis ss.
Ego Petrus S. Georgij ad Velum aureum Diaconus Cardinalis ss.
Ego Rainaldus S. Eustachij Diaconus Cardinalis subscripsi.

Datum Laterani per manum Martini S. Romanæ Ecclesiæ Vicecancellarij X. Kal. Maij Indict. 2 Incarnationis Dominicæ anno M.CC.XXX. Pontificatus Domini Gregorij Papæ VIIII. anno quarto.

Plumbeo munitur sigillo serica fune obducto, referente ex vna parte Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli Imagines, ex alia verò inscriptionem.

Gregorius Papa IX.

Alterum omninò simile, ijsdemque verbis refertum, mutatis mutandis, dedit Diploma pro eadem Ecclesia Clemens Quartus anno Domini 1266. ampla membrana digestum in eodem Sacrario reseruatum, ac solerti diligentia custoditum, & hoc est eius exemplar.

DIPLO-

DIPLOMA CONCISTORIALE

CLEMENS EPISCOPVS S. S. DEI.

Dilectis Filiys Ministro Ordinis Fratrum Minorum, & cateris Fratribus morantibus apud Ecclesiam B. Francisci in loco, qui dicitur Collis Paradisi, tam præsentibus, quam futuris in perpetuum. In PP. M. Is qui Ecclesiam suam noua semper prole &c., vt suprà. *Cum igitur apud Assisium in fundo nobis, & Ecclesia Romana oblato, in loco, qui dicitur Collis Paradisi, in eiusdem Confessoris honore constructa sit Ecclesia, in qua recond:tus est tam pretiosus Thesaurus, Sanctum videlicet Corpus ipsius, qui in tempore iracundia factus est reconciliatio, vt pro peccatis Populorum fieret Intercessor. Nos &c.*, vt suprà, & post. *In primis siquidem statuentes, vt Ecclesia ipsa nulli, nisi Romano Pontifici sit subiecta, & vestri Ordinis, cuius Institutor, & Pater extitit Confessor prædictus, CAPVT habeatur, & MATER, ac in ea per Fratres eiusdem Ordinis perpetuò seruiatur*. Sequitur vsque ad finem, vt in præfata scribitur Gregorij. *Amen, Amen.*

Signum Pontificium.

Oculi mei semper ad Dominum.

Ego CLEMENS Catholica Ecclesia Episcopus ss.

In medio subscripti sunt proprijs caracteribus Cardinales Episcopi cum suis signis.

Ego Stephanus Prænestinus Episcopus subcripsi.
Ego Frater Ioannes Portu: & S. Rufina Epis. ss.
Ego Henricus Ostien., & Velletran: Episcopus ss.

Ad dexteram Cardinales Presbiteri ſubiecti ſubſcripti videntur.

Ego Ancherus Tit. S. Praxedis Præsbiter Cardinalis ſubſcripſi.
Ego Guillelmus Tit. S. Marci Præsbiter Cardinalis ss.
Ego Frater Anibaldus Baſilicæ SS. Apoſtolorũ Præsb. Cardin. ss.

A ſiniſtro latere Cardinales Diaconi proprio aſſumpto themate ſubſcribunt.

Ego Riccardus S. Angeli Diaconus Cardinalis ss.
Ego Iacobus S. Mariæ in Coſmedin. Diac. Cardin. ss.
Ego Guttifredus S. Georgij ad Velum aureum Diac. Card. ss.
Ego Vbertus S. Euſtachij Diac. Card. ss.
Ego Iordanus Sanctorum Coſmæ, & Damiani Diac. Card. ss.
Ego Matthæus Sanctæ Mariæ in Porticu Diac. Cardin. ss.

Datum Peruſij per manum Magiſtri Michaelis S. Romanæ Eccleſiæ Vicecancellarij 17. Kal. Maij Indict. 9. Incarnationis Dominicæ, anno M.CC.LXVI. Pontificatus verò Domini Clementis Papæ IV. anno ſecundo.

Funiculo flauo, rubeoque ex ſerico complexo transfixa pendet plumbea Bulla, Imagines SS. Petri, & Pauli referens parte ex vna, ex alia verò.

Clemens Papa IIII.

Tertium emiſit Diploma Nicolaus Pontifex Quartus, anno Domini 1288., quod paritèr inter res pretioſas in eodem cuſtoditur Sacrario, quo Summus Antiſtes confirmat Eccleſiæ Aſſiſienſis priuilegia, ſupponens illam eſſe Caput totius Religionis, exemplum eius do.

Subiectum Diploma duplicatum habemus ſub plumbeo Numiſmate.

NICO-

NICOLAVS EPISCOPVS

SERVVS SERVORVM DEI.

Dilectis Filijs Ministro Prouinciæ, ac Custodi S. Francisci, & Fratribus Ordinis Fratrum Minorum de Assisio Sal. & Apost. Bened. Præclara Gloriosissimi Confessoris Beati Francisci merita, quibus Vniuersalis Ecclesia, quasi quodam singulari fulgore prærutilat, sedula considerationis indagine perscrutantes, & recogitantes attentiùs copiosos salutis fructus, qui ex Ordine vestro proueniunt fidelium animabus, dignum, & rationi consonum, quinimò debitum arbitramur, vt Ecclesiam, quæ in Ciuitate Assisij in eiusdem Sancti honore fundata, & dedicata dignoscitur, & in qua Corpus eius Sanctissimum requiescit, fauoribus foueamus eximijs, condignis prosequamur honoribus, & specialibus gratijs, & priuilegijs muniamus. Hinc est, quod nos proptèr ipsius Sancti reuerentiam, volentes prædictam Ecclesiam, quæ totius Ordinis vestri CAPVT existit, specialitèr honorare, vt nullus omninò locum ipsius cum pertinentijs suis Ecclesiastico supponere valeat interdicto, absque speciali, & expresso Apostolicæ Sedis mandato, faciente plenam, certam, determinatam, & expressam de indulto huiusmodi Ecclesiæ, & loco prædictis, ac etiam de nomine dilecti Filij nostri Matthæi, Sanctæ Mariæ in Porticu Diaconi Cardinalis, cui Fratrum eiusdem Ordinis gubernatio, protectio, & correctio per Sedem Apostolicam sunt commissa, aut eius, cui eas imposterum committi contigerit, mentionem; Quodque cuiuslibet in- interdicti tempore, & si per Sedem ipsam, vel literarum eius auctoritate fuerit promulgatum, liceat vobis in eadem Ecclesia, & infra locum prædictum, clausis ianuis, interdictis, & excommunicatis exclusis, celebrare Diuina, & alta voce cantare, ac alia Ecclesiastica Sacramenta in eadem Ecclesia, & infrà locum recipere prælibatum, vobis auctoritate præsentium indulgemus. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ

concessionis infringere, uel ei &c. Si quis autem &c. Datum Reate 2. Idus Maij Pontificatus nostri anno primo.

In Numismate. *Nicolaus PP. IIII.*

Tres igitur Antistites, Summique Pastores vniuersi Orbis, & quinque supra viginti Eminentissimi Cardinales, Assisiensi Ecclesiæ (non hisce temporibus, sed exoriente Religione Minorum), ac Sacræ Basilicæ, quæ meruit Sacrum pignus Corporis Sancti Patris Francisci reconditum possidere, dixerunt esto Caput, & Mater Ordinis Minorum; Tibique sedulum perenne præbeant fidele homagium, ac solers obsequium Fratres eiusdem Ordinis. Exeat ergo nescio quis, & si est animus sibi, Pontifices, & Purpuratos redarguat, Sacram hanc Basilicam Principem, Caput, & Matrem Minorum statuentes, conetur caussari eos, vt à decretis deturbet, si valet. Verum quicunque fuerit iste, vel non rectę mentis iudicabitur, vel, de falsitate sua iudicatus, vapulabit.

Interim cum prælibatam Basilicam Caput, & Matrem iure merito tenendam, definiendamque duxerint, ne rebellis Ecclesiæ huic, imò, & vniuersali Catholicorum, fiam, inclinata ceruice, & poplitibus flexis, ex corde decretum suscipio, colo, ac reuereor in æternum.

Ab Aduersarijs autem, vel vnicum Diploma, vel vnicum viuæ vocis oraculum expectabo Pontificium, quo altera Ecclesia nacta sit nomen, Capitis, ac Matris Ordinis Minorum; nullum sanè vsque modo apparuit. Non me latet ex supradictis conari nomina præfata alteri assuere, sed qua auctoritate id egerint, ignoro, non Pontificia, nam Pontifex, Pontificem non redarguit, nec illi contradicit, maximè in his, quæ ad mores spectant, & fidem, & hic sumus in spectantibus ad mores, si propria, Nemo in propria causa Iudex, nec recta loquitur, qui exlex loquitur, id enim esset contra Pontificum latam legem; audiant Patrem Magistrum Gabrielem Fabrum cit. cap. 3. *Hinc frustra quamplurimi*

rimi laborarunt, & adhuc scriptis contendunt, qui alibi primitatem quærentes suæ nouæ Congregationi, paucioribus ab hinc annis erectæ, blandiuntur, dum eosdem titulos Capitis, & Matris ædibus suis attribunt: Qua in re non tantum Apostolicæ Sedis aduersantur decretis, sed etiam videntur non esse illius Ordinis, cuius Diuus Franciscus est auctor, ità dicente Summo Pontifice Gregorio Nono: Et Ordinis, cuius Institutor, & Pater extitit Confessor prædictus (supple Basilica Assisiensis) Caput habeatur, & Mater. Nec eis fauet sub antiquitatis nomine primitatem diuidere, & veritatem adumbrare, dum Germanæ Matri hæreditarium limitantes titulum, alteri Ecclesiæ, proprio nutu, & sinuoso motu dispertiuntur; Qua in re non leuem confusionem in Ordinem inuehunt, dum subditæ Ecclesiæ, Maternum nomen, & vicem attribuentes, membrum cum capite promiscuè, & sine lege confundunt, totumque Ordinem, quasi mostruosum efficiunt: Nam qua ratione Corpus compositione vnius capitis affabre efformatum, scriptis, sibi adulando, deformare tentant, & Seraphicum Corpus, veluti hydram monstruosam bicipitem efficere audent; quibus veraces calami semper obstabunt, qui veluti enses herculei opportunè tot renascentia capita zelo, & telo pietatis amputabunt, quot noua eorum scripta suggerere velint, & valeant. Nam sicut vnicum Corpus vnico capite informari necesse est, ne monstruositati detur locus, ità Filij vnius thori, vnicam Matrem agnoscere debent. Hæc Faber malleo suæ linguæ, super incudine veritatis, dicacitates suo tempore exortas, percutiendo, & repercutiendo fregit, & ad nihilum redegit, sicut, & præsentes.

Hanc etiam Sacrosanctam Basilicam, Caput, & Matrem esse totius Minorum Ordinis, adhibitis piæ memoriæ Gregorij Noni verbis prælibatis, confirmauit in lectionibus secundi nocturni Dedicationis eiusdem Ecclesiæ officij, quolibet anno celebrandi, Sacra Rituum Congregatio die 23. Martij anni 1686. edito decreto.

Audio Sibilum Responsionis Aduersariorum, decreta Pontificum, & Purpuratorum explanantium: Non loquuntur,

tur, aiunt, locis citatis suprà, Summi Antistites secundum facti existentiam, sed ex priuilegio, non enim origine naturali, & secundum existentiam realem, Sacra Basilica Assisiensis appellatur Caput, & Mater Ordinis Minorum, sed moralitèr dumtaxat, & ex priuilegio ob reuerentiam Sacri Corporis Beati Francisci in illa reconditi, ac custoditi.

Amabò amici, imò plusquam amici, dicite mihi, est ne in rerum natura vllum Diploma feriens hoc caput? de facti existentia, de naturali origine nullum, minimè aliud de morali capite, igitur, & facti existentiam, & moralem Maternitatem definiere Pontifices.

Vlteriùs audite: secundum facti existentiam primus in his terris Christi Vicarius, propria manu consecratus, & voce Sacrosancta: *Tu es Petrus, & super hanc Petram adificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo Claues Regni Cælorum; Quodcumque ligaueris super Terram, &c.* D. Matth. 18. 19. in Vrbe Antiochena primò super Cathedram sedit Pontificiam, dignitatem, & auctoritatem solemni ritu pandens, vbi etiam & Fidelibus primò nomen Christiani adhæsit, & inhæsit, verum dimissa hac Sede, iterum secundò sedit Romæ; quæro nunc, secundum facti existentiam quænam ex his Ecclesijs est Caput, & Mater Fidelium? quænam ex his Cathedris, secundum facti existentiam præit alteram? Romana, hanc veritatem aperit Sanctus Marcellus Papa, & Martyr, Antiochenæ Ecclesiæ rescribens Episcopis, vt in Breuiario Romano 16. Ianuarij lectione tertia. *Scripsit epistolam ad Episcopos Antiochena Prouincia de primatu Romana Ecclesia, quam Caput Ecclesiarum appellandam demonstrat:* Ex noua igitur sessione Petri, Romana Ecclesia facta est Caput Ecclesiarum, quia numquam ab illa digressus, stationem perpetuam in ea fixit. Cur Summi Pontifices, ex iugi statione Corporis Sancti Francisci in Basilica Assisiana, definientes illam esse Caput, & Matrem Ordinis Minorum, intelligendi sunt ex priuilegio? non secundum existentiam facti, si factum quietis Corporis perennat in ea?

Auco

Aueo tamen ab Aduersarijs edoceri de alia Ecclesia, quę dicta sit secundum facti existentiam, Caput, & Mater Ordinis.

Aiunt, locis citatis, hanc esse Ædem Sacrosanctam Sanctæ Mariæ Angelorum, vos audiam plenè in postrema dissertatione sequenti, interim dicite, & si gratis cederem primitus hanc Sanctissimam Ædiculam fuisse paucis temporum interuallis Caput, & Matrem, quis manicis ferreis ligauit Pontificum manus, vt aliam secundum facti existentiam Caput, & Matrem constituerent, sicut factum clarescit de Romana Ecclesia, post Antiochenam? Sanctus Patriarcha, & viuens, & mortuus, suum Ordinem totali commisit Pontificum dispositioni, & si ergo gratis darem vobis amicis meis, vt morem beneuolum gererem (quod tamen, nec præsto, nec præstare sum paratus) Sospitem Sanctum, aliam Ecclesiam dixisse Caput, cædit locum maiori, iuxtà Regulæ suæ propositum, definientis aliud Caput, & Matrem pro suo Ordine. *Frater Franciscus*, inquit cap. p. suæ Regulæ. *Promittit obedientiam, & reuerentiam Domino Papa Honorio, & Successoribus eius canonicè intrantibus, & Ecclesia Romana*, & vltimo. *Ad hæc per obedientiam iniungo Ministris, vt petant à Domino Papa vnum de Sancta Romana Ecclesia Cardinalibus, qui sit Gubernator, Protector, & Corrector istius Fraternitatis, vt semper subditi, & subiecti pedibus eiusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, stabiles in Fide Catholica, paupertatem, & humilitatem, & Sanctum Euangelium Domini Nostri Iesu Christi, quod firmitèr promisimus, obseruemus.*

Huic Sacræ Basilicæ, Sacer Conuentus additus est, iisdem temporibus, quibus exædificata fuit, Sacer inquam Conuentus, non communi appellatione, quia inseruiat incolatui Religiosorum obsequium præstantium prælibatæ Ecclesiæ, vel alia ratione satis communi, sed quia vnà simul cum Ecclesia, (vt fertur) ab Innocentio IV. Summo Pontifice personalitèr consecratus est, anno Domini 1253., vt in Constit. Si Populus Israeliticus &c. seruata in Secretario Assisiensi præfatæ

Ecclesiæ, apparet, idque censeo indigitare illa verba Diplomatis Nicolai Quarti allati; *Vt nullus omninò Ecclesiam ipsam, quæ nulli nisi Romano Pontifici est subiecta, & totum locum ipsius cum pertinentijs suis Ecclesiastico supponere valeat interdicto, &c.* pertinentiæ Ecclesiæ sunt Sacrarium, & Conuentus, qui cum dicatur interdicti capax, id, ob consecrationem vnà simul cum Ecclesia, dictum iudicandum cogito. Subditur, *& si per Sedem ipsam, vel literarum eius auctoritate fuerit promulgatum* (supple interdictum) *liceat vobis in eadem Ecclesia, & infrà locum prædictum clausis Ianuis, interdictis, & excommunicatis exclusis, celebrare Diuina, & alta voce cantare &c.* infra locum prædictum extat Conuentus, igitur cum fiat æqualis Ecclesiæ in priuilegijs celebrandi Diuina tempore interdicti, imò participandi Sacramenta, quare additur: *Ac Ecclesiastica Sacramenta in eadem Ecclesia, & infra locum recipere prælibatum, vobis auctoritate præsentium indulgemus*, conficitur, vna simul cum Ecclesia, Sacro Oleo, fuisse delibutum &c.

Huius consecrationis datur manifesta certitudo, in visceribus enim eius ad pendices, & cliuium scalæ, per quam ad Collegialium inhabitationem ascenditur, in muro, clausum semper custoditum fuit Sancti Geruntij Episcopi, & Martyris gloriosi venerandum brachium, sicut enim in aris, Sacrosancto Missæ Sacrificio destinatis, Reliquiæ Sanctorum innectuntur, sicut, & in lateribus Ecclesiarum consecratarum, sic ostendendæ consecrationis causa, prælibati Conuentus, sacra Lipsana Sancti Geruntij in eo locata resident.

Et ex hoc apparet vanam, ac sine vllo fundamento adinuentionem illorum fuisse, qui paucis ab hinc annis inscriptionem hanc: *Di questo Sacro Conuento*: alteri Asceterio in Claustro interiori, in muro satis obuio oculis omnium ingredientium exposito, appingi voluerunt. Causam non requiro, factum damno, nunquam tamen Sacri Conuentus Assisiensis denigrabit veritatem, quidquid humana aperiet phantasia; A sæculis pluribus non est auditum per Orbem Vniuersum,

Cœno-

Cęnobium aliud ab Assisiensi, Sacrum nuncupatum, ità in sæculis posterioribus seruabitur, quia nullum aliud Sacro extitit oleo inunctum, & sacris liplanis decoratum.

Hic Sacer Conuentus à præfatis Pontificibus mancipatus est perpetuò seruitio Fratrum Minorum, cum Ecclesia, cuius homagio donati fuerunt, & hi Minores iugiter fuere Conuentuales, vndè factum extitit, Leonem X. patrantem diuisionem Obseruantium à Conuentualibus anno 1517, seruare voluisse Prædecessorum edicta de hoc seruitio præbendo Ecclesiæ à Fratribus eiusdem Ordinis, cum sub anathematis pęna iusserit, ab ijsdem non amoueri, in Bulla *Omnipotentis*, vt suis locis dictum est, ex facto hoc indigitare volens, Conuentualibus ab initio Ordinis curam hanc seruiendi Ecclesiæ prædictæ, & hac de causa inhabitandi in præfato Conuentu, datam fuisse, ipsosque immediatè fuisse institutos a S. P. Francisco.

Dices in superiori Dissertatione Conuentui Riui Torti datus est Principatus super Ordinis Minorum Cęnobia, igitur non erit Assisiensis Basilica dicenda Minorum Caput, & Mater.

Respondetur, hoc non obstante, Pontifices dixisse Basilicam Assisiensem Caput, quia Cęnobiolum Riui Torti portio est eiusdem Basilicæ, & illi iugitèr fuit vnitum, ità etiam Faber cit. cap. 3.

DISSER-

DISSERTATIO
TERTIA.

Primum Lapidem non iecisse S. Patrem Franciscum Sui Ordinis in Ecclesia S. Mariæ Angelorum ostenditur, vndè nec Caput, nec Mater, nec Princeps Sui Ordinis dicenda venit.

STO à longè,& genua flecto huic Sac. Basilicę, precorque pronus,Terram lambens,Dominam illius, Angelorum, ac Deiparam, vt communionem cum Sanctis cælicolis ab Vnigenito Seruatore nostro intercedat mihi, ac omnibus Fidelibus, ac infideles ad Sanctæ Ecclesiæ Romanæ gremium perducat, vt eos paritèr seruet. Dilectam hanc Sacram Ædem à Sancto Parente, super omnes sui temporis Ecclesias, præter Romanas, Lateranensem, & Apostolorum Sanctorum Petri, & Pauli, & Lauretanam, reuereor, laudem omnem eidem dico. Verum quia laudari detrectat falsis laudibus, eam Principem Minoritici Ordinis, cum reuera non sit, nec illam appellitare audeo.

Eatenus enim Caput, & Mater foret dicenda, quia Sanctus Institutor Ordinis eam delegisset, vt iaceret in ea primum lapidem, quem alibi posuisse in prima Dissertatione monstrauimus: Et quidem rescire cupio, quem Nouitium ante Fratrem Leonem, in hac Ecclesia ad habitum Religionis receperit,

perit, iam decem, & vnum, suos, à Mundo ereptos, egerat Discipulos ante Leonem, non hìc pauperrimis indumentis illos amicierat, sed in Riui Torti Cęnobiolo, iam factus Pater Familias, cum sua Familia incolatum Sanctæ Mariæ Angelorum petiuit, & obtinuit, lacte suos alibi aluerat, iam viros, idest Professos, pauerat per multos dies in deserta Riui Torti Domo, non igitur in Ecclesia Sanctæ Mariæ Angelorum iecit fundamenta Religionis. *Fixit ergo hìc*, ait Vuading. tom. p. ad ann. 1210. fol. 68. num. 12. *Pedem cum suis, & eos, quorum antea distulit receptionem, hìc libentèr admisit*, loquitur de Ædicula S. Mariæ Angelorum post donum eius à Benedictinis acceptum, vt aliàs diximus, in qua Fratrem Leonem Assisiatem, primò admisit.

Ante concessum Habitum Religionis Fratri Leoni, non habebat concessum sibi materiale illud gurgustium Vrbani Sacerdotis Petri Mazancoli, Sanctus Pater Familias, nec vbi secederet à via publica, à saltibus, & sequestratus cum suis oraret, victum susciperet, & quiesceret, nec aliud quodquam perageret, sed se recipiebat cum Discipulis in Domo Riui Torti, igitur quomodo valet asseri apud Sanctam illam Ædem initium dedisse ordini ciuile, & politicum, igitur &c.

Numquam legi, nec lecturus sum Pontificium Diploma declarans Ædem illam, Caput, & Matrem esse Ordinis Minorum, & in ea præstari debere à Fratribus eiusdem Ordinis iuge homagium, ac seruitium, sicut legi de Basilica Assisiensi, igitur &c.

Dato, & non concesso, illam Ecclesiam nuncupandam esse Principem, ac Matrem Minorum, sint memores Aduersarij eandem à Conuentualibus liberali munificentia recepisse (qui sine dubio, si Caput esset Minorum, per somnium etiam, non ea se priuassent) *Hoc anno*, inquit Vuading. aliàs allatus, tom. 5. Annal. ad annum 1415. num. 23. *accessit totius Ordinis primaria, à S. Francisco commendatissima, Domus S. Mariæ Angelorum in agro Assisiate Portiuncula nuncupata. Concessit hanc Minister Generalis, annuentibus Patribus Prouinciæ Sancti Fran-*

Francisci, maximè ijs, qui habitabant ad Sacrum Conuentum Assisij, vbi S. Patriarchæ Corpus honorificè colitur, reseruatis tamen sibi quotidianis, & amplis oblationibus, & pecuniarijs eleemosinis, quæ in Ædiculæ multis miraculis, Gloriosæ Virginis apparitionibus, & diuturno S. Francisci incolatu celeberrima, à numeroso concurrente Populo fiebant. Hanc Ædiculam post possessionem liberam, & integram duorum sæculorum (illam enim Seraphicus Pater anno 1210. à Benedictinis donatus est, illamque receperunt Patres Obseruantes anno 1415.) & quatuor annorum, Conuentuales liberalitèr, & humanissimè cesserunt Patribus Obseruantibus in partem præcipuam dotis, & in signum habitæ possessionis, eleemosinas pecuniarias, & amplas oblationes sibi perpetuò reseruarunt, igitur si Caput esset Minorum Ordinis, illis Minoribus Caput esse dedisset, qui illam ab exordio Religionis per integra sæcula sequentia, & ampliùs custodissent, non illis, qui ex liberali cessione à primis possidentibus obtinuissent post sæcula.

Minores item Conuentuales post tantam, latam, ac longam possessionem, illam Patribus de Obseruantia in pignus amoris Materni dederunt, cur non ità, sed secus egerunt de Sacra Basilica Assisiensi? callebant optimè non recedendum à Matre Religionis, cuius seruitio à Pontificibus fuerant donati, dum igitur Ædicula Sanctæ Mariæ carere passi sunt liberalitèr, illam non esse Matrem, & Caput Ordinis agnoscebant, ne euaderent truncus sine Capite, Assisiensem retinuerunt, illa dimissa, ergo, quæ non erat Caput, aliàs Caput sibi amputassent.

De eleemosina, vt dictum est reseruata, in tesseram habiti dominij, & liberalis concessionis, editæ septem inueniuntur Bullæ custoditæ in Sacro Assisiensi Conuentu, videlicet Nicolai Quarti, Nicolai Quinti duæ, Calixti Tertij, Pij Secundi, Leonis Decimi, & Gregorij Decimitertij, tandem placuit Vrbano Octauo anno 1643. 22. Martij Bulla 300., quæ legitur tom. 5. Bullarij fol. 419., & 20. omnem pecuniam

niam primæ diei Augusti, transferre in Obseruantes pro Ecclesia S. Mariæ Angelorum, & Cœnobij in perpetuum, in compensationem autem decreuit ex eadem eleemosina, vel alia, deponi penes Montem Pietatis Assisiensem duo millia scutorum Romanorum pro vna vice, ad effectum, illa inuestiendi in bona stabilia, vel loca Montium non vacabilium pro Assisiensi Asceterio, vt iugis perennet memoria habitæ possessionis à Conuentualibus illius Sanctæ Ædis.

Dicetis primò. Sanctæ Mariæ Ædiculam hac lege recepit à Patribus Benedictinis Sanctus Pater, & Patriarcha Franciscus, vt esset Caput, & Mater Religionis, si Ordo iam institutus in multitudinem accresceret, & duraret, & annuit Sanctus Pater, vt habetur in Chron. P. Vlysip. p. p. lib. p. cap. 15., & Vuading. tom. p. ad ann. 1210., igitur &c.

Respondeo id asserere Auctores Obseruantinos post tot decreta Pontificum allata, quibus Basilicam Assisiensem Caput, & Matrem Ordinis Minorum esse dixerunt, ideò cum exleges loquantur, non sunt audiendi, tum quia sunt in propria causa, idque scribunt, postquam Ædiculam à Conuentualibus dono receperunt; stet igitur dictum apud ipsos, & penes ipsos fides huius asserti.

Respondeo 2. Data veritate asserti, promisisse quidem S. Patrem, verum cum id non declarauerit ante obitum in pace, & Summi Pontifices aliud definierint, huic definitioni standum est, imò etiam si declarasset id Sanctus Pater, id non egisset nisi supposito beneplacito Summi Pastoris, qui cum fuerit idem, Gregorius, videlicet Nonus, qui Ecclesiam regebat in euolatione Sancti Patris ad Æther, & post transitum eius anno 1230. Ecclesiam Assisiensem Caput, & Matrem Ordinis dixerit, ordinatio hæc, ex mente Sancti Patris tenenda venit.

Dicetis 2. Ædiculam Sanctæ Mariæ Angelorum, in lectionibus dedicationis eiusdem 2. Augusti, appellari Matrem, & Caput pusilli gregis Fratrum Minorum, & hac de causa nuncupatam Portiunculam.

Respon-

Respondeo huic obstare lectiones dedicationis Basilicæ Assisiensis editas approbante Sacra Rituum Congregatione, vt diximus differt. 2. §. hanc etiam, quæ quidem lectiones verbis Greg. 9. id exprimunt: afferant Aduersarij, quo decreto, quo oraculo id referatur, & dicatur in lectionibus prælibatis, fides igitur penes auctores quiescat, imò nec quiescere poterit, quia contra Pontificum mentem, irrepsit error emendandus, sicut error alius in lectionibus Diui Didaci, quæ cum sint de verbo ad verbum excerptæ ex bulla Canozizationis eius, à Sixto Quinto patratæ, in illo tamen omissa sunt illa verba, *qui nunc de Obseruantia nuncupantur*, dictumque simplicitèr: In Conuentu de Arizafa Fratrum Minorum de Obseruantia, vt aliàs etiam notauimus. Tum quia aliàs post tempus, & tempora, & lustra emendati sunt errores, qui subintroierunt in biblijs, & breuiario. Portiunculam autem appellatam censeo, non quia futura erat Mater, & Caput Minorum, quam enim redolet conuenientiam hoc verbum Portiuncula, cum his Caput, & Mater? sed quia parua Ædicula, & quasi portio magnæ Ecclesiæ; quod si diuinari licet, potest dici, appellatam Portiunculam, quia futura erat portio Ecclesiæ Maioris, nempè Assisiensis, quia illam, vt Caput, & Matrem, Minores obseruare, & venerari debebant, qui inhabitaturi erant in eadem Ædicula. Emendandus est etiam alius error, qui irrepsit in quarta lectione in die octaua Sancti Bonauenturæ, in qua obitus eius contigisse legitur in die Solis, cum euenerit in die Veneris, supputante solerti diligentia P. Bordono tom. 4. decis. 55. & tom. 5. cap. p. de Relig. q. 4. num. 55. idque ex actis Concilij Lugdun., in quo S. Bonauentura decessit, haberi testatur.

Dicetis 3. Pius Secundus in Bulla incip. *Sacra Religionis*, lata anno 1460. tertio nonas Martij, anno tertio, referente Vuadingo tom. 6. in Reg. Bulla 17. Pij Secundi, inquit, Ordinem Minorum inchoatum fuisse à Sancto Francisco in loco Sanctæ Mariæ Angelorum, igitur &c.

Respondeo aliàs detectum à me fuisse hallucinari Aduersarios,

ſarios, Pontifex enim id non aſſeruit, nec potuit aſſerere, quia Pontifices Prędeceſſores oppoſitum aſtruerunt, & veritas ipſa obſtat, vt in Pręcedentibus diſſertationibus aperuimus, recitat autem Pontifex ibi ſupplicem libellum id continentem, ſed nec approbat, nec reprobat aſſertum, & annuit petitis de non conſtruendis habitaculis prope Domum Portiunculæ. Quod ſi etiam id ex propria mente affirmaret, loqui Pontificem diceremus, de inchoatione ſpirituali, ſecundum quam Sanctus Pater Franciſcus Spiritu Sanctæ mutationis, ac conuerſationis in illa Ædicula, interceſſione Virginis Virginum, ac Matris Dei, concepto, ex tunc reliquit omnia bona, & amplexus eſt Apoſtolicam vitam, vnde à multis imitatus in loco Riui Torti incœpit Ordinem ſuum. Vide quæ diximus diſſert. p. §. Reſpondetur ad D. Bonau.

Hęc ad Maiorem Dei Gloriam, in honorem Virginis Virginum Deiparæ, Sancti Patris Franciſci, ac omnium Ordinis Minorum Diuorum, & totius cœleſtis Choortis laudem perpetuam, ſint omnibus terrigenis referata, duce veritate. Sub pedibus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, & Paſtoris eius Innocentij Vndecimi, cui Deus, & robur, & vitam augeat ad regendum Populum Sanctum eius, & Hoſtes eius ad fidem reducendos, & ſi nolint, proſternendos. Amen, Amen.


Teque, in cuius natali die poſtremam poſui manum Operi, rogo, & ſupplex oro Sancte Georgi, vt acuta romphæa, dux inuictiſſime, virulentum omne diſpellas, & propulſes, ſi in hunc tractatum inſurgere pertentauerit.

✠ ✠ ✠

Menda, quæ irrepſerunt, ſic emenda.

Pag.	Lin.	Err.	Correct.
4	25	Auctore	Auctor
18	19	inuolatè	inuiolatè
21	23	conceſſerunt	conceſſerat
95	19	pręsēs annum	pręsentem
99	32	expoſitam	oppoſitam
101	1	1582	1682
107	15	iuiſce	iuiſse
ibi	vlt.	Miniſtri	Miniſter
127	16	prob re	probate
129	20	anno *adde*	primo
136	20	14 31	1431
144	22	Cōmunitati	Cōmunitate
ibi	27	& quo oblig.	quo ad obl.
174	2	nos	vos
177	vlt.	tranſmutatū	transūptum
208	19	vllo modo	nullo modo
209	27	cui vſus	cuiuſuis
210	14	priuilegijs	priuilegij
212	30	ſiue	ſine
213	28	apars	aptus
216	5	prouidere	poſſidere
217	6	aut	aue
ibi	16	eidem	idem
ibi	20	ei annlantur	eiaculantur
ibi	29	definitur	definiuit
219	25	peceuniæ	pecuniæ
ibi		puri	purè
221	6	alijſque	alijque
222	19	eo quidem	& quidem
228	5	illi	illis
	11	quærunt	queunt
	18	nolita	volita
	29	fiant	fiunt
	ibi	ab illicita	ab illicito
230	18	poſt præſcriptum *adde*	obſtant
	24	adderant	ediderunt
	32	ordinaſſe patraſse	*dele* patraſſe
231	3	ſolicitudines	ſolicitudinis
	13	ſibi	tibi
234	17	tibi alia	Tibialia
	34	canabem	canabe
240	7	deriuationes	deriuatione
	ibi	mutare	nutare
241	31	falſum	falſam
244	11	diſtinctum	diſtinctam
	21	Theologicæ	Theologiæ
246	31	vigent	egent
247	13	aut	aue
248	7	paſci	paſti
	25	adſiſtent	adiſſent
249	23	Innocentio	Innocentium
250	18	Regulam	ſequelam
	29	poſt propoſitum *adde*	Reſpondetur
251	vlt.	mea	meæ
256	2	poſt nuncupare *adde*	familiam
259	9	obſeruantiæ	obſeruātiam
263	22	præcipuè	præcipuæ
269	5	influens *adde*	eſſe in aliud
273	1	commiſſam: que	cōmiſſamque
	32	nolentibus	volentibus
274	7	filium	filiam
288	33	ſacra	ſacræ
291	31	pręmorato	pręmemorato
326	14	teneriu. m	tenerimum
337	18	Enangelio	Euangelium
377	6	examinata	examinato
395	6	diſtinctum	diſtinctiuum
414	15	Chriſto	Chriſoſt.
415	29	pauperiores	pauperiorem
430	1	obiecto	obiectio
432	21	Euangelicam	Euangelium

F I N I S.


um Ascetericum
Dissertatio Secund
RIVVLVS
I A

